Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionesthe0003aemi

D73f

Institutiones theologiae fundamentalis

auctore

Aemil. Dorsch S. J.

s. theologiae in universitate oenipontana professore

Vol. III.

De inspiratione s. Scripturae

altera editio retractata

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
210.2
LIBRARY
D738
Alma, California

Oeniponte
Typis et sumptibus Feliciani Rauch
1927

14425

Liber, cui titulus est: Institutiones theol. fundamentalis auctore P. Aemil. Dorsch vol. III. De inspiratione s. Scripturae

Imprimi potest

Viennae, die 6. maii 1926.

F. Hatheyer S. J.
Praep. Prov. Austriae.

Nr. 6501.

Imprimatur!

Apost. Administratur

Innsbruck, den 23. März 1927.

Urb. Draxl,
Prov.

Printed in Austria.

Praefatio.

Quae olim de divina ss. librorum inspiratione ad manus paucorum edideram, haec in ordinem luculentiorem non sine multiplice emendatione redacta et ad publicum usum destinata heic invenias, in quibus etiam, quae duobus voluminibus de religione revelata et de ecclesia agens de theologia fundamentali moliebar, ad finem perduxi.

Methodum quod attinet, eandem fere tenui, quam in operibus prioribus, minus intentus, ut novas aperirem vias et rationes, quam ut super vias tritas et communi usu probatas tanquam dispensator fidelis eos, quos divina providentia mihi tradere voluit instruendos, ad necessariam et convenientem scientiam adducerem. Una quaestio uberiorem expositionem et disquisitionem sibi vindicavit, quae est de veritate historiae biblicae, in qua etiam praevios labores proprios reassumere licebat.

Inter auctores, quorum laboribus usus sum, opus eminet P. Ch. Pesch, quod in partem historicam et dogmaticam distinctum, sub utroque respectu mihi subsidio erat. In quaestionibus dein non paucis, sive rem et argumenta sive difficultates earumque solutiones respexeris, fere secutus sum Van Laak, cujus opera ad finem capitis prodromi invenias indicata, quibus adjungas et scriptum ejusdem auctoris Romae apud pont. universitatem Gregorianam 1905/6 litographiis editum, cui titulus est de inspiratione

S. Scripturae tract. dogmaticus. Ceterum mentem meam quoad usum auctorum satis aperui in praefatione primo volumini harum institutionum praemissa.

Finem faciam rogans divinam bonitatem, ut largas suas adjungat benedictiones, ne sine utilitate legantur, quae non sine labore sunt scripta.

Oeniponte die s. Thomae aquinati sacro 1927.

Auctor.

Index

Caput prodromum

Pag.

§ 1. De origine historica Scripturae 1
§ 2. De Scripturae sacrae auctoritate in genere . . . 4
I. De fide judaeorum 5
II. De fide Christi ejusque apostolorum 7
III. De fide ecclesiae Christi 11
IV. Quid judaei posteriores de Scripturae auctoritate senserint 14
§ 3. De fontibus et modo argumentationis 17
§ 4. De litteratura et historia hujus tractatus adnotatio 20

Pars prior

De ipsa inspiratione

Caput I.

De notione inspirationis

I. De voce graeca θεόπνευστος 24
II. De voce latina *inspiratus* 25
III. De termino prophetae 27

Caput II.

De existentia inspirationis

Assertum 1. Scriptura merito dicitur sacra et divina, eo quod Spiritu S. inspirante conscripta Deum habet auctorem 29
§ 1. De doctrina ipsius Scripturae 30
Praeambulum I: de fide judaeorum 30
Praeambulum II: de argumentorum vi et ratione . . 32
A. Argumentatio indirecta 32
B. Argumentatio directa 35

Pag.

I. *2 Tim 3, 14 sqq* 35
II. *2 Pet 1, 20 sq* 39
§ 2. Inspirationis dogma ostenditur ex praedicatione ecclesiastica 43
§ 3. Inspiratio exhibetur ex patrum et theologorum doctrina 54
§ 4. Exceptionibus satisfit 66
§ 5. Excursus (evolutio doctrinae inter protestantes) 76

Caput III.

De natura inspirationis

Articulus I. De quibusdam notionibus praeviis

I. De inspiratione ejusque divisione 85
II. De notione libri 86
III. De notione auctoris 88

Articulus II. Vera de natura inspirationis sententia

Assertum 2. Tribus elementis inspiratio Scripturae essentialiter constitui videtur: illustratione intellectus qua hagiographus veritates conscribendas recte mente concipit; motione voluntatis qua ad easdem veritates easque solas scripto fideliter consignandas determinatur; assistentia qua ad veritates apte exprimendas infallibiliter manuducitur 93
§ 1. Res ipsa demonstratur 93
§ 2. De mentis illustratione in specie 98
I. De ipsa rei essentia 98
II. De quibusdam quaestionibus accessoriis 107
§ 3. De voluntatis inspiratione in specie 111
§ 4. De divina quae in inspiratione tribuitur assistentia 117
§ 5. Corollaria 119
I. Zanecchia contra Franzelin 119
II. Gradus inspirationis num merito distinguantur . . 121
III. De 2 Mach 2, 24 sqq. coll. 15, 39 124

Articulus III. De falsis quibusdam sententiis

§ 1. Conspectus errorum historicus 128
§ 2. De errore inspirationis concomitantis 134
Assertum 3. A veritate aberrant, qui inspirationem in mera ponunt assistentia, qua Deus ab homine scribente errorem averterit 134

Pag.

§ 3. De inspiratione quam adstruunt subsequente . . 137

Assertum 4. A veritate catholica etiam ii aberrant, qui inspirationem declarant nudam libri humanitus conscripti divinam vel hierarchicam approbationem . . 137

Caput IV.

De extensione inspirationis

Articulus I. Conspectus sententiarum historicus

I. Vetustiores errores *(Gnostici, Erasmus, Holden)* . 142

II. Errores post concilium Vaticanum *(D' Hulst, Newman, Lenormant* aliique) 144

Articulus II. Asseritur universalis Scripturae inspiratio

Assertum 5. Tota Scriptura inspirata est saltem eo sensu, quod omnia et singula Scripturae judicia divinitus inspirata sunt 148

§ 1. Doctrina s. Scripturae 149

I. Directa argumentatio 149

II. Indirecta argumentatio 158

§ 2. De doctrina patrum et theologorum 157

§ 3. Quid de re tradiderit ecclesiae magisterium . . 167

§ 4. Ratio theologica 176

Articulus III. Doctrina de extensione inspirationis largius illustratur

§ 1. De enuntiationibus affirmativis seu doctrinalibus 178

§ 2. De affectibus et dubiis hagiographorum 185

§ 3. De argumentationibus Scripturae 191

4. Exceptionibus satisfit 193

Articulus IV. De inspiratione verbali

§ 1. Praenotanda 197

I. Conspectus historicus 197

II. Ad statum quaestionis 200

§ 2. Inspiratio verbalis excluditur 202

§ 3. Doctrina ab exceptionibus defenditur 208

Caput V.

De criteriis inspirationis

§ 1. Praenotationes 213

§ 2. De originaria inspirationis manifestatione 214

Pag.

Assertum 6. Originarie de inspiratione certorum librorum constare ut oportet non potest, nisi ex ipsa revelatione divina 215

Assertum 7. Hoc divinum de inspiratione testimonium pro iutegro Scripturae canone sufficienter ex traditione tantum divina seu per magisterium ecclesiae authenticum a nobis cognoscitur 217

§ 3. Quid ipsa Scriptura secundum certas proprietates considerata de inspiratione sua testificetur . . . 217

§ 4. De criterio quod praesumunt ex indole hagiographi 222

§ 5. Quid valeat hac in re testimonium hagiographi . 234

§ 6. Quid valeat testimonium ipsius Scripturae . . . 237

§ 7. De vero inspirationis criterio, de sacra traditione 239

§ 8. Traditio ecclesiastica universale inspirationis criterium 244

Pars altera

De consectariis inspirationis

Caput I.

De praestantia et unitate Scripturae

§ 1. De Scripturae praestantia 247

§ 2. De unitate Scripturae 251

Caput II.

De sensu et interpretatione Scripturae

Articulus I. De sensu Scripturae

§ 1. De sensu typico 258

§ 2. De sensu litterali 261

Assertum 8. Uni eidemque textui Scripturae unus tantum sensus competit litteralis 263

Articulus II. De interpretatione Scripturae

§ 1. De obscuritate Scripturae 266

§ 2. De Scripturae interprete authentico 273

Assertum 9. Legitimus s. Scripturae interpres agnoscendus est magisterium vivum a Christo institutum . . 274

§ 3. De usu et lectione Scripturae 279

Caput III. Pag.

De intemerata s. Scripturae veracitate

Articulus I. De veracitate Scripturae in genere

§ 1. Statuitur veracitas seu inerrantia Scripturae . . 284
Assertum 10. S. Scripturae proprium est, ut omnem errorem vi inspirationis prorsus a se excludat . . 285
I. Doctrina Christi ejusque apostolorum 287
II. Testimonium traditionis 289
III. Praedicatio ecclesiastica 291
§ 2. Doctrina proposita defenditur 294
I. Stabilitur testimonium patrum 294
II. Defenditur veritas Scripturae ab oppositis rationibus 298
1. Exceptiones ex conceptu inspirationis 298
2. Exceptiones ex conditionibus hagiographi 306
3. (Scholion) Exceptiones ex ipsa Scriptura 314
§ 3. Doctrina de veracitate Scripturae magis evolvitur 316
I. De variis generibus loquendi 316
II. Num genus litterarium quoad singulos libros difficulter dignoscatur 318
III. De theoria a Lagrange proposita 319

Articulus II. De Scripturae veracitate quoad res physicas

Assertum 11. S. Scriptura de rebus physicis vulgari modo loquitur atqui loqui debet; neque tamen per ipsum hunc modum loquendi quidquam falsi de ejusmodi rebus affirmatur 324
§ 1. Modus loquendi in hisce rebus scientificus non est 325
§ 2. Veritas Scripturae etiam in hisce rebus physicis intacta manet 326
Scholion: de quibusdam exceptionibus 331

Articulus III. De veritate Scripturae quoad res historicas

§ 1. De notabili discrimine inter dicta physica et historicas relationes 334
Assertum 12. Et ipsa historia, quam Scriptura tradit, omnino verax et fide dignissima profitenda est . . 340
§ 2. Ostenditur absoluta s. historiae veritas 340
I. Ex s. Scriptura ipsa 341
II. Ex s. Traditione 346
III. Testimonium traditionis ab exceptionibus defenditur 359
1. De auctoritatibus quibusdam quas in contrarium adferunt 359

Pag.
2. De causa Galilei 361
3. De sententia Hieronymi 362
IV. De vi et efficacia consensus patrum in re ista . . 371
V. Ratio theologica 379

Articulus IV. De indole propria s. Historiae

§ 1. Genera historica recensentur diversa 389
§ 2. Libri sacri historici historiam proprie dictam tradunt 395
I. Mens ipsarum ss. litterarum 396
II. Sensus ss. patrum 403
III. Ipsa ecclesiae hac in re sollicitudo 405
§ 3. Historia sacra ad „religiosam“ quae dicitur historiam revocari nequit 406
§ 4. De aliis generibus historicis quae distinguuntur dijudicatur 411
Praemittuntur observationes generaliores 411
I. De historia „non-critica sive antiqua“ 414
II. De traditionibus popularibus 422
III. De historia mythica seu legendaria 432

Articulus V. De citationibus implicitis

§ 1. Hypothesis exponitur 438
§ 2. De existentia ejusmodi citationum 441
§ 3. De fide citationum 443

Caput prodromum.

§ 1. De origine historica Scripturae.

1. Legimus in libro *Exod 17, 14*: „Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub coelo"; et iterum *ib. 34, 27:* „Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus". Secundum quod autem mandatum Domini factum est Moysi, scriptum est eodem libro *24, 4 sqq:* „Scripsit autem Moyses universos sermones Domini; et mane consurgens aedificavit altare ad radices montis et duodecim titulos per duodecim tribus Israel; misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulitque Moyses dimidiam partem sanguinis et misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare; assumensque volumen foederis legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia quae locutus est Dominus, faciemus et erimus oboedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his". Ex illo tempore populus Israel sanctum habebat librum, sacrosancta circumvestitum auctoritate, in arca foederis reponendum *(Dt 31, 24 sqq.)*, sacerdotum cura custodiendum *(Dt 17, 18)*, publica solemnitate legendum *(Dt 31, 10 sqq)*.

Sed et de successore Moysis similiter legitur: „Scripsit quoque (Josue) omnia verba haec in volumine legis Domini; et tulit lapidem pergrandem posuitque eum subter quercum, quae erat in sanctuario Domini, et dixit ad omnem

populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini, quae locutus est vobis, ne forte postea negare velitis et mentiri Domino Deo vestro" *(24, 26)*. Et post Josuem „locutus est Samuel ad populum legem regni et scripsit in libro et reposuit coram Domino" *(1 Reg 10, 15)*.

Eundem in modum prophetae deinceps succedentes scripserunt visiones et prophetias suas, ut passim legitur de Jeremia, Isaia, Ezechiele aliisque multis, cantavitque David carmina sua collegitque Salomon parabolas et proverbia sua, quae omnia paulatim ad libros sacros addita sunt. „Sic in anno primo Darii Daniel intellexit in libris (ἐν ταῖς βίβλοις) numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam" *(Dan. 9, 1 sq)* et dicens ἐν ταῖς βίβλοις certam quandam collectionem librorum denotat, quae sub hoc nomine (αἱ βίβλοι) omnibus notissima Jeremiae prophetiam jam complectebatur. Ita sacri isti libri augebantur et in unum collecti integram constituerunt bibliothecam *(2 Mach 2, 13 sqq)*,[1]) unde populus iste consolationem et aedificationem sibi quaereret *(1 Mach 12, 9; 1, 60)*, cui aequabilem semper exhibebat dignitatem et piam venerationem *(1 Mach 1, 58)*, de qua populus iste „doctrinae et sapientiae causa" vehementer gloriabatur *(Eccli. prol)*.

2. Asservabat igitur Israel sanctam bibliothecam „a parentibus sibi traditam Legis et prophetarum et aliorum, in quibus oportet laudare eum" *(Eccli. prol)*. Omnes autem qui in ista collectione retinebantur libri, quamvis a tam diversis et tempore dissitis auctoribus conscripti essent, quamvis de argumento maxime vario agerent, nihilominus ad certam unitatem redacti erant.

a) Et aliqua unitas ex dictis jam manifesta est; vocantur *enim* nomine collectivo quasi proprio αἱ βίβλοι, αἱ γραφαί, quo ab omnibus aliis secernebantur et unam in

[1]) Cf. de hoc loco Cornely *Introd.*[2] *I 52*.

se conclusam bibliothecam constituebant. Multo arctior vero unitas inde claresci, quod temporibus Christi et apostolorum cum iis videmus observatum esse.

b) Tunc omnes hi libri sive legis sive prophetarum sive psalmorum plane indiscriminatim sub uno allegabantur nomine unaque formula: *Scriptura* (ἡ γραφὴ) *dicit* vel *scriptum est*. Imo textus illorum librorum non solum seorsum i. e. quatenus ex uno determinato libro (v. g. Isaiae) desumebantur, sub formula ista *Scriptura dicit* allegabantur, sed etiam textus, qui ex diversissimis libris deprompti erant, sub una illa formula conjunctim inveniuntur. Sic v. g. *Jo 7, 42* haec leguntur: „Nonne *Scriptura dicit:* quia ex semine David (id quod invenitur in *Ps 88, 5* vel *131, 11*) et de Bethlehem castello venit Christus" (id quod ex *Mich 5, 2* desumptum est). — Similia inveniuntur *1 Pet 2, 6 sqq; Lc 24, 44 sq* et alibi.

Omnes igitur illi sacri judaeorum libri et singuli librorum textus in scriptis N. Testamenti nunc seorsim nunc conjunctim, nomine *Scripturae, Scripturae sacrae* et formula citationis *Scriptum est* designantur. Eo ipso vero sub certa unitate quasi unus liber unumque corpus exhibentur, quod uno isto nomine sufficienter ab omnibus aliis discernitur; neque enim uno titulo allegaveris quae prorsus separata sunt, ut Caesaris libros de bello gallico et Platonis dialogos carminaque Homeri. Certissime in illa ratione conveniant oportet, ad quam exhibendam uniformiter allegantur, in una auctoritate nimirum et aptitudine ad quaestiones religiosas finiendas.

3. Cum Christus, Verbum aeternum, mundum ingressus mandata sua et sacram doctrinam dedisset mundo, discipuli ejus non pauca ejusdem praecepta ejusque historiam calamo exceperunt et libris commendaverunt, de quibus Petrus apostolus *(2 Pet 3, 16)* conquestus est: „indocti et instabiles depravant (ea), *sicut et caeteras Scripturas,* ad suam ipsorum perditionem". Invenimus ita jam ex Nova quoque Oeconomia certa quaedam opera collectioni illi

sacrae accensita, quae mox constituent alteram ejusdem partem.

4. Hunc in modum exorta est notissima illa collectio librorum, quae nomen *Scripturae sacrae* sibi inditum habet. Quando autem ista collectio sive in Vetere sive in Novo Testamento perfecta et conclusa sit, non est hujus loci exponere; vide de his libros introductorios v. g. Cornely *Introd.*² *I 147 sqq.*

5. Occurrunt et alia eorundem librorum nomina, ut *sacrae Litterae, Biblia sacra,* vel et *Scriptura, Biblia, Liber* simpliciter. Vocantur etiam *Testamentum, Instrumentum, Verbum Dei scriptum, canonica Scriptura* sive *Libri canonici.*

Dicuntur autem canonici, tum quia certam et per auctoritatem ecclesiasticam diligenter *circumscriptam* ideoque et *inviolabilem collectionem* seu *catalogum* jam constituunt, tum etiam quia infallibilem fidei *normam* et *legem* seu *canonem* exhibent. — Vocantur testamentum, quia in iis sacrum continetur documentum, quo *foedus* seu *testamentum* describitur et confirmatur, quod Deus cum hominibus iniit et quo filiis quodammodo legavit haereditatem. — Vocantur et instrumentum *tum* quia nostrae inserviunt *instructioni, tum* quia iis ut instrumentis ea *authentice innotescunt*, de quibus foedus vel contractus factus est. Ceterum cf. Cornely *Comp. introd. proleg.* vel potius majus ejusdem auctoris opus *Introductio*² *I c. 1 § 1 n. 11 sqq.*

Nos maxime consueti sumus, sacram vocare hanc Scripturam: idque proxime ea ratione, quia non solum nobis, sed olim etiam judaeis persuasum erat, sacram et divinam his libris inesse auctoritatem, de qua pauca nunc praemittamus.

§ 2. De Scripturae sacrae auctoritate in genere.

Libros, quos nomine Scripturae veniunt, magno in honore habendos esse, inter homines vere christianos nemo fere negabat. Erant tamen inter gentiles et nunc sunt inter rationalistas, qui sacram nostram Scripturam libris mythologicis ethnicorum aequiparare non verentur: contra quos ab exordio tractatus nostri sacra ejus et divina indoles atque auctoritas defendenda est. Maneamus autem hoc loco in hac autoritate magis in genere asserenda: postea in ipso tractatu de ratione formali hujus dignitatis accuratius disseremus, quae est divina inspiratio.

Rem hanc ita absolvemus: ut prius de fide judaeorum, dein de hac fide per Christum ejusque apostolos approbata et confirmata agamus. His peractis addemus pauca de fide ipsorum christianorum.

I. De fide Judaeorum.

Libri hac in re consulendi notentur: Franzelin *De div. trad. et scriptura*[3] (1882) 316—329; Dausch *Die Schriftinspiration* (1891) n. 104 sqq; Pesch *De inspiratione sacrae scripturae* (1906) n. 10—33. — Speciatim de fide judaeorum tempore Christi agunt Schürer *Geschichte des jüd. Volkes*[4] II p. 363—72; Bousset *Die Religion des Judentums im neutestamentl. Zeitalter*[3] 172 sq. — De Philone cf. Heinisch *Der Einfluß Philos auf die älteste christl. Exegese* § 5. Quoad doctrinam mischnicam et talmudicam Aicher *Das alte Testament in der Mischna B. St. XI 4;* Ferd. Weber *Jüd. Theologie auf Grund des Talmud und verw. Schriften*[2] 80 sqq; Oesterley and Box *The religion and worship of the synagogue* c. 7.

1. Narratur *1 Mach 1, 57* de rege Antiocho ejusque ministris: „Aedificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei; et per universas civitates Juda in circuitu aedificaverunt aras; et ante januas domorum et in plateis incendebant thura et sacrificabant; *et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos*". Connumerat sacer ille auctor sacrilegam tractationem „librorum testamenti Domini", quos et magnifico nomine „Legis Dei" insignit, inter scelera maxime horrenda, profanationem templi et altaris atque idololatriam; sic vero manifestat venerationem summam, qua populus ille sacros suos libros tunc prosequebatur.

Neque tamen ista demum aetate pia librorum reverentia animos subiit populi Israel; cum ipsa eorundem origine ex diebus Moysis haec pia affectio congenita erat judaeis. *Etenim* ubi primum liber Legis Moysis usui publico exhibebatur, sanguine consecratus est sacrificali *(Exod 24, 4 sqq)* et adauctus aliis legibus *(ib. 34, 27)* in latere arcae foederis repositus est *(Dt 31, 24 sqq)* una cum duabus tabulis lapideis „scriptis digito Dei" *(Dt 9, 10* coll. *ib. 10,*

1 sq; Exod 32, 15 sq; 34, 1 sqq). Exinde „convenientibus cunctis ex Israel verba legis hujus legenda erant coram omni Israel, audientibus eis et in unum omni populo congregato tam viris quam mulieribus, parvulis et advenis, ut audientes discant et timeant Dominum Deum impleantque omnes sermones legis hujus“ *(Dt 31, 10 sqq; Jos. 1, 8).*

His fides judaeorum fere manifesta est. Hi libris sacris divinam plane et irrefragabilem attribuebant auctoritatem: ut legem ipsius Dei et libros testamenti Domini eos agnoscebant *(2 Esd 8, 8; 1 Mach 1, 59);* et scelera in eosdem commissa idololatriae aequabant *(1 Mach 1, 57 sq);* ex iisdem libris omnis controversia tanquam ex testimonio, cui contradici nequiret, finiebatur, ut mox largius illustrabimus.

Et quamvis identidem (morum demutationibus interpositis) observantia illa minueretur et nonnumquam fere evanesceret, Israel ad piam suam consuetudinem usque redierat; atque cum gens christianorum libros sacros ex populo illo suscepit, piam illam existimationem ibi invenit.

2. Eandem vero fidem temporibus quoque ipsius Christi inter judaeos floruisse facile patet.

a) Audiamus imprimis duos pro fide populi sui testes, Josephum illum Flavium et Philonem alexandrinum. Ille *ad Appionem I 8* haec scripsit: „Apud nos nequaquam est innumerabilis librorum multitudo dissidentium et inter se pugnantium, sed duo tantum et viginti libri sunt totius temporis descriptionem continentes, quibus merito fidem habemus“. Quibus recensitis pergit: „Ab Artaxerxe autem usque ad nostram memoriam sunt quidem singula litteris mandata, sed non in aequali auctoritate habiti sunt [hi libri posteriores] cum praecedentibus, quia non accurate perspecta erat successio prophetarum. Porro reipsa manifestum est, *quanta nos veneratione libros nostros prosequamur;* cum enim tot jam saecula effluxerint, nemo nec adjicere quidquam nec ab iis demere aut mutare ausus est; sed *omnibus judaeis statim a prima nativitate congenitum est, ut haec scripta credant Dei dogmata, et eis inhaereant ac pro eis, si opus sit, libenter mortem subeant*“. — Verbis his auctor iste clarissime docet, libros Scripturae non a semet solo, sed ab integro populo *merito credi divinos* atque „*Dei dogmata*“ haberi; unde et nefas fuerit, iis quidquam addere vel demere vel mutare, tantum nefas, ut potius mors esset subeunda: cf. etiam ejusdem auctoris *ll. Antiquit. X 10 sq.*

Philo vero frequentissime docet, libros nostros a prophetis conscriptos esse, „per quorum os Pater universorum oracula edidit“ *(De fuga § 36 n. 97)*, qui ex persona Dei oracula ediderunt (valde) inspirati *(De Cherubim § 14 n. 49)*. „Propheta, ita disserit *De monarchia § 9*, a Deo inspiratus oracula et prophetias edit, nihil proprii loquens . . ; prophetae enim sunt interpretes Dei, qui eorum organis utitur ad manifestanda ea quae vult“. Ideo libros nostros appellare consuevit: „sacros libros, sacras scripturas, sacras litteras, propheticum sermonem, eloquium Dei, eximia oracula prophetico ore edita . .“; et singulis eorum verbis summa pietate adhaeret. cf. Pesch *n. 15 sqq.*

b) Eandem fidem tunc inter judaeos viguisse, clarissime edocemur libris quoque Novi Testamenti, ex modo nimirum quo textus sacri pro argumentatione ibi adhibentur. Quamprimum *enim* verba vel paucissima sub formula *Scriptura dicit, scriptum est* vel simili pro ratione allegantur, ex persuasione judaeorum habetur auctoritas peremptoria, irrefragabilis, contra quam nulla jam valeat exceptio. Ita Christus allegationibus sacris *(ex Ps 109, 1)* redarguebat inimicos pharisaeos ita, ut „nemo potuerit ei respondere verbum neque ausus fuerit quisquam ex illa die eum amplius interrogare“ *(Matth 22, 46)*. Summa *igitur* auctoritas inter judaeos tunc hisce libris attribuebatur, qua maior esse non potest, et plane divina, quae omnes et singulos libros eorumque vel brevissimos textus usque ad ultimas particulas permeat, dummodo nomine Scripturae comprehendantur. — Singula nunc adferre longum est, cum mox plura audiamus.

3. Haec fides integri populi Israel jam ex sese maximi momenti esse videtur. Cum *enim* religio judaeorum, divina descendens origine, divina quoque usa sit testificatione: fundamentale ejusdem de Scripturae auctoritate dogma de eadem divina origine et revelatione participare merito praesumitur. Majus huic fidei accedit pondus eo, quod Christus ejusque discipuli persuasionem illam comprobaverint et suam fecerint.

II. De fide Christi ejusque apostolorum.

Christus ejusque apostoli fidei populi sui solemniter accesserunt. Clarissime hoc inde elucet, quod eodem modo quo judaei in suis argumentis coram judaeis et christianis ad Scripturam tanquam ad testificationem non humanam, sed plane divinam et irrefragabilem provocaverint, quae

omne vel sanctissimi hominis testimonium superet et testimonio aequivaleat aeterni Patris et Dei.

a) Ita ipse Christus apud *Jo 10, 25* Deum patrem suum, semet autem Filium Dei declaraverat; remurmurantibus judaeis, en ejus argumentum: „Nonne scriptum est in lege vestra, quia ‚Ego dixi: dii estis'? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?" *(ib. 34 sq).* — Verba, ad quae Christus provocat: „Ego dixi quia dii estis", sunt ex psalmo 81, 6; unde statim patet, nomine legis non solum libros Moysis, sed integram Scripturam Veteris Testamenti denotari; hanc autem solvi non posse, expresse dicit Christus. Solvi autem Scripturam idem est ac irritam fieri, excidere, rejici, aboleri (Knabenbauer in l. h.). Summa *igitur* et irrefragabilis auctoritas hisce verbis Scripturae adscribitur.

Alibi Christus ad Scripturam tanquam ad testimonium ipsius Patris provocat, arguens inde suam divinam missionem: „Ego, inquiens, non ab homine testimonium accipio . . Ego, habeo testimonium majus Joanne . . et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me" *(Jo 5, 34; 36 sq).* — Qua ratione Pater de filio testificatur? Utique miraculis et miris operibus *(v. 36);* sed statim addit: „Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere aeternam: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me . . . Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis: si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: si autem alius litteris non creditis, quomodo verbis meis creditis" *(v. 39 sq).* Ita Scripturae majus certe continent testimonium, quam quod ab homine fieri possit: „Non ab homine testimonium accipio"; et quod testimonio Patris, si non identificatur, certe aequiperetur.

Nec dixeris: Loquebatur Christus ad judaeos, argumentans ad hominem ex hypothesi quadam et se accommodans ad eorun-

dem opiniones: „Si non poterit solvi Scriptura", „quia vos putatis in ipsis vitam habere"! Ipse enim prorsus in propria persona et plane absolute atque solemniter idem pronuntiat apud *Matth 5, 17 sqq:* „Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; *non veni solvere,* sed adimplere; *amen quippe dico vobis,* donec transeat coelum et terra, *jota unum aut unus apex non praeteribit a lege,* donec omnia fiant". Cf. etiam *Lc 16, 17.*

Ex hac sola suprema et divina Scripturae auctoritate declarari potest, quod Christus ea, quae in Scripturis leguntur, voluntati ipsius Patris adaequat, et vehementer premit, quae in Scripturarum testimoniis contineantur, necessario esse adimplenda, majori etiam necessitate quam quae sit legum naturae. Audivimus modo, quam solemniter hanc Scripturae firmitatem declaraverit in sermone ad montem dicens: „Donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege" *(Matth 5, 18;* cf. et *Lc 16, 17).* — Similia saepe occurrunt in sermonibus Domini; ita Petro passioni Christi obnitenti reponit: „Converte gladium tuum in locum suum . . An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? quomodo ergo implebuntur Scripturae, *quia sic oportet fieri?*" *(Matth 26, 52 sqq).* Et post resurrectionem ad duos illos discipulos: „O stulti, inquit, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae! *Nonne haec oportuit pati Christum* et ita intrare in gloriam suam? Et *incipiens a Moyse et omnibus prophetis,* interpretabatur illis *in omnibus Scripturis,* quae de ipso erant" *(Lc 24, 25 sqq).*

b) Neque aliter sentiebant discipuli Christi. Hi quoque Scripturam ut ipsius Dei verbum proclamant: „Quid ergo amplius judaeo est? aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. *Primum* quidem, quia credita sunt illis *eloquia Dei*" i. e. Scripturae sacrae *(Rom 3, 1 sq).* — Non raro verba Scripturae allegant iisque Deum ipsum loqui supponunt, ut *Act 1, 15 sq,* ubi „exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres oportet impleri scripturam, *quam praedixit Spiritus sanctus* per os David de Juda . . Scriptum est enim in libro psal-

morum *(68; 108)*: fiat commoratio eorum deserta, et non sit, qui inhabitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter." Eodem modo omnes apostoli in unum profitentur: „Domine, tu es, qui Spiritu Sancto per os David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes" *(Act 4, 24)*; similiter *Act 13, 34 sq; Hebr 1, 1 sqq; 4, 4 etc.* — Idem *igitur* est *Scriptum est* ac *Spiritus S. dixit.*

In genere autem nihil frequentius occurrit apud apostolos in suis ad judaeos et christianos argumentationibus, quam illa notissima formula *„Scriptura dicit"*, *„Scriptum est"*, qua res etiam gravissimas demonstrant et prorsus absolvunt. In re evidenti superfluum est multa allegare exempla; inveniuntur autem *Act 1, 20; 23, 5; 18, 28; Rom 1, 17; 3, 10 sqq; 4, 23; 9, 17; 10, 11; 1 Cor 15, 3. 45; Gal 3, 8. 10.*

Insuper nota, quod apostoli hinc inde phrases quasdam incidentes et vel voces singulas urgent ad gravissimas doctrinas demonstrandas. Sic ad praxim deducunt illud Christi: „jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant". His vero manifestissime summam et plus quam humanam auctoritatem in suis instrumentis supponunt et profitentur. Est autem hac in re notum, quomodo s. Paulus *Hebr 12, 27* ex particula „Adhuc semel", *ib. 8, 8 coll. 13* ex adjecto „Novum", *Gal 3, 16* ex numero singulari „semine tuo" veritates vere fundamentales deduxerit et illustraverit; cf. Franzelin *l. c. th. 1 III.*

Conclusio: Constat igitur tempore Christi, imo longe antea penes synagogam collectionem quandam librorum extitisse, qui unum veluti corpus, nomine Scripturae (sacrae) insignitum, constituerent et auctoritate fruerentur ex fide populi istius plane divina et irrefragabili. *Atqui* hanc fidem, in se non leve veritatis argumentum, Christus ejusque apostoli approbabant suoque suffragio infallibili confirmabant. *Ergo* merito ex auctoritate Christi Domini ejusque apostolorum libri nomine Scripturae sacrae in ecclesia recepti dicuntur divini ob sacram suam et divinam auctoritatem.

Nota: Ea quae modo diximus, *immediate*, ut facile intellexeris, non respiciunt nisi libros veteris testamenti; his enim

judaei sacram existimationem adferebant, ex his solis Christus ejusque apostoli argumenta sua proferebant. *Indirecte* tamen vis argumenti nostri etiam ad novum testamentum extenditur. Libris *enim* sacris populi Israel mox ab ipsis apostolis, quibus hac in re ceu testibus utimur, alia addita sunt scripta, quibus idem nomen, „sacrae nimirum Scripturae", ideoque et eadem dignitas et auctoritas per eosdem apostolos attribuebatur. Hunc in modum jam s. Petrus epistolas quasdam coapostoli sui Pauli non obscure inter *„caeteras Scripturas"* connumeravit *(2 Pet 3, 15 sqq);* et s. Paulus versum aliquem ex evangelio Lucae sub formula *„Scriptum est"* allegasse videtur. Ecclesia vero ab ipsis initiis eadem reverentia qua vetus testamentum et libros novi testamenti coluit.

III. De fide ecclesiae Christi.

Merito nunc ad fidem quoque ipsius ecclesiae Christi respicimus, cui dictum est per sponsum divinum: „si [quis] ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus" *(Matth 18, 17),* quam discipulus Veritatis „columnam declarat et firmamentum veritatis" *(1 Tim 3, 15).*

a) Fides vero ecclesiae in re nostra jam patet ex insignibus nominibus et praedicatis, quibus libros illos exornabat semper. Vel inter vetustissimos jam christianos Scripturae dicuntur *sanctae, sermo sanctus, libri* vocantur *sacri, scripturae divinae, libri divinissimi, dominici, coelestes, verba Spiritus Sancti, verba a Spiritu Sancto dicta, Spiritus S. oracula . .;* Scriptura donum ipsius Dei praedicatur, in Scripturis et per Scripturas Deus, Verbum, Spiritus Sanctus loqui dicitur. Auctores vero humani, quibus libri isti adscribuntur, organa et instrumenta Dei declarantur et alia hujusmodi.

Cum haec omnia alia occasione largius in variis testimoniis ostendantur, pauca hoc loco audiamus expressiora priscorum patrum testimonia. Et vetustissimus fere inter patres ecclesiae, Clemens ille rom., ita *ad corinthios* scripsit: „Scripturas diligenter inspexistis, quae verae sunt et *datae per Spiritum Sanctum;* non fugit vos nihil injustum, nihil perversum scriptum esse in illis" *(c. 45);* in *altera* autem *ad corinthios epistola,* quae eidem Clementi

adscribitur, post lectam Scripturam protrahit sermonem: „Itaque, fratres et sorores, postquam *Deus Veritatis auditus est* [in lectione nimirum Scripturae], lego vobis exhortationem, ut animum advertentes ad ea, quae scripta sunt, et vosmet ipsos salvetis et eum, qui legit inter vos“ *(19)*. Similia Theophilus antioch. *ad Autolycum* scribit: „Haec nos docent *Scripturae sanctae et quotquot Spiritu Sancto afflati erant*, inter quos Joannes dicit: In principio erat verbum“ *(II 22)*. Antiquissimus autem scriptor *contra Artemonis haeresin* haec apud Eusebium *(H. E. V 28)* profert: „Aut enim sacras Scripturas *a Sancto Spiritu dictas esse* non credunt, ac proinde infideles sunt; aut se ipsos Spiritu Sancto sapientiores existimant, ac proinde quid aliud sunt quam daemoniaci?“

„Scripturae quidem — ita Irenaeus *adv. haer. II 28 — perfectae* sunt, quippe *a verbo Dei* et *Spiritu ejus dictae*“. Quibus addit Hippolytus: „Nihil enim eorum mentitur Scriptura, neque Spiritus Sanctus decipit servos suos prophetas, per quos placuit voluntatem Dei annuntiare hominibus, ut videntes haec fieri ne fallamur“ *(in Dan 4, 6)*. — Tertullianus quidem pro dignitate librorum nostrorum primum ad eorundem antiquitatem provocat: „Primam, inquiens, instrumentis istis [libris nimirum s. Scripturae] auctoritatem summa antiquitas vindicat“; sed statim addit: „Plus jam offerimus, *majestatem* Scripturarum, si non vetustatem: *divinas probamus*, si dubitatur antiquitas“ *(Apol 18 sq)*. Et Cyprianus: „*Deus*, inquit, *nos per Scripturas sanctas erudire et instruere dignatus est*, ut a tenebris erroris abducti et luce ejus pura et candida luminati viam vitae per salutaria sacramenta teneamus“ *(praef. in libros testimoniorum)*; et in psalmis eidem patri Spiritus Sanctus loquitur *(De habitu virg. 1)*. — Marius Victor. idem inculcat, aeni ad ipsam rationem religionis christianae pertineat: „Si ut nomine sic et re christianus est quispiam, necesse habet venerari Scripturas, inclamantes Dominum Jesum Christum: si igitur necesse tibi est scripturas recipere, est et necessarium ea, quae in ipsis de Christo dicuntur, sic quemadmodum dicuntur, accipias et credas“ *(De generat. Verbi 1)*.

„Dominus ait: Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei; ergo *scriptum est, et cessare debet ambiguitas*, quam auctoritas tanta condemnat“, ita Hilarius piet. *in Matth. 23;* idem: „Verba, inquit, Dei sunt, quaecunque prophetae locuti sunt“ *(in Ps. 118 n. 2)*. — Optatus denique ille milevitanus hisce alloquitur donatistas:

„Per judicia saecularia et leges publicas *divinae legis instrumenta* executione a plurimis extorquenda esse duxistis . .; *volumina* et *instrumenta dominica* extorsistis, quae jam dudum fuerant in commune possessa, extorsistis cum codicibus pallas" *(de schismate donatist. VI 5).*

b) Inviolabilem et divinam auctoritatem libris nostris inesse, christiani semper etiam usu et modo ostendebant, quo sacra volumina tractabant.

α) Huc pertinet jam cura et diligentia summa in libris illis describendis et conservandis adhibita; neque enim ullius operis litterarii tot extant manuscripta et editiones, tot docti et pii commentarii, interpretationes, versiones, quot ex omnibus fere temporibus nobis supersunt sacrae Scripturae. — Eandem christianorum erga sacros libros reverentiam testatur diligens illud studium, quo cavebant, ne vel minima unquam mutatio in iis permitteretur; cujus rei luculentum exemplum nobis tradit s. Augustinus in epistola quadam *ad Hieronymum (ep. 71, 5):* per tumultum nimirum populum christianum impedivisse, ne vox cucurbitae in prophetia Jonae transmutaretur in hederam. Idem nobis largius ostendunt controversiae origenianae.[1])

β) Ab ipsis initiis religionis christianae libri isti in publicis coetibus legebantur, cujus rei testes sunt jam Justinus *(Apol I 67)* et Tertullianus *(Apolog. 39).*[2]) Eorundem librorum explanatio homiletica per multa tempora ordinariam formam praedicationis ecclesiasticae constituebat; eidem libri materiam praebebant, qua pii artifices sacra exornarent loca.

γ) Nonnisi inde, quia divini existimabantur libri nostri, explicatur, quod intellectus eorum communissimo usu a ss. patribus non restringebatur ad sensum litteralem, sed ad sensus quoque sublimiores, typicum *nimirum* et mysticum, extendebatur, ea etiam conditione, ut nulla jam sententia, nullum vocabulum, „non apex,

[1]) Cf. Zeitschr. f. k. Th. XXX (1906) p. 241 sqq; 261 sqq; 430 sqq.
[2]) Uberius instruit Th. Zahn *Geschichte des N. T. Kanons I 139 sqq.* — Quodsi et aliorum scripta legebantur, haec non eadem ubique; et ipsa mox per ecclesias prohibebantur vel debita demum facta distinctione et cautione permittebantur; ita per conc. laodicenum *cn. 59 (Harduin I 791),* et per conc. carthag. III *cn. 47 (ib. 968).*

non littera" in sacra Scriptura inveniretur, quae mysteriis vacaret (Petrus Chrysologus *serm. 146*). Neque *enim* de ejusmodi sensibus cogitari potest, nisi populo fideli ejusque pastoribus prorsus persuasum fuisset, divinos se in libris suis audire sermones. „Spiritualis sensus Sacrae Scripturae, ita s. Thomas *Quodlib. VII a. 16*, accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut eis talis sensus possit accipi: quod ejus solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est . . Unde in nulla scientia, humana industria inventa, proprie loquendo potest inveniri nisi litteralis sensus, sed solum in ista Scriptura, cujus Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum".

Addebatur et expressior cultus sacer non solum privatus, quo fideles evangelia scripta super pectus portabant, sed publice quoque et solemniter decrevit concilium const. IV *can. 3:* „sacram imaginem Domini nostri Jesu Christi aequo honore cum libro sanctorum evangeliorum adorari debere".

δ) Neque hanc piam christianorum existimationem ignorabant gentiles: qui magnum se triumphum deportasse gloriabantur, si potuerint tormentis et machinationibus suis eos permovere, ut ipsis traderent Scripturas. Et multi quidem christiani illis temporibus mortem potius subierunt, quam ut sacra sua volumina gentibus committerent ad comburendum; „traditores" autem — sic enim vocabantur, qui timore mortis perculsi adversariorum voluntati obtemperabant — inter christianos contemnebantur et conversi gravissimae poenitentiae submittebantur.

c) Haec vero fides antiquae ecclesiae continuo usque ad nostra tempora fideliter custodita est, quod manifestum fit facile ex declarationibus omnium fere patrum, doctorum, theologorum, ex definitionibus conciliorum florentini praeprimis, tridentini, vaticani; ex multiplici denique praxi, qua Scriptura adhibetur et honoratur in liturgia, in decidendis fidei divinae quaestionibus, in jurejurando praestando. Qua in re etiam sectae haereticae conspirant, quotquot nomen vere christianum et fidem in Christi divinam auctoritatem retinebant. Cf. Pesch *o. c. n. 390—394.*

IV. Quid Judaei posteriores de Scripturae auctoritate senserint.

Antequam ad ulteriora progrediamur, paucis exponamus, quae fuerit evolutio doctrinae de Scriptura inter judaeos, ne per respectus ad eos in nostra tractatione distrahamur.

1. Inter judaeos fides antiqua etiam post populi dispersionem et veteris oeconomiae reprobationem integra perstabat, imo etiam justo plus intendebatur, ut apparet ex eorum traditionibus, quas rabbini in libros talmudicos collegerunt. Proxime de Thora seu de libris Mosis valent haec vel similia verba: „Qui affirmant Thora non esse a coelo, non habet partem in mundo futuro" *(Sanhedrin 10, 1)* vel quae leguntur *ib. 99 a:* „Etsi quis diceret integram Thoram esse a coelo, affirmaret vero vel unum versum non esse prolatum a Sancto [Deo], sed a Moyse secundum ejus arbitrium, de eo valet: contempsit verbum Aeterni".

Quamvis autem huic Thorae eminentiorem quendam locum inter Scripturae libros concesserint, tamen de aliis quoque libris similia proferunt talmudistae. Ita v. g. psalmorum quorundam inscriptionem „Mismor le David" hunc in modum interpretantur: „Schechina requievisse super Davidem, et tunc eum pronuntiasse ejusmodi psalmum" *(Pesachim 117 a);* librum vero Koheleth declarant „inquinare manum" i. e. librum esse prolatum per Spiritum sanctum et ideo tam sanctum, ut, qui eum tetigerit, manus lavare deberet, antequam ad profana opera rediret. — Et in genere etiam in Talmude duo isti modi citandi convertuntur inter se: „Scriptura dicit" et „Deus plenus misericordiae dicit".

Similiter cultus sacrorum librorum externus idem permanebat: libri sancte custodiebantur; in eorundem lectione et interpretatione multum temporis impendebatur. Violatio eorundem sacrilega etiam ab extraneis commissa gravissima poena plectebatur; ita Ventidius Cumanus procurator militem romanum, qui volumen legis petulanter discerpserat, capite damnare cogebatur (Josephus Fl. *Antiqu. XX 5, 4*; *bell. jud. II 12, 2).*

2. Justo plus autem traditionem veterem exaggerabant inde, quod non solum singulas sententias, sed et singulas litteras et singula signa de coelo esse allata existimarent. Ex qua opinione ad miras quasdam interpretandi rationes seu artes cabbalisticas descendebant: *gematriam* qua litterae alicujus vocabuli pro numeris accipiebantur et ex numeris sic inventis ulteriores doctrinae deducebantur, *notaricon* quo singulae litterae pro integris vocabulis sumebantur, *themuram* qua litterae permutabantur atque ita sensus abditi quaerebantur. — De his cf. libros introduct. v. g. Cornely *Introd.*[2] *I 622 sqq;* Winter-Wünsche *Die jüd. Litteratur seit Abschluß des Kanons (1896) 129 sqq.*

3. Extrema se tangunt: cum sic res in populo isto ad absurdum excessum pervenerit, reactio mox ad defectum inclinabat.

Et primus inter judaeos Moses ben Maimon (Maimonides) doctrinis eorum biblicis elementa rationalistica ad-

miscere atque rationem inspirationis ex naturali quadam dispositione explanare nitebatur, licet influxum extraordinarium retinuerit.[1]) — Magis defecit Baruch Spinoza (pantheista), qui cognitionem propheticam et cognitionem communem essentialiter non differre autumabat; utriusque rationem naturalem quandam esse participationem divinae naturae; unde ne in Scripturis quidem divinam vel sublimiorem scientiam quaerendam esse; si quid praecipuum esset prophetis, eos vividiore potentia imaginandi praecellere; hanc vero imaginationem propheticam certitudine per se destitui. — Spinozae „arctius adhaerebat" Moses Mendelsohn, qui similia prorsus profitebatur sentimenta.

Spinoza quidem ob horribiles haereses a. 1656 sollemni anathemate e synagoga eiectus est. Mendelsohn a judaeis talmudicis vehementer impugnatus. Quo tamen eventu ostendunt ea, quibus „moderni" judaei sententiam suam exposuerunt in *The jewish Encyclopedia VI 608 sqq:* „Recens theologia judaica scholae reformatae plane concedens humanam originem sacrarum Scripturarum et agnoscens res in iis relatas saepe pugnare cum probatis doctrinis modernae inquisitionis historicae, physicae, psychologicae, ad hanc conclusionem pervenit: Etsi antiqua theoria inspirationis litteralis divinitus factae relinquenda sit et scriptores judaei considerandi sunt ut homines infirmitatibus humanis subjecti, habentes suum quisque specialem stilum et sensum, nihilominus spiritus Dei in iis manifestabatur. Scriptura adhuc vim habet inspirandi omnem mentem devotam, quae eam legit vel audit . .; ipsa omni generationi loquitur divina auctoritate, qualem nullus alius liber vel litteratura possidet; . . . enthusiasmus religiosus ingenii eam totam fermentat, et veritas in ea enuntiata, quacunque forma induitur, non minus nunc movet homines quam olim movebat, quando primum a propheta, psalmista vel legislatore proferebatur, qui ipsi ferebantur virtute divini Spiritus. Haec theoria modernae theologiae, consona cum studio biblico et moderna inquisitione, quae sensa et formas Scripturae analysi subjicit et ad varios eorum fontes reducit, docet prophetam et sacrum scriptorem fuisse sub influxu divini Spiritus, quando novas ideas religiosas revelabat sive voce sive scripto. Sed humanum elementum non erat in iis extinctum, et consequenter quoad sententias, scientiam, formam loquendi non poterant nisi agere ut filii aetatis suae".

Attamen concedendum est, quod praeter hos „modernos" judaeos usque ad nostra tempora alii in traditione antiqua persistunt, imo sepem circa legem extructam etiam augent. Cf. de tota hac doctrinae inter judaeos evolutione Pesch *o. c. n. 8—33.*

[1]) Hic rationem inspir. essentialem in divino quodam influxu ponere videtur extraordinario quidem, attamen naturali; cf. Pesch *n. 24 sqq.*

§ 3. De fontibus et modo argumentationis.

Ut rem hic enodandam facilius intellegas, a limine considera, quod libri nostri plane sacri considerari possunt sub duplici respectu.

Ex una parte externam quandam et historicam praebent formam et apparentiam, in quantum et ipsi certa temporis differentia certisque occasionibus ad finem determinatum inter homines et ab hominibus conscripti eorumque custodiae traditi cernuntur. Inde quaestiones oriuntur de eorum origine externa seu de tempore, occasione, fine auctoribusque eorum humanis et subjugalibus, de eorum forma et fatis historicis *(apographis et versionibus)*, de eorundem denique interpretatione mere scientifica, de quibus omnibus ea anquirit disciplina, cui nomen est Introductionis in s. Scripturam. Huc referas illam quoque quaestionem, quam apologetae religionis christianae communiter tractatui suo praemittunt: de authentia, genuinitate, integritate mere historica sacrarum litterarum. Sub hac consideratione scientifica de libris sacrae Scripturae inquisitio normas sequitur scientiarum et disciplinarum affinium profanarum eo solo discrimine, quod normam habeat negativam ex consideratione sequente.

Sub diverso plane respectu hi libri in considerationem vocantur, quatenus ob suam absconditam originem divina induti auctoritate, fontem constituunt divinae revelationis. Haec consideratio, proprie dogmatica, praesentem provocat tractatum, quo defendimus: ecclesiam merito illos libros „pro sacris et canonicis habere propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt“ *(conc. vatic. s. 3 c. 2)*. — Dogmatici *igitur* theologi erit, dogma inspirationis demonstrare, vim et extensionem eius explicare, ad adversariorum objectionibus illud tueri. Et pro hac consideratione jam fontes et modus argumentandi inquirendi sunt.

I. Fontes. — Haec sacra illorum librorum propria origo seu divina inspiratio nonnisi ex revelatione divina cum certitudine cognosci potest; unde inspiratio ad doctrinas divina fide credendas pertinet. Fontes *autem*, ex quibus fides haurit, duo recensentur, Scriptura nimirum et Traditio; neque *enim* revelatio divina aliter nobis transmissa est nisi *aut* in libris divinitus conscriptis *aut* in iis sine scripto traditionibus, quae ab ipsis apostolis quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.

Ex his igitur duobus fontibus omnis in praesenti tractatu demonstratio procedere debet.

II. Modus argumentandi. — Modus argumentandi, ut fere intelligitur, jam alius esse nequit nisi, ut quae in fontibus assignatis leguntur, rite perpendantur et in variis conclusionibus exponantur. Attamen hic in promptu est difficultas. Traditio *enim* ipsa tandem aliquando omnem suam auctoritatem nobis manifestam reddit ex iis quae in Scripturis legimus; si igitur nunc ex hac traditione divinam s. Scripturae auctoritatem ostendere conamur, hoc non videtur fieri posse absque manifesto circulo vitioso. — Multo magis impedita videtur argumentatio pro dignitate Scripturae ex ipsa s. Scriptura, quae petitionem principii necessario inferre videtur. — Nihilominus utraque via argumentandi sine periculo iniri potest.

1. Ad hujus rei evidentiam attendere debemus id, quod ab initio de origine Scripturae distinximus. Secundum duplicem *nimirum* originem, duplex etiam distinguitur Scripturae auctoritas: *una* quae est mere historica et humana, quae iisdem principiis dijudicatur, quibus et fides historica aliorum inter homines documentorum, et *altera* quae est plane divina, quae eidem competit ratione inspirationis. Et hac distinctione supposita, probatur haec autoritas et inspiratio Scripturae divina ex Scriptura, in quantum eidem inest auctoritas humana et scientifica. Unde certe defectus logicus in argumentatione nostra evitatur. Scriptura *enim*, unde inspiratio probatur, profecto alia est atque Scriptura, quae probatur inspirata.

Statim *tamen* nova difficultas. Nonne modo diximus, inspirationem, de qua agimus, probari non posse nisi ex revelatione? Et Scriptura mere historice considerata numquid est revelatio? — Non hoc quidem, sed saltem eam continet. Si *enim* consideraveris Scripturam ex auctoritate ejus mere historica, jam ut talis documentum constituit, unde authentice et secundum fidem historicam scimus, quid prophetae, quid apostoli tradiderint, quid Christus Dominus ipse in sua humana natura tanquam legatus divinus docuerit et per tot miracula et

signa divina comprobaverit. Ita vel in ipsa sua historica et humana auctoritate Scriptura continet et tradit nobis, quae sunt divinae revelationis. Supposueris nunc inter haec, quae sic Scriptura prodit, illud quoque inveniri, quod ipse Deus tanquam proprius auctor sacram Scripturam integram conscripserit seu quod scriptura formaliter verbum Dei sit: et ecce Scriptura, ut organum historica fide dignum, ostendit mihi divinam revelationem, eandem Scripturam divinitus esse inspiratam. Hunc in modum sine ulla petitione principii ex libro, qui materialiter continet verbum Dei revelatum, ostendam eundem librum etiam esse formaliter verbum Dei seu inspiratum.

2. Eundem in modum in argumentatione, quae desumitur ex traditione, evitatur circulus vitiosus. Neque *enim* traditio in hac argumentatione auctoritatem suam petit ex Scriptura, ut supponitur jam formaliter revelata vel inspirata, sed iterum in quantum est fons divinae revelationis historicus seu quatenus doctrinam Christi et apostolorum historica fide continet et tradit.

Inspiratione ejusque existentia quoad aliquas Scripturae partes jam cognita his saltem partibus etiam qua inspiratis ad ipsam inspirationem magis illustrandam uti possumus.[1])

Corollaria. — 1. Ex fontibus traditio generatim clariorem in hac materia exhibet demonstrationem amplioremque illustrationem, unde pro praesenti doctrina majoris fere momenti est. Haec traditio imprimis cognoscitur cum testimoniis patrum atque theologorum, tum decisionibus magisterii ecclesiastici. Et per se testimonii, quod unanimi proferunt consensu theologi, eadem plane vis est atque ejus, quod desumitur ex pari consensu patrum. Cum *tamen* res nobis sit plerumque cum haereticis, qui praesumunt doctrinam christianam mox a temporibus apostolicis corruptam esse, apologetice et ad hominem major auctoritas invenitur in doctrina patrum eorumque antiquiorum.

2. Porro evidens argumentum ex doctrina tradita per se tunc tantum habetur, cum de conspiratione patrum vel theologorum constat; *neque tamen* necessarium erit, ut nunc etiam omnium vel plurimorum testium adferamus suffragia, cum de unanimi

[1]) De modo argumentandi ex ipsa indole ss. librorum in se spectata, prout sunt objecta obviae naturalis vel scientificae inquisitionis cui inter modernos auctores etiam non pauci favent catholici, cf. quae infra *cap. V de criteriis inspir. § 2* dicentur.

eorundem doctrina etiam ex testimoniis numero paucioribus sufficienter constare possit. De qua re recolas, quae in tractatu de divina traditione exponuntur, ex. g. Franzelin *tr. de divina traditione³ th. XIV p. 170;* Hurter *compendium theol. dogm. 1 th. 26 n. 133 sqq;* De San *c. VIII prop. 2 n. 188 sqq.* — Proferemus *igitur* communiter in singulis materiis unum vel alterum testimonium ex aetate apostolica vel ex apologetis saeculi secundi; ex iis, quae deinceps succedunt, magis seligemus ea, quae integras repraesentent scholas vel quibus major hac in re competat auctoritas; ejusmodi sunt suffragia s. Hieronymi ob eminentem ejus doctrinam exegeticam et s. Augustini ob ejusdem in re dogmatica singularem plane auctoritatem.

3. Testimonia ss. patrum non raro de Scriptura quidem in universum seu simpliciter agunt et sic immediate ad rem nostram in universum demonstrandam adsumi possunt. Nihilominus et praeclariora eorundem verba inveniuntur, quae directe non respiciunt nisi textus vel libros peculiares: quaeritur jam, num etiam hisce testimoniis in quaestione nostra magis generali uti possimus. Qua in re considerari debet, quod iidem patres, ut aliunde scimus, omnibus in genere libris, quos sub nomine Scripturae computabant, eandem attribuebant dignitatem; unde quod ratione hujus dignitatis de uno textu vel libro sacro asserunt, merito transferas ad universos, qui de eadem dignitate participant. Qua late autem haec Scriptura pateat vel olim inter patres patuerit, aliunde cognoscendum erit, ex historia nimirum canonis Scripturae. Cf. Van Laak *De sacrae Scripturae inspiratione atque inerrantia (1910) n. 210.*

§ 4. De litteratura et historia hujus tractatus brevis adnotatio.

Veteres scholastici et theologi communiter non ita distinctim de fontibus revelationis disputare solebant; considerabant Scripturam ut principium argumentationis, quod extra controversiam constitutum ejusmodi tractatione non egeret. Si de materia nostra, de sacra nimirum inspiratione loquuntur, hoc magis per incidens fit vel in materia dogmatica connexa; et ita s. Thomas sensum suum de inspiratione aperit, ubi *de prophetia* agit *2, 2 q. 171 qq;* Suarez autem, ubi disputat *de fide (disp. 5 s. 3);* similiter alii.

Cum propter controversias exortas, etiam de his rebus propaedeuticis magis accurate jam agendum et quaestiones apologeticae distinctius exhibendae essent, distinctim etiam de inspiratione propugnatores fidei agebant aut inter controversias, ut Bellarminus in *disputationibus de controversiis fidei,* ubi *De verbo Dei,* aut

specialibus operibus *de locis theologicis* ut Melch. Canus, aut etiam inter prolegomena ad sacram Scripturam.

Nos his in genere praemissis non recensebimus heic nisi opera praeclariora, quae jam separatim de ipsa Scriptura ejusque inspiratione inter catholicos edita, doctrinam hanc luculentius exposuerunt. Inter hos eminet

Card. J. Franzelin S. J. *Tractatus de divina traditione et Scriptura*[3] 1882; in qua tertia editione addidit *„Symbolen contra restrictionem inspirationis"*, qua dissertationem refellit ab Rohling confectam: *„De bibliorum inspiratione ejusque valore ac vi pro libera scientia"*.

Franc. Schmid *De inspirationis bibliorum vi et ratione 1885.*

Gummar. J. Crets O. Praem. *De divina Bibliorum inspiratione 1886.*

P. Dausch *Die Schriftinspiration 1891.*

C. Chauvin *L'inspiration des divines écritures 1896.*

D. Zanecchia O. P. *Divina inspiratio sacrarum Scripturarum ad mentem s. Thomae aquinatis 1899; Scriptor sacer sub divina inspiratione 1903.* — Doctrina tamen hujus auctoris non omni ex parte probari potest.

Lud. De San S. J. *Tractatus de divina traditione et Scriptura 1903.*

Sanctus Schiffini S. J. *Divinitas Scripturarum adv. hodiernas novitates asserta 1905.*

Card. Lud. Billot S. J. *De inspiratione sacrae Scripturae theologica disquisitio*[2] *1906.*

Christ. Pesch S. J. *De inspiratione sacrae Scripturae 1906,* quod opus reliquis amplius duobus distinctis libris procedit et priore agit de re nostra historice, altero dogmatice.

I. V. Bainvel S. J. *De Scriptura sacra 1910.*

G. Van Noort *De fontibus revelationis necnon de fide divina*[2] *1911.*

H. Van Laak S. J. *Institutiones theologiae fund. tr. VI de inspiratione Scripturae fasc. I. II. III. IV. 1911;* opus ad usum privatum editum, quemadmodum et sequens.

Idem *De sacrae Scripturae inspiratione atque inerrantia tract. dogmaticus 1910.*

Ceteroquin de inspiratione Scripturae celebriores quoque theologi agunt, qui *aut* de theologia in universum scripserunt, ut Heinrich *Dogmatische Theologie (1873) I 2. Buch 3. Kap;* Scheeben *Handb. d. kath. Dogmatik (1873) I 1. Buch 1. T.*

3 Hauptst; Tepe *Institutiones theologicae (1894) 1 tract. III;* Tanquerey *Synopsis theologiae dogmaticae (1910) I p. 655 sqq;* Hurter etc; *aut* tractaverunt de theologia fundamentali in specie, quorum nomina heic recensere longum est.

Historia porro hujus disciplinae ipsa tractatione sufficienter manifesta fiet; vix enim ullius doctrinae historica evolutio tam aequali passu methodicae expositioni applicari potest, quam quae est divinae sacrarum litterarum inspirationis.

Pars prior.

De ipsa inspiratione.

Sacra et divina est auctoritas Scripturae, ut in capite prodromo jam audivimus: haec auctoritas eidem inesse potest ex multiplici ratione. Hanc denominationem assumere potuit vel propter auctores suos humanos, qui a s. Petro dicuntur „sancti Dei homines“ *(2 Pet 1, 25)*; divina dicitur merito ratione argumenti quod continet, quod est divina revelatio, *vel* ratione fructuum, quos producit, et finis, ad quem aspirat et qui in sanctitate et unione cum Deo invenitur. *Praeprimis* vero sacra et divina dicitur ratione propriae originis, qua auctorem habet ipsum Deum, qui per voces et signa, quibus componitur Scriptura, divina sua sensa nobis manifestavit. In hac divina origine, quam jam inspirationem appellare consuevimus, intima et formalis ratio consistit, qua Scriptura in propria sanctitate et in culmine auctoritatis constituitur.

Res haec est plane mira, de cujus existentia inprimis certiores reddi debemus; hac existentia autem manifestata, ex ordine disputabimus de ejusdem natura, extensione, cognoscibilitate, consectariis. Ab initio vero pauca de inspirationis notione praemittenda sunt.

Caput I.

De notione inspirationis.

Vox latina inspirationis originem suam in re praesenti ex Graeco sermone sumpsisse videtur, in quo jam sonat θεοπνευστία, secundum quod legitur in s. Scriptura: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος *(2 Tim 3, 16)*. — Quid sibi vult ista vox?

I. *De ipsa voce graeca.* — 1. Etymologice secundum formam grammaticam, qua adjectivum verbale est derivatum a verbo πνέω, significare potest *tum* passive „a Deo inspiratus", *tum* active „Deum spirans". De facto tamen sensum passivum fundere omnino videtur; pro qua re duas accipe rationes.

a) *Generatim* jam adjectiva verbalia in τος significationem passivam communiter retinent; ita ἔμπνευστος est inflatus; occurrit tamen et alterum v. g. in voce εὔπνευστος (= qui libere respirat). Quae autem *in specie* cum Θεὸς componuntur, hunc sensum quasi ex regula assumere videntur; ita θεόγνωστος, θεόδοτος, θεοκίνητος, θεόπεμπτος et alia.

b) Scriptores graeci, qui indolem linguae suae nosse merito praesumuntur, unanimiter et constanter vocabulum nostrum sensu passivo interpretabantur; ita jam Clemens al. et Origenes.[1])

c) Cum igitur regula et consuetudo inter linguae peritos sensui passivo faveat, neque ulla ratio in casu nostro contraria appareat, merito in hac vocis usurpatione manemus. In qua ceteroqui convenire videntur et lexicographi et grammatici, uno forte excepto H. Cremer, qui in *Bibl.-theol. Wörterbuch der neutestamentl. Grăcität* Scripturam intellegere vult θεόπνευστον i. e. „Deum spirantem".[2])

2. Usum vocis quod attinet, semel tantum vox θεόπνευστος in s. Scriptura *(2 Tim 3, 16)* legitur; saepius occurrit in litteris graecorum profanis, ast et hic non ita frequenter.

Tamen et hic usus etymologiae passivae omnino favere videtur. Ita Plutarchus vocem trahit ad somnia, quae sic dicit „a Deo immissa": τοὺς ὀνείρους, inquiens ex sensu cuiusdam Herophili, τοὺς θεοπνεύστους κατ' ἀνάγκην γίνεσθαι *(de placitis philosophorum V 2)*; eundem in modum apud Phokyliden legimus: τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος (Ποίημα νουθετικόν *121*). — Similiter in Oraculis Sibyllinis *(V 405, al. 406)* homines dicuntur θεόπνευστοι, quia a Deo vitam immissam acceperunt; *ib. v. 307, al. 308* fontes calidi dicuntur θεόπνευστοι eo, quod a numine quodam moveantur et ita commoti ebulliant (Pesch *o. c. n. 4)*.

[1]) Cf. Prat *Origène p. 117.*; Bonwetsch *Studien zu den Kommentaren Hippolyts 20.*

[2]) Cf. Winer-Moulton *Grammar of New Testament Greek*[5] *120*; Wilke-Grimm *Lexicon Graeco-Latinum in libros Novi Testamenti*; Zorell *Novi Test. Lexicon Graecum* sub voce.

Crebrior jam usus vocis ecclesiasticus apud patres graecos observatur, qui eam s. Scripturae inprimis attribuunt. Ita in *Philocalia* (a s. Basilio et Gregorio nyss. ex operibus Origenis excerpta) doctrinae de inspiratione Scripturae inscribitur: περὶ τοῦ θεοπνεύστου τῆς γραφῆς; et Origenes ipse vocem explicat *c. Celsum V 60*: ὅτι τὰ μὲν βιβλία θείῳ γεγράφθαι πνεύματι ὁμολογοῦμεν. — S. Athanasius terminum nostrum in magistros trahit s. Scripturae: τῶν αὐταῖς ἐντυγχανόντων θεοπνεύστων διδασκάλων; et Clemens al. eundem terminum in ipsa ethnicorum scripta adhibet dicens: ἐπιπνοίᾳ Θεοῦ πρὸς αὐτῶν μὲν ἀναγεγραμμένα.

Accommode conferas usum analogum, quo hagiographi seu scriptores librorum sacrorum dicuntur θεοφορούμενοι vel πνευματοφόροι i. e. a Deo acti vel Spiritum Dei in se ferentes. Quibus omnibus sensus vocis passivus apte infertur.

II. *De voce latina.* — Hucusque de voce graeca θεόπνευστος; vox ista, ut jam insinuavimus, per versionem Vulgatam latine vertitur inspirata; quid nunc de hac voce dicemus? — Haec versio vocis novam quandam confirmationem exhibet, quod recte in sensu passivo intelleximus vocem graecam θεόπνευστος; neque enim aliter inspiratum intellegere poteris, nisi passive. De sensu vero huius vocis deinde haec considera.

1. Significatio generalis verbi inspirare propria, quae etiam etymo vocis correspondet, est immittere spiritum, halitum, ventum; unde statim vox transfertur ad significationem universaliorem: immittere aliquid in genere. Ita haec vox invenitur *Gen 2, 9*, ubi Vulgata de creatione hominis interpretatur: „inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitae"; eodem modo deinceps saepe v. g. *Sap 15, 11; Act 17, 24 sq; Eccli 4, 12.* — Simili usurpatione vox occurrit apud profanos scriptores e. g. Virgil. *Aen. I 692:* „occultum inspires ignem", Curtium *IV 13:* „inspirare fortitudinem". — Secundum eandem rationem etiam personae dicuntur inspiratae vel inspirari eo, quod ea re implentur, quae iis immissa seu inspirata est, v. g. a Justino dicente: „unde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur h. e. divino spiritu oestroque impleri" *(43, 1);* cf. Forcellini s. v.

2. Inde facile intellegitur, quod usus vocis theologicus in eo invenitur, ut inspiratio divina aliquam motionem divinitus animae immissam significet, per se qualemcunque.

a) Reapse de varia et diversissima inspiratione in operibus theologorum sermo est. Ita in ordine ad intellectum assistentia illa divina, qua concilia oecumenica ab errore praemuniuntur, in-

spiratio vocatur v. g. a Leone M., qui de decretis concilii chalced. asserit: „nihil posse huic regulae, quae ex divina inspiratione processit, addi"; hoc nomine species ista revelationis, quae signis non externis, sed internis fit, appellatur a Cassiodorio in *prolog. super Psalterio c. 1.* — In ordine vero ad voluntatem eam gratiam supernaturalem inspirationem dicunt, qua ea, quae spectant ad finem supernaturalem, sicut oportet velimus *(conc. arausic. II c. 7)*. Et in genere omnem salutarem Dei influxum animae hominis immissum nomine inspirationis denotant auctores ecclesiastici. Ita canonistae loquuntur de electione secundum modum inspirationis facta, quando nimirum eligendus per insolitum quendam influxum divinum apparet designatus.

b) Theologi dogmatici porro usum loquendi magis restringebant, ita ut inspirationem per excellentiam appellarent hinc inde non communem eam, quae omnibus christianis in gratia actuali obtingeret, sed charismaticam tantum, qua pauci extra communem ordinem donati essent. — Sed et in hac usurpatione voci inspirationis modo ampliorem modo angustiorem extensionem attribuebant. Ita *interdum* omnem revelationem supernaturalem, quae non extrinsecus, sed in ipsa mente hominis fieret, inspirationem vocabant; *interdum* ex ipsis his internis mentis illustrationibus eas tantum, quae cum impulsu conjunguntur res revelatas ad alios communicandi. „Imo hanc distinctionem ita etiam ordinarunt, ut revelationem eam vocarent, qua ignota manifestarentur, inspirationem vero solum impulsum vera communicandi, etsi forte aliunde jam nota" (Denzinger *Vier Bücher von der relig. Erk. II 152*); cf. Pesch *n. 3.*

3. Ita ex usu theologorum inspiratio, quae proprie dicitur, eo usque videtur restricta, ut sit motio quaedam supernaturalis, qua homines incitantur, ut ea, quae Deus vult, aliis communicent. Cum autem haec ad alios communicatio fieri possit et loquendo et scribendo, haec quoque inspiratio duplex distinguitur: inspiratio prophetica *(ad loquendum)*, inspiratio biblica *(ad scribendum)*. Agentibus igitur de inspiratione Scripturae inspiratio nobis jam erit illa divina motio ad scribendum, vi cujus libri sacri, quamvis proxime per hominem hagiographum videantur conscripti, reapse sint Dei eumque vere habeant auctorem. Hunc in modum ipsa „ecclesia eos pro sacris et canonicis habet propterea, quod Spiritu Sancto

inspirante conscripti Deum habent auctorem" *(conc. vatic. s. III c. 2)*.

a) Tria in hac inspiratione merito discernas: causam, subjectum, terminum. Terminus inspirationis ipse liber sacer erit, qui inspiratione divina cooperante homine efficitur; subjectum inspirationis homo est, in quo divina ad scribendum motio proxime recipitur ut in organo seu instrumento divino; causa autem efficiens Deus est. — Intellexeris fere, qua ratione distinguatur inspiratio activa, passiva, terminativa. Activa divina est actio in hagiographum exercita; passivam dixeris illam actionem seu motionem, quatenus a scriptore humano recipitur; terminativa ipse liber est sub motione divina conscriptus. Quando igitur Scriptura ipsa dicitur inspirata, hoc de inspiratione terminativa intelligi debet.

b) Immediate patet, quod ille influxus divinus inspirativus confundi nequit cum concursu naturali, quo generalissime Deus in omnes actiones omnium creaturarum influit. Est *enim* inspiratio influxus plane particularis, quo quae scribit homo, non tam sint ipsius, quam potius Dei inspirantis divina eloquia. Id de operibus et actibus humanis in genere dici nequit, quae, licet cum concursu divino generali fiunt, ab homine proxime determinantur eique proprie adscribuntur. — Neve confundas conceptus auctoris et inspiratoris, neve conceptus revelationis et inspirationis, de quorum distinctione alibi recurret sermo.

III. Homines qui sacros conscripserunt libros, olim passim et communiter prophetae dicebantur.[1]) Quare etiam de hac voce pauca notemus. Derivatur autem vox graeca προφήτης a verbo πρόφημι, quod compositum apparet ex προ et φημι; hoc alterum latine est loqui; particula autem προ ex communi interpretatione vim eam habet, ut sit „pro alio" seu „loco alterius".[2]) Cum *igitur* ex ipsa etymologia propheta est, qui loquitur loco alterius, usus ejusdem vocis pro hagiographis seu scriptoribus s. Scripturae, quae „a Deo commoti", „nomine Dei" scripta sua hominibus ediderint, facilem habet explicationem.

---

[1]) Cf. Pesch *o. c. p. 382 sqq.*

[2]) Aliter sentit Tertullianus dicens: „prophetae de officio praefandi vocantur" *(Apol. 18 sq)*. — Ceterum cf. de hac voce *Zeitschr. f. k. Th. XXVIII (1904) 273 sqq.*

Neque igitur in hac voce cogitandum est, ac si de essentia prophetae esset annuntiatio rerum futurarum, quamvis haec cum munere prophetae facile conjungatur; idque duplici ratione. Cum *enim* maxime in prophetis veteris testamenti ageretur de praedicatione salutis et redemptionis generis humani, quae tunc a temporibus futuris expectanda erat, propheticus sermo facile rationem praescientiae et praedictionis rerum futurarum adsumpsit. *Insuper* qui divina enuntiat eloquia, suam auctoritatem ostendere debebit, pro qua re annuntiatio rerum futurarum peculiare momentum habet. „Eodem fere modo quo antiqui — ita Cornely *com. in 1 Cor 14 (de linguarum dono et prophetia) p. 414* — etiam novi prophetae praedicatores erant a Spiritu Sancto inspirati, qui exhortationibus et monitis suis neophytas ad virtutum exercitium excitabant stimulabantque; quod ut majore cum auctoritate et efficacitate praestare possent, Spiritus Sanctus occultis auditorum rebus revelatis sese in prophetis loqui aliquoties manifestabat, interdum etiam res futuras per eos annuntiabat".

Caput II.

De existentia inspirationis.

Veritas hic asserenda et defendenda pro religione revelata christiana vere fundamentalis est et dogma fidei continet, saltem si prorsus in genere enuntiatur et abstrahitur a modo rem accuratius explanandi: id plane manifestum fit ex declarationibus authenticis, quae nobis in argumentatione nostra occurrent. Quoad argumentationem vero haec praenota.

1. Ex rationibus internis quaedam quidem adferri possunt, quae divinam Scripturae indolem nobis commendent vel et suadeant, strictum vero argumentum pro ipsa divina inspiratione sensu catholico intellecta exhiberi inde non potest. Neque consentimus cum Schell, qui in Apologie des Christentums² *II 1*: „Der Glaube, inquit, an die Göttlichkeit der Offenbarung, die im Alten und im Neuen Bunde an Israel und die Menschheit herangetreten ist, gründete diese Überzeugung von Anfang an auf die Vorzüge, durch welche sich diese Offenbarung ihrem Inhalte nach als göttliche Weisheit, ihrer Wirksamkeit nach als göttliche Kraft erwies", et paulo post: „Bei einer

Offenbarung muß naturgemäß die Göttlichkeit des Lehrinhaltes das erste Merkmal des göttlichen Ursprunges sein". De hoc errorre conferenda sunt quae in Apologetica de ratione criteriorum divinae revelationis exponuntur.

2. Nihil restat nisi ut fontes positivos adeamus, s. Scripturam nimirum et divinam traditionem, in qua re, quantum fieri potest, nos accommodemus ordini historico.

Brevis tamen commonitio praemittenda est de modis, quibus fontes nostri in genere factum inspirationis exhibent. Saepe directis verbis id unum affirmant, Deum auctorem esse Scripturae; cum autem vox „auctoris", ut lexica ostendunt et nos postea ipsi videbimus, anceps sit neque unius virtutis, ambiguitas tollenda erit. Qua in re auxilium habebis opportunum ex aliis testimoniis eorundem fontium, quibus v. g. edocemur, homines Deo ut instrumenta inservivisse in iisdem libris conscribendis. Sic manifestum fit Deum in eodem ordine auctorem esse quo homines instrumenta i. e. in ordine causae efficientis.

Ex altera parte fontes saepe id unum docent, Deum sacras litteras inspirasse: qui terminus iterum non unius virtutis est. Non igitur ex solo vocabulo inspirationis qua tali statim concluseris, quod Deus illis locis ut auctor Scripturae in sensu nostro exhibeatur. Quare etiam in hoc casu accuratius inquirendum erit sive ex contextu sive ex aliis eorundem fontium dictis, qualem significationem ista vox subeat.

Ideoque in argumentatione duo elementa „auctor" et „inspiratio" apte conjungi debent: quae ceteroquin et fontes nostri non raro in eodem textu conjungunt, ex quibus testimoniis aptissima simul et brevissima argumentatio instituetur. — Quodsi in imaginibus de re nostra testes loquuntur, ad notissimum principium attendendum erit: imagines *nimirum* non esse ultra modum urgendas, sed iis accommodandas, quibus illustrandis adhibentur. Quando *igitur* hagiographum calamo vel citharae comparant, quibus Deus usus sit, rationem utique instrumenti hagiographis adscribunt, non tamen etiam rationem instrumenti irrationalis vel inanimis.

3. Ad ipsa argumenta accedamus, quibus palam fiat, quod ex doctrina catholica Scriptura merito dicitur sacra et divina, eo quod Spiritu S. inspirante conscripta Deum habet auctorem *(conc. vatic. l. c.)*.

§ 1. De doctrina ipsius Scripturae.

Literatura: Ex operibus generalioribus, imprimis cf. Pesch *o. c. a n. 377;* Van Laak *de s. Scr. insp. atque inerrantia a n. 280.* — In specie de re agit Fr. Leitner *Die prophetische Inspiration, bibl. patrist. Studie.*

I. Praeambulum de fide Judaeorum. — 1. Possumus etiam hac in re provocare ad fidem judaeorum, quae ex testimoniis Josephi Flavii et Philonis necnon et talmudicorum doctorum supra allegatis jam sufficienter patet.

His enim testibus judaei, qua populus integer, Scripturas qua tales i. e. ut scriptas credebant verbum Dei et opus prophetarum, quorum „Deus utitur organis ad manifestanda ea quae vult"[1]), qui „in persona Dei oracula ediderunt inspirati"[2]), „qui nihil de suo proferunt, sed omnia aliena alio suggerente", „Deo nimirum intus suggerente, quae dicenda sunt"[3]), unde et libros qua tales praedicabant „divina dogmata"[4]), in quibus nihil addi nihilque mutari debeat[5]), omnia et singula autem sensibus sublimissimis abundent, ut ex modo interpretandi Philonis apparet.

Quibus omnibus apte consideratis fere patet, libros sacros in ipsa scriptione seu existentia sua ad Deum referri, manifestius etiam, quando notionem prophetae ad hagiographos disertius applicant qua scribentes: „sacros libros accipientes cum his manus in caelum levabant Deum rogantes, ne a proposito deficerent", et sic „inspirati prophetabant, non alius alia, sed eadem omnes nomina et dicta, quasi monitore aliquo singulis invisibiliter insufflante."[6])

Fides eadem judaeorum de inspiratione manifestissime in traditione talmudica exhibetur, de qua recolligas, quae allegavimus pg. 15.

2. Magnum momentum habetur in hac ipsa fide, vel qua judaeorum est. Argumentum vero jam omnino perficitur ex subsumptione: *Atqui* hanc judaeorum de sacra Scriptura fidem neque Christus neque ejus apostoli

---

[1]) Jos. *ad Appionem I 8,* Philo *De monarchia § 9.*
[2]) Philo *De Cherubim p. 116.*
[3]) Philo *Quis rerum div. her. n. 249 sqq; de poenis et praemiis p. 918.*
[4]) Josephus *l. c.*
[5]) Philo *de vita Moysis I 5 n. 29.*
[6]) Philo *de vita Moysis l. c.*

unquam improbabant; quin etiam confirmabant. *Quare* merito de hac communi inter judaeos et christianos fide Origenes testatur c. *Celsum V. 60:* „Dicemus, inquiens, in confesso esse apud utrosque [judaeos nimirum et christianos], Biblia divino spiritu fuisse scripta: de illorum autem interpretatione nos cum judaeis dissentire".

Quaesiveris, qua ratione Christus et apostoli fidem istam confirmaverint. Manifesto inde, quod Scripturas in eadem auctoritate ponebant atque judaei, quod sicut hi verba Scripturae oracula habebant ipsius Dei; quod sicut hi putabant, ne iota quidem vel apicem unum ejusdem Scripturae praetermitti debere etc.[1])

3. Merito jam quaeritur, *unde judaei istam persuasionem hauserint*. — Judaei in ipsis sacris litteris non raro modum invenire poterant accuratius descriptum, quem prophetae in concinnandis libris suis tenuerint, et qui conceptui nostro inspirationis plane concordet. Legas integrum caput 36 apud Jeremiam, unde pauca heic depromamus: „Factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino dicens: ‚Tolle volumen libri et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversum Israel et Judam, et adversum omnes gentes, a die qua locutus sum ad te. .' Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriae et scripsit Baruch ex ore Jeremiae omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri." Postea cum Baruch legeret librum principibus populi, hi „interrogaverunt eum dicentes: ‚Indica nobis, quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius'. Dixit autem iis Baruch: ‚Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento'." Similiter denuo scriptus est idem liber, cum jussu regis Joakim combustus esset. — Tria autem hic exhibentur elementa, quibus conceptus genuinae inspirationis fere absolvitur: ipsa scriptio ex mandato Dei processit; scribenda determinata erant per Deum et sermones Ejus; secundum haec liber de facto a propheta concinnatus est.

Similia autem leguntur de aliis sat multis libris propheticis vel partibus eorum: ita jam *Exod 17, 14; 34, 27;* similia iterum

[1]) Erraverit Philo, erraverint et rabbini isti talmudici in conceptu inspirationis magis expoliendo, in declarationibus quibusdam, in quibus proprio ingenio vel traditionibus scholarum indulserint: ad essentiam rei quod attinet, quod nimirum scriptio sacrorum librorum ex supernaturali instinctu et vera inspiratione profecta sit, persuasionem religiosam populi sui fideliter exhibent, et in hac re ipsis et Christum et apostolos consentire videmus.

Is 8, 1; 30, 8; 34, 16; Hab 2, 2 sq; Ez 24, 2; Dan 8, 26; 12, 4 etc. Ubique mandatum recurrit divinum ad scribendum, determinatio materiae scribendae, executio prophetica. Utique ubique agitur directe de libris eorumve partibus quibusdam determinatis et particularibus. Sed scimus aliunde populum judaeorum pari reverentia omnes Scripturae suae libros eorumque partes admisisse, eandem omnibus attribuisse divinam auctoritatem, rationem autem hujus reverentiae propheticam eorundem librorum originem fuisse. Ergo si omnibus par auctoritas, eadem quoque omnibus divina origo, formalis auctoritatis illius ratio, tunc in populo isto concedebatur.

II. Praeambulum de argumentorum vi et ratione. — In argumentatione nunc instituenda *imprimis* recorderis, quae supra insinuavimus, quod Scripturam, unde materiam argumenti desumimus, hic non consideramus qua inspiratam, sed tantum ut fontem historice authenticum, quo praedicatio Christi et apostolorum nobis manifestetur.

Quod *porro* doctrinae ipsius Christi vis plane peremptoria competit, immediate evidens est; ipse enim, divinus legatus, divina plane auctoritate in doctrina proponenda utitur. — Quod autem ss. apostolos attinet, hi *ut integrum collegium* ex verbis ejusdem Domini nostri manifestis charismate infallibilitatis instructi sunt; id quod etiam attendas, si quid hac in re Petrum, caput apostolorum, proferentem audiveris. — Cum alios apostolos *singillatim sumptos* audierimus, eos habemus saltem testes fide dignissimos, qui sensum Christi bene noverint et fideliter tradiderint; *insuper* et illos singulos pro se dono infallibilitatis ornatos fuisse, ex traditione ecclesiae infallibilis alibi ostenditur.

Extat autem duplex argumentum in hoc fonte: *prius* magis implicitum vel indirectum, ex modo nimirum quo Christus et apostoli Scripturis utebantur; *alterum* directum ex testimoniis quibusdam magis disertis apostolorum Petri et Pauli, quibus inspiratio Scripturae nudis verbis asseri videtur.

A. Argumentatio indirecta.

Hoc argumentum in genere in eo est, quod verba sive textus Scripturae, formaliter quatenus in Scriptura

exstant ibique leguntur, per Christum et apostolos Deo tanquam proprio et principali auctori attribuuntur. *Ergo*, haec conclusio statim se imponit, ut sunt scripta, a Deo exorta sunt, non utique a Deo ut a causa pro se agente, sed mediantibus hominibus hagiographis quasi instrumentis i. e. per inspirationem. — Qua in re haec velis ex ordine considerare.

a) Scriptura per Christum et apostolos ita ad Deum ut loquentem refertur, ut hic aut Spiritus Sanctus qua auctor principalis ejusdem ponatur in recto, homo vero ut instrumentum in obliquo. Ita v. g. ab evangelista Matthaeo verba prophetae inducuntur tamquam „dictum a Domino per prophetam dicentem: ex Aegypto vocavi filium meum“ *(2, 5)*; *Act 1, 16* Petrus fratres apostolos alloquitur: „Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.“

Homo hagiographus *ex sua parte* qua scribens exhibetur loqui in Spiritu Sancto. Ita v. g. Christus: „Quomodo, inquit, ergo David in Spiritu vocat eum (Christum) Dominum dicens [in psalmo utique scribens]: ‚Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis‘“ *(Matth 22, 43)*; similiter *Mc 12, 36*.

Jamvero duplex ille procedendi modus non bene intelligitur suoque fundamento caret, nisi Deus ipse eorundem verborum per hagiographum auctor sit, praecise quatenus scripta sunt. *Etenim* verba illa Dei dicuntur esse *aut* praecise quatenus scripta et in libris consignata sunt, *aut* quatenus formaliter ab Ipso dicta sive revelata et a propheta proprio Marte consignata. *Atqui* ut inveniuntur locis citatis, in se inspecta saepius nullatenus sunt verba formaliter dicta ab ipso Deo et a propheta tantum relata, sed ut talia per se essent ipsius prophetae (cujus scriptio utique modus quidam locutionis habetur et ideo etiam nomine „oris“ denotari potest). *Ergo* ejusmodi sententiae Deo non tribuuntur, nisi quia earundem sub hagiographo, vivo instrumento suo, latet Ipse proprius et principalis auctor sive scriptor. Profecto nisi ita

esset, Deus numquam posset assumi ut principalis eorum auctor in directa oppositione ad hagiographum.

Neve igitur dicas: Deus ita inducitur, quia verba prophetae Dei eloquia sunt propter revelationem divinam, non ita propter scriptionem divinam. — Statim *enim* animadvertas, quod simili modo eae quoque partes Scripturae a Deo profectae esse dicuntur, in quibus exhortationes ipsorum hagiographorum propriae eorumque narrationes de Deo loquente vel agente exhibentur. Ejusmodi allegationes inveneris *Heb 4, 4 sqq:* „Dixit Deus in quodam loco de die septimo sic: ‚et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis' . . . iterum terminat (ὁρίζει) diem quendam, ‚Hodie' in David dicendo: .. . hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra . . .". Verba ista ut jacent psalmistae sunt, qui iis populum exhortatur, ea sunt, quibus Moses enarrat, quae Deus fecit, non revelans dixit. Ergo non ut verba proxime revelata ab apostolo Deo adscribuntur. — Similia legis *Act 4, 25:* „Qui (Domine) Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti: ‚quare fremuerunt gentes . . . astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus'". — Largiora inveneris *Hebr 1, 6 sqq.*

b) Idem multo evidentius patet ex sequenti consideratione. Non raro Deus per apostolos inducitur loquens in Scriptura hic et nunc ad homines coaevi temporis, ita ut ad eosdem nunc verba illa dirigat, quae olim ad alios prorsus homines destinata erant. *Jamvero* per formam praesentis temporis sententiis alicujus libri loqui vix quisquam dicitur, nisi qui sit causa et auctor formae illius permanentis (scriptionis nimirum), qua verba libri in sua virtute communicativa usque retinentur, nisi ille qui scripserit librum. His *igitur* Deus nova manifesta ratione declaratur auctor Scripturae, praecise quatenus scripta est.

Ad illustrandam majorem considera, quae s. Paulus exhibet *Heb 10, 15:* „Contestatur nos et Spiritus S.: dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas etc." et iterum *ib 3, 7:* „Dicit [utique nobis] Spiritus S.: Hodie si vocem audieritis, nolite obdurare corda vestra. . ." — Simili ratione occurrunt verba Domini apud *Matth 22, 31:* „De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham. . .", quae sunt ex *Ex 3, 6.* Quem in textum merito Knabenbauer animadverit: „Verba illa vocantur ‚dicta vobis', quia s. Scriptura non est solum liber narrationum

rerum gestarum, sed est verbum Dei loquentis per scriptorem ad omnes, ut omnes erudiantur et doceantur et ad omnem virtutem admoneantur".

c) Hinc jam non miraberis, quod et ipsa Scriptura ponitur loco Dei scribentis i. e. quod ordine inverso, quae dici non possunt nisi de Deo, de Scriptura dicantur; vel etiam quod ea, quae dici non possunt nisi a Deo, Scripturae simpliciter supponuntur. Hujus rei exemplum legeris *Gal 3, 8:* „Providens [i. e. praevidens] Scriptura praenuntiavit Abrahae: quia benedicentur in te omnes gentes"[1]). — Alter modus occurrit *Rom 9, 17:* „Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam et annuntietur nomen meum in universa terra"; vel *Gal 4, 30:* „Sed quid dicit Scriptura? ejice ancillam et filium ejus; non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae", quae sunt verba ipsius Dei; cf. et *Jo 7, 38.*

Nota. *Dubitaveris forsitan,* num, quae modo in singulis quibusdam textibus ostenderimus, statim ad universam Scripturam qua talem extendi possint. — Ad dubium istud removendum recogites quaeso, quod vix credibile est de illis textibus quidquam hac in re particulare valere. Si *enim* hoc obtineret, auctoribus sacris de his textibus particularis cognitio divinitus fieri debuit; id quod admitti nequit. Neque etiam quidquam particulare de sententiis illis notant, sed sub ratione generali, quod eae in Scriptura leguntur, eas allegant. Ratio *igitur,* ut textus illi auctori tribuerentur Spiritui Sancto, universalior erat, non alia nisi quod textum illum invenerint partem Scripturae et Scriptura qua talis sententiis suis divinam originem vindicaret.

B. Argumentatio directa.

I. Textus hac in re quodammodo classicus desumitur ex ***2 Tim 3, 14 sqq:*** „Tu vero (o Timothee) permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris et quia ab infantia sacras litteras ([τὰ] ἱερὰ

[1]) In haec verba notat Cornely: „Figura, qua Scriptura providisse .. et praenuntiasse dicitur, non est mera prosopopoeia, ut moderni multi tenent, sed metonymia, ita ut ex hoc loco ad divinam Scripturae originem legitime concludamus; cum Origene enim patres et antiquiores interpretes recte monent, Scripturam hic esse nominatam pro auctore Deo".

γράμματα) nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu". Et rationem addens, cur Timotheus in his Scripturis sacris instructionem quaerere debeat, pergit: „Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia" — graece: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, κτλ.

1. Exegesis textus. — a) Imprimis quaeritur, quid sibi velint termini „omnis scriptura".

α) Et „omnis" per se potest dupliciter intellegi: collective, ita ut sensus sit integra *(die ganze, alle hl. Schrift)*, vel distributive i. e. singulae partes *(jedes einzelne Buch, jeder einzelne Text der Schrift)*. Pro re praesenti indifferens est, *num* omnis significet universam Scripturam, *an* quemlibet ejus librum; ex graeco *tamen* textu, ubi vox πᾶσα occurrit sine articulo, magis probatur sensus distributivus.

β) Quid autem significabit terminus „Scriptura" in textu nostro? — Ante omnia notum est, terminum illum temporibus, quibus s. Paulus epistolam illam dedit ad Timotheum, determinatum prorsus sensum induisse: nomen *nimirum* excellentiae fuisse, quo certa et determinata librorum collectio designabatur, quibus hoc nomine singularis quaedam et divina auctoritas attribueretur (cf. quae diximus in prodromo). — Hanc significationem terminum illum in textu nostro retinere, facillime ex contextu ostenditur. Verba *enim* „omnis Scriptura utilis ad docendum" ad ea referuntur, de quibus immediate ante Timotheo dictum est: „ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem"; „sacrae *igitur* litterae" et „Scriptura" in textu nostro unum idemque sunt. *Atqui* „sacrae illae litterae", quas Timotheus dicitur nosse ab infantia, absque dubio libri prorsus determinati et inter judaeos simpliciter sacri sunt. *Ergo* eadem vis est vocis Scripturae.[1]) — *Ceteroquin* apostolus

[1]) Neque quidquam interest, utrum in textu graeco ἱερὰ γράμματα legatur cum articulo τά, an hic articulus omittatur, ut Tischendorf vult; in utroque casu de eadem re cogitari debet.

nomen Scripturae in suis epistolis alio modo non adhibet nisi de sacrorum nostrorum librorum collectione.

γ) *Neve dubitaveris*, Scripturam ab apostolo in textu nostro intendi sub formali ratione Scripturae seu quatenus scripta est. *Etenim* singulos effectus salutares, quos s. Paulus simul cum inspiratione (et vix non ratione ejus) extollit, Scriptura in Timotheo neque habet neque habere potest, nisi quatenus legitur ideoque quatenus scripta est. Omnia *igitur*, quae Paulus de Scriptura effert, ad eandem qua scriptam referuntur; idem ergo teneas etiam de inciso „inspirata". — *Ceteroquin* Apostolus directe scripturam appelat, de scriptura loquitur; scriptura autem libri ipsi scripti sunt.

b) Ad hanc „omnem Scripturam" nunc refertur vox „inspirata"; ast qua ratione? — Per se enim haec vox cum Scriptura conjungi potest simplici copula *est* tanquam praedicatum. Poterit etiam, praesertim si sequaris textum latinum Vulgatae Clementinae, ad Scripturam referri tanquam attributum; et quia est participium, hoc attributum ex textu latino poterit per se resolvi in sententiam relativam cum *sensu conditionali* sive *restrictivo* (= omnis scriptura, quae i. e. *si* est inspirata), vel in sententiam relativam cum *sensu causali* (= omnis scriptura, quae i. e. *quia* est inspirata).

Re *tamen* accuratius inspecta, constat omnino, participium istud resolvi non posse in sensum conditionalem. Apostolus *enim* Timotheum exhortari et permovere vult ad legendas ss. Scripturas magna cum diligentia; *ast* haec ejus exhortatio omnem vigorem amitteret, si dignitas Scripturae ex inspiratione allata, ipsum exhortationis motivum, conditionata et incerta esset quoad singulos libros. *Ergo* participium „inspirata", si tamen in sensu attributivo intellegendum sit, in sensu causali intellegi debet.

Si vero textum originalem graecum attenderis, apparet vocem „inspirata" praedicative omnino intellegendam esse. Secundum hunc *enim* textum vox inspirata cum altero inciso „utilis" (ὠφέλιμος) per particulam καὶ conjungitur; ὠφέλιμος autem certe praedicatum est; *ergo*

et θεόπνευστος. Sive autem *praedicative* sive *attributive causaliter* vocem „inspirata" interpreteris, in utroque casu inspiratio directe de Scriptura praedicatur et affirmatur.

c) Quid autem jam ipsa hac voce „inspirata" in textu nostro enuntiatur? — Vox ista, ut in capite antecedente notavimus, non occurrit in Scriptura nisi hoc solo loco; sensus autem ejus omnino clarus esse videtur is, ut significet singularem Dei actionem in scriptorem, cujus terminus dein ipsa Scriptura est. Pro qua re notentur hae duo rationes:

α) *Prior ratio* desumitur ex ipsa voce, cujus nativa vis sensum hunc postulare videtur. Vox *enim* latina „inspirata" nihil aliud est nisi „a Deo spirata"; sic autem ea, quae in Scripturis leguntur, i. e. ipsa Scriptura, a Deo subministrata exhibentur. — Quod *autem* graecam vocem θεόπνευστος attinet, immediate constat, hanc quoque eandem significationem assumere posse. Si *deinde* regulam grammaticam et usum in analogis modis loquendi respexeris, facile tibi persuadebis, hanc significationem etiam eligi debere; cf. quae supra pg. 24 de hac re exposuimus.

β) *Altera ratio* pro re nostra forsitan efficacior adest ex textu realiter saltem parallelo, qui invenitur *2 Pet 1, 21:* „Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati (φερόμενοι) locuti sunt sancti Dei homines". Manifesto de eadem re (de prophetico sermone inspirato, quem nunc nos attendere [v. 19], ideoque scriptum legere possumus) agitur hoc apud Petrum, de qua Paulus loquitur ad Timotheum. A s. Petro autem accuratissime edocemur, Scripturam vel saltem ejusdem prophetiam qua inspiratam ita a Deo procedere seu processisse, ut humana actio et voluntas excludatur neque homo ut auctor Scripturae appareat nisi ut instrumentum motum a Deo, causa ejusdem principali (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι). Quare Scriptura, quam s. Paulus jam simpliciter inspiratam vocat, etiam qua talis proprie non ut opus hominis, sed ipsius Dei apparet.

γ) Addi potest etiam *tertia ratio* ex modo, quo s. Paulus alias in usu singulorum verborum Scripturae progreditur, quae indiscriminatim ad Deum ut immediatum auctorem refert; cf. quae dicta sunt sub A.

2. Argumentum. — Exegesi textus apte comprehensa, argumentum pro inspiratione Scripturae facile deducitur. S. Paulus *2 Tim 3, 16* omnem Scripturam qua talem, quatenus inter nos legitur, divinitus inspiratam declarat. *Atqui* hoc praedicato tum vi ejusdem propria tum ratione habita textus paralleli *2 Pet 1, 21* Scriptura tanquam opus divinae actionis, Deus autem ut auctor s. Scripturae proprio sensu exhibetur. *Ergo* s. Scripturae auctor est Deus per inspirationem. — Quam stricto sensu ceteroquin ipse s. Paulus enuntiationem suam intellexerit, ex ejusdem allegationibus sacris manifestum est.

Nota: Id tamen intellexeris, quod quae protulimus, non tam sunt argumenta distincta, sed ad firmum et omni ex parte efficax argumentum habendum in unum corpus colligi debent.

II. Ex textu quem modo in subsidium vocavimus ***(2 Pet 1, 21)***, multi auctores etiam distinctum argumentum depromunt, in quo conatu duplicem ineunt viam, de qua re paucis referamus.

Textus in sua connexione sic se habet: Apostolus agit de absoluta evangelicae doctrinae certitudine, quippe quae non doctis fabulis, sed certo eoque divino testimonio innitatur. Testimonium duplex affertur: *prius* desumitur ex voce Patris in transfiguratione super Filium emissa: „ipsum audite"; *alterum* autem, secundum apostolum utique ad hominem loquentem etiam firmius, in prophetico sermone invenitur, de quo textus noster jam: „Et habemus, inquit, firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris *(19)*: hoc primum intellegentes, quod omnis prophetia Scripturae (πᾶσα προφητεία γραφῆς) propria interpretatione non fit *(20)*, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) locuti sunt sancti Dei homines" *(21)*.

1. Prior via ex isto textu pro re nostra proficiendi haec fere est. Terminus *„omnis prophetia Scripturae"* im-

mediate significat Scripturam prorsus in genere, ipsos libros prophetarum scriptos. *Atqui* manifestum est hanc Scripturam integram loco isto divinitus inspiratam dici, ita ut prius auctor et voluntas humana excludatur, Deus deinde solus ut auctor principalis adfirmetur.

In hoc discursu difficultas aliqua in propositione majore remanet: neque enim tam evidens est, termino prophetiae integram Scripturam eamque praecise qua scriptam denotari.

a) Adhibent tamen ad rem illustrandam non unam rationem. Et *primo*, dicunt, nomine prophetarum in textu considerantur non solum prophetae strictiore sensu, qui vaticinia olim emiserint, sed in genere omnes, qui ex mandato et inspiratione divina agunt vel loquuntur vel scribunt. Hoc s. Petrus ipse declarat, qui sub hac praecise notione generica in ultima parte textus explicat, quid sit propheta *(v. 21)*. — Hoc patet ex usu judaeorum, cujus testis est Philo, qui prophetas declarat „interpretes Dei, qui eorum organis utitur ad manifestanda ea, quae vult" *(De monarchia § 9)*. — Idem patet ex usu loquendi aliorum quoque apostolorum, qui integram sacrorum librorum collectionem eadem vel simili ratione vocant: „scripturas prophetarum" *(Matth 16, 56)*, „scripturas propheticas" *(Rom 16, 26)*. „Dei locutionem in prophetis" *(Heb 1, 1)*. — Idem *denique* confirmatur eo ipso, quod in textu agitur de prophetia Scripturae, quatenus per eam Christi et regni ejus mysteria ostenduntur; haec autem non solum prophetis stricte sumptis exhibentur, sed oraculis quoque, quae in libris historicis et moralibus continentur.

b) Etiam *illud alterum* rationibus firmare nituntur, quod nimirum „sermo propheticus" a. s. Petro attenditur praecise, quatenus in scripturis sacris litteris consignatus est. Hoc illustrant *primo* inde, quod „sermo propheticus" in textu nostro idem est ac „prophetia Scripturae" i. e. prophetia, quae praecise in Scriptura extat *(v. 19 coll. 20)*; *dein* eo, quod propheticus ille sermo tamquam praesens aliquid et permanens exhibetur, quem inter nos „habemus", „cui bene facitis attendentes". — De hac argumentandi forma cf. Müller *De verbo Dei revelato p. 218 sqq*; De San *De divina tr. et Scriptura n. 261.*

c) Attende tamen, quod aliqua obscuritas quoad alterum punctum remanet. Necessario *enim* ex rationibus additis solum sequitur, quod s. Petrus de ejusmodi prophetiis loquitur, quae sunt scriptae; non ita clarum est easdem prophetias in textu attendi, quatenus sunt scriptae. Haec obscuritas autem vix tollitur, nisi forte

ex recursu ad communem interpretum et theologorum hujus rei interpretationem, quae etiam exhibetur per conc. florentinum in bulla *„Cantate Domino“* (Denz[10] *n. 706*).

2. Altera via ex textu s. Petri argumentandi his comprehendi potest. Terminus *„sermo propheticus“*, *„omnis prophetia Scripturae“* directe et immediate intellegitur prophetia stricte sumpta seu omnis praedictio de Christo ejusque regno in Scripturis veteris testamenti proposita; haec autem vaticinia saltem influxui Spiritus Sancti tanquam unicae causae principali adscribuntur, et id praecise ut in Scripturis litteris consignata sunt. *Atqui*, ita jam inferunt, idem influxus Spiritus Sancti ad alias partes Scripturae, imo in genere ad universam Scripturam extendendus est. *Ergo* universa Scriptura Spiritui Sancto tanquam causae principali unicae merito adscribitur.

a) *Ad majorem.* — *Primum incisum* facilius admitti poterit (quam contraria propositio in priore argumenti forma), maxime eo quod in textu de prophetiis agitur, quae ut motiva credibilitatis adhibenda sint; hoc *enim* de prophetiis tantum iis fieri potest, quae sunt vaticinia et praedictiones.

Facile etiam *alterum incisum* patet, vaticinia ista Spiritui Sancto tamquam uni principali causae adscribi. „Quoniam enim s. Petrus negative excludit lubitum hominis et positive adstruit impulsum et excitationem divinam veluti causam prophetici sermonis: Scriptura, quae est illius operationis terminus, attribuenda est non auctori humano, causae subjugi, verum Spiritui Sancto seu Deo tanquam causae principi. est proprie verbum Dei scriptum“ (Crets *De div. bibliorum inspir. 74*)[1]).

Eodem modo, ac in priori forma argumenti ostenditur, praedictiones hoc loco attendendas esse qua scriptas. Jubemur *enim* nos vel saltem christiani apostolo coaevi „attendere prophetico sermoni“; sed huic sermoni certe attendere non possumus nisi scripto.[2]) — Certe turbare nos non debet, quod in textu legitur

[1]) Possumus hic prorsus abstrahere ab interpretatione nonnullorum exegetarum, qui et ipsi inciso: πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται hunc sensum submittunt: „nulla prophetia originem habet ex propria prophetae interpretatione“. Argumentatio *enim* perfecte procedit vel ex sequenti inciso solo, ubi tanquam ratio, unde humana prophetae interpretatio excludatur, exhibetur ea, quod nulla prophetia voluntate humana unquam allata est.

[2]) Attende tamen iterum facile sequi quidem, quod s. Petrus sermonem propheticum intellexerit, qui sit scriptus; num etiam quatenus sit scriptus, hoc non ita patet.

„locuti sunt sancti Dei homines", quasi his eorum sermones intenderentur ore prolati. Terminus enim „loqui" *tum* ex usu communi, *tum* etiam ex usu Scripturae et in specie ipsius Petri apostoli, veritatis manifestationem et per vivam vocem et in scriptis factam designare potest. Ita s. Petrus etiam alibi sub voce locutionis seu dictionis locutionem scripto factam intellegit dicens: „Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joel: ‚et erit in novissimis diebus, effundam de spiritu meo'" *(Act 2, 16 sq)*; cf. etiam *ib. 2, 25. 31; 4, 25.* - - Eodem modo etiam alii auctores sacri loquuntur, apertissime *Lc 1, 63:* „(Zacharias) postulans pugillarem scripsit dicens (ἔγραψεν λέγων).

b) *Ad minorem.* — Videtur et hoc probari, quod terminus *„sermo propheticus"* non restringendus est ad libros proprie propheticos, cum idem apostolus alibi ad Spiritum Sanctum refert, quae ex psalmis deprompta sunt. — Difficillime *vero* sub hac forma argumenti ex ipso textu Petri ostenditur, assertionem apostoli ad universam Scripturam seu ad Scripturam qua talem extendi debere; hoc nonnisi indirecte fieri potest, eo nimirum quod ex Scriptura et traditione scimus, omnibus Scripturae libris eandem ratione originis dignitatem per apostolos attributam esse.

c) Quare et haec forma argumentationis, quatenus ex solo textu Petri procedit, aliquantulum impedita est et aliunde suppleri debet; ideoque textus ille in hac re classicus haberi nequit. Major vis invenitur in verbis s. Pauli *2 Tim 3, 14*, quae tantum eatenus ex *2 Pet 1, 21* illustrari debent, quatenus terminus „inspirata" inde magis declaratur. — De hac argumentandi forma cf. inprimis Van Laak *De inspiratione Scr. fasc. I p. 49 sqq.*

III. Si semel constat (v. g. ex *2 Tim*), sacram Scripturam esse vere inspiratam, terminus hic facile largiorem illustrationem assumit ex aliis locis, quibus influxus inspirativus etiam in concreto exhibetur et describitur. Ita v. g. propheta vel scriptor sacer dicitur vir spiritum in se gerens (ἄνθρωπος πνευματοφόρος), qui a Spiritu movetur et agitur *(Os 9, 7, sec. LXX)*; motio *vero* illa Spiritus eo describitur, quod Spiritus Dei irruit, insilit in prophetam eoque consilio, ut hominibus consilia divinae sapientiae manifestet. Cum hoc cohaeret, ut propheta ipse exhibeatur ut os Domini, qui habet verba Dei in ore suo, qui numine plenus, afflatus in Spiritu Dei loquatur; cujus rei multa extant exempla v. g. *2 Reg 23, 2*, ubi David: „Spiritus Domini, inquit, locutus est per me et sermo ejus per linguam meam"; similiter *Num 2, 1; 1 Reg 10, 10; Ez 11, 5; 4, 16; Jer 15, 19; 1, 9; 5, 14; Is 6, 7; 58, 14; Os 11, 7; Mich 3, 8; Zach 7, 2. 12; Esd 9, 30*...

§ 2. Inspirationis dogma ostenditur ex manifesta praedicatione ecclesiastica.

Praenotatio: 1. Sine vitio in quaestione praesente provocare, possumus ad praedicationem magisterii ecclesiastici. Supponitur *enim* heic, quod de auctoritate ecclesiae in proponenda religiosa doctrina omnino constat: haec ex ipsa quidem Scriptura probatur, *non tamen* ex Scriptura quatenus inspirata, sed quatenus fons est simpliciter certus revelationis divinae, quatenus cum plena historica fide verba Salvatoris instituentis ecclesiam suam nobis enarrat. *Ceterum* ecclesia authenticam magistram se probavit multiplici argumento multisque signis credibilitatis, etiam abstrahendo a testimoniis Scripturae; est enim in semet ipsa manifestum miraculum divinum.

2. Sunt vetustissima quoque documenta, quae hac in re ab auctoribus hinc inde invocantur; quae tamen aliqua majore obscuritate laborant. Huc referas verba symboli constantinopolitani: „Credimus in Spiritum S., Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit. . . qui locutus est per prophetas"; huc referas etiam quod vocant decretum gelasianum, quod ex parte scripturistica probabilius ad Damasum papam et conc. romanum a. 382 sub eodem pontifice habitum referendum est et haec de re nostra exhibet verba: „Ad discutiendas vel intellegendas Scripturas, quas in novo vel in vetere testamento a pluribus editas (novimus), illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: ‚prophetias, inquit, nolite spernere; omnia autem probate', ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas. . ." *(Migne 59, 165).* — Haec omittamus; *neque enim* omnino liquet, per vocem prophetarum intellegi Scripturam qua talem; neque hoc supposito facile patet, sub verbis istis eam intelligi divinam operationem, quae ad veram inspirationem sufficiat eam, quae fiat in ordine ad scribendum.

I. Provocemus statim ad statuta quaedam ecclesiae antiquae, quae immerito quidem olim concilio carthaginensi IV attribuebantur; „sunt autem, auctore Hefele, canones antiquiores, qui ex quibusdam conciliis tum africanis tum aliis ante finem saeculi VI collecti sunt *(Conciliengesch.*[2] *II 69).* Ibi praescribitur inter alia, ut episcopo ordinando haec interrogatio proponatur: „Si novi et veteris testamenti i. e. Legis et prophetarum et apostolorum unum eundemque credat auctorem et Deum" (Mansi *Concil. Coll. III 950).*

Eadem verba medio deinceps aevo in professionibus fidei inveniuntur, iussu summorum pontificum exhibendis; ita inveniuntur in professione fidei, quam Leo IX saeculo XI Petro, electo patriarchae antiocheno, profitendam praescripsit *(Denz.*[10] *348)*; iterum inveniuntur in professione fidei, quam Michael Palaeologus a. 1274 concilio lugdunensi proposuit *(Denz 464)*. — Eadem *denique* professio Waldensibus, de erroribus manichaeorum suspectis et ad ecclesiam redeuntibus, per Innocentium III (1198—1216) praescribebatur: „Novi et veteris testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens de nihilo cuncta creavit" *(Denz.*[10] *421)*.

Eadem fere verba transierunt etiam in pontificale romanum, secundum quod episcopo ante ordinationem haec quaestio proponenda est: „Credis etiam novi et veteris testamenti, Legis et prophetarum et apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem?"

1. Addubitabatur quidem a quibusdam, ex his verbis contra manichaeos primitus prolatis sufficiens argumentum desumi posse.

Ratio *vero* dubii haec est: Vox *novi et veteris testamenti* in textu vel ex sese non necessario intellegitur de libris Scripturae. *Imo* canon iste proxime contra manichaeos dirigitur, qui prorsus in genere tenebant Deum alium non praecise Scripturae, sed integrae veteris oeconomiae esse auctorem, alium novae oeconomiae. Unde in textu illo terminus testamenti videtur potius supponere pro hac integra oeconomia. Est autem prorsus evidens, formula ista Deum saltem etiam auctorem declarari librorum utriusque testamenti. Ad cujus rei evidentiam haec velis considerare.

Canon iste sane dirigebatur proxime contra manichaeos, et hi in genere quidem tenebant, alium esse Deum qui omnia, quae ad vetus testamentum spectarent, creaverit et ordinaverit, et alium esse Deum Domini nostri Jesu Christi, qui res in novo testamento disposuerit. *Attamen* huic errori statim in specie addebant, alium esse etiam Deum, qui ipsos libros veteris testamenti conscripserit et inspiraverit, alium qui novi testamenti documenta inspiraverit; imo, ut Dausch animadvertit, „antagonismus gnosticus proxime contra hos sacros libros et nonnisi in connexione cum ipsis contra oeconomiam iis stipatam dirigebatur"[1]).

[1]) „Es ist wohl die Auffassung von testamenti im Sinne von Büchern des Alten und Neuen Testamentes, nicht allgemein — Heils-

Haec facile ex documentis coaevis tum ipsorum manichaeorum tum etiam eorum, qui se illis opponebant, patrum illustrari possunt. Ita ex. g. Faustus manichaeus apud s. Augustinum: „Nos, inquit, ex Christi praeventione novo (testamento) referti respuimus vetus . . et quia ecclesia nostra, sponsa Christi, contenta sit bonis mariti sui, sordent ei testamenti veteris et eius auctoris munera, famaeque suae custos diligentissima nisi sponsi sui non recipit litteras. Vestra sane ecclesia usurpet testamentum vetus, quae ut lasciva virgo, immemor pudoris, alieni viri et muneribus gaudet et litteris" *(cf. Faustum XV 1)*. De aliis testimoniis, ut Hegemonii *(Corpus SB. XVI 24)*, Photii *(c. manich. I 8)*, Euthymii Zigabeni *(Panoplia dogm. 24; M PG 130, 1225 D*, cf. Van Laak *de s. Script. inspir. atque inerrantia n. 283 sqq.* — Unde vox testamenti saltem etiam de libris Scripturae intellegitur.

2. His praemissis merito argumentaberis: Canone illo antiquae ecclesiae *„Novi et veteris testamenti unum auctorem et Deum esse"*, s. Scripturae per Deum inspiratio enuntiatur, si nomine testamenti libri in utroque testamento sacri intellegendi sunt, et si nomine auctoris necessario librorum conscriptor denotatur. *Atqui* utrumque obtinet.

a) Et terminus ille „Novi et veteris testamenti" absque dubio tunc temporis jam in communi usu erat ad significandam ipsam Scripturam.

Ita s. Paulus *2 Cor 3, 14* de „lectione veteris testamenti" loquitur; ita Clemens alex. *Strom. V 13* in eundem sensum scribit: „Etsi sine evidentibus et cogentibus probationibus per vetus et novum testamentum praedicatur et dicitur". Pariter apud Origenem *in Jo. tom. 5, 4* haec verba occurrunt: τῇ καλουμένῃ παλαιᾷ πρὸς τὴν ὀνομαζομένην καινὴν διαθήκην *(M. PG. 14, 196)*. Eundem usum Tertullianus supponit, cum Marcionem facit tenentem alterum Deum „alterius instrumenti vel, quod magis usui est dicere, testamenti". Largiora cf. Zahn *Gesch. d. Neut. Kanon 103 sqq;* Cornely *Intr I 21 sq;* Bleek *Einl. in das Alte Testament § 16.*

Speciatim in nostro textu terminus „novi et veteris testamenti" etiam accuratius determinatur per verba ad-

anstalt, vorzuziehen; vor allem dreht sich ja der gnostische Antagonismus gegen das Alte Testament zunächst um die Bücher, erst im Zusammenhang damit um deren Inhalt" *(Die Schriftinspiration 88)*.

dita: „i. e. Lex, prophetae, apostoli". His autem certo certius libri utriusque testamenti sacri significantur. Nam constat aliunde connumeratione illa „Lex, prophetae, apostoli" eo tempore ipsos sacros libros designari (cf. Zahn *l. c. 98 sqq).*

Praeterea si terminis *„lex, prophetae, apostoli"* non libri hic significantur, cogitari jam nequit sub illis verbis nisi de iis, per quos testamentum sive foedus vel vetus vel novum pepigerit Deus; si autem hoc, prorsus intellegi nequit, cur Christi nulla fiat commemoratio. — Insuper lex certe non significat auctorem, sed vix quidquam aliud denotat, nisi librum, quo scripta continebatur.

b) Si vero semel constat, termino novi et veteris testamenti libros significari, „auctor" librorum certe non erit nisi eorum conscriptor. Neque enim in litteris et scriptis illius aetatis „auctor libri" aliud sibi vult ac conscriptor libri.

Ita v. g. Isidorus hispalensis: „Auctor, inquit, earundem scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur: ipse *enim* scripsit, qui prophetis suis scribenda dictavit" *(De off. I 12);* Gregorius M.: „Auctor libri Spiritus S. fideliter credatur; ipse *igitur* haec scripsit, qui scribenda dictavit"; cf. Van Laak *l. c. 291.*

3. Si cui tamen haec directa argumentatio, respiciens immediate ipsos libros sacros, non placuerit, Pesch *(o. c. n. 312 in nota ad calcem)* aliam indirectam proponit: „Etsi Deus auctor est non solorum librorum, sed omnium institutorum Veteris et Novi Testamenti, non ideo libri excluduntur, sed includuntur. Ergo Deus etiam dicitur auctor sacrorum librorum. Quo autem sensu eorum sit auctor, ss. patres (coaevi) unanimiter docuerunt, dicentes Deum ut auctorem principalem scripsisse sacros libros per homines inspiratos ut auctores secundarios seu instrumenta viva et rationalia."

„Unde et vetera et recentia concilia, cum libros sacros ad Deum auctorem referunt, non alio sensu hoc intellexerunt nisi quo semper in traditione intellectum est. Verum igitur est, ex nudis vocabulis auctoris vel inspirationis aut nihil aut non multum colligi posse de natura inspirationis, sed ut Franzelin recte ait: ‚simul collatis ejusdem doctrinae declarationibus, quae in christianae antiquitatis monumentis continentur', conceptum inspirationis ex conceptu auctoris optime illustratur."

II. Ad sollemniores declarationes jam accedamus, quae sunt quorundam conciliorum oecumenicorum.

1. Decretum pro Jacobitis, quo conc. florentinum, duce Eugenio IV, antiquam illam doctrinam hisce verbis repetiit et ulterius exposuit: „Sacrosancta romana ecclesia. . . unum atque eundem Deum veteris et novi testamenti hoc est legis et prophetarum atque evangelii profitetur auctorem: quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur . . [recensentur libri canonis] . . Praeterea manichaeorum anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerunt, unum visibilium, alterum invisibilium; et alium novi testamenti Deum, alium veteris esse Deum dixerunt" *(Denz*[10] *706 sq).*

a) In hoc textu „auctor testamenti" iterum idem est ac „auctor librorum testamenti." Additur *enim* prorsus, ut in canone illo ecclesiae antiquae, statim pro explicatione: „hoc est legis et prophetarum atque evangelii"; *deinde* libri ipsi utriusque testamenti nominatim recensentur et ratione inspirationis eorum Deus praecise auctor utriusque testamenti esse declaratur.

b) Est *porro* Deus ex sententia concilii auctor librorum per inspirationem ad scribendum; id quod expressis declaratur verbis: „ecclesia Deum profitetur auctorem, quoniam Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti sancti locuti sunt." — Dicitur *quidem*, quod „Spiritu Sancto inspirante sancti locuti sunt"; *attamen non* de locutione ore proferenda hic sermo est, sed, ut contextus evidenter manifestat, de locutione scriptis et libris exhibenda. Inspiratio enim statim ut ratio exhibetur, ob quam ecclesia Sanctorum illorum suscipit et veneratur libros, in quibus saepe ne unum quidem verbulum hagiographorum ore prolatum continetur.

2. Similiter procedendum est in altero authentico documento, quod depromitur ex conc. tridentino, quod in suis de s. Scriptura declarationibus: „Sacrosancta, inquit, tridentina synodus . . perspiciens hanc (divinae revelationis) veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros

tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur" *(s. 4)*. — Postea addit et canonem: „Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, A. S." *(ib)*.

a) Haec verba quamvis expressam inspirationis definitionem non contineant — in decreto *enim* expressior inspirationis declaratio non habetur et canon loquitur tantum de „libris sacris et canonicis" — mentem tamen concilii satis aperiunt.

α) Imprimis concilium omnino tenet *Deum esse auctorem librorum sacrorum*. Dicens enim: *„unum Deum utriusque testamenti esse auctorem"*, evidenter eo sensu voluit intellegi, quo usque ad id tempus illa formula in constitutionibus ecclesiasticis adhibebatur: idque eo magis quod, ut *actis concilii* patet, patres concilii ipsi pro sensu hujus formulae ad conc. florentinum remiserunt.[1]) *Atqui* ab illo concilio terminus, „auctor veteris et novi testamenti" intellegebatur „auctor sive scriptor librorum utriusque testamenti", id quod modo sub n. 1 ostendimus.

Deinde id quod Deus utriusque testamenti est auctor, tanquam ratio adhibetur, ob quam libri utriusque testamenti ut sacri et canonici suscipiendi et venerandi sint; dicit enim concilium: hos libros suscipiendos esse, cum utriusque testamenti Deus sit auctor. *Atqui* haec ratio nihil omnino evinceret, nisi in conceptu „auctoris utriusque testamenti" saltem includeretur, quod sit et auctor librorum eorundem testamentorum.

[1]) Pallavicini *Storia del Concilio VI c. 11.*

β) *Deus est auctor per inspirationem.* - Id concilium inculcat docens, „omnes libros tam veteris quam novi testamenti pari pietatis ac reverentiae affectu suscipiendos et venerandos esse", qua „traditiones ipsas". Sicut *enim* pro libris ratio reverentiae in eo dicitur esse, quod *„unus Deus sit eorum auctor"*, ita pro traditionibus tanquam ratio pii affectus adhibetur, quod *„oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatae"* sunt. *Atqui* si eadem reverentia utrimque, ratio quoque eadem ab utraque parte suo modo tenenda est. Et sic *auctorem librorum esse* et *a Christo vel a Spiritu S. dictatas esse* idem sibi vult. *Quare* quemadmodum traditiones, sane ut primo communicatae sunt, a Spiritu oretenus dictatae esse dicuntur, ita et libri nostri, ut primo communicati seu conscripti, a Spiritu dictati i. e. inspirati declarantur.

Etiam hoc argumentum ex historia concilii ejusque actis optime confirmari potest. Paritas enim illa statim jam ante ipsam definitionem ab aliquibus patribus concilii animadversa, occasio interpellationis facta est. Responsum est: „traditiones in eo decreto ideo cum sanctis litteris connecti, quod utraque fundamenta fidei essent atque divinitus inspirata"; atque etiam instantius eadem paritas inculcata est a patribus apertius jam declarantibus, „tam traditiones quam sacras litteras esse Dei verba ac prima fidei principia, sed solum secundaria quadam conditione inter se distincta, quod illae in codicibus scriptae permanserint, hae vero solum in cordibus"; cf. Pallavicini *o. c. VI c. 14*; Theiner *Acta conc. trid. I 71 sqq.*

γ) Ceterum synodus ipsa apertis verbis in decreto profitetur, se sequi orthodoxorum patrum exempla; patres autem, ut mox videbimus, libros utriusque testamenti a Deo per inspirationem conscriptos esse semper retinebant.

b) *Excipiunt*: Vel ipsae traditiones, *utpote oretenus faciendae,* non possunt vere dictatae dici, cum dictatio ad scriptionem tendat. *Ergo* neque Scripturae ibi a concilio vere a Spiritu dictatae seu inspiratae dicuntur. — *Attamen* dictatio non ad solam scriptionem restringitur, sed in genere significare potest eorum, quae quis pro se judicat, ad alios cum auctoritate factam communicationem.

α) Pro qua re remittimus ad dictionaria, inter quae v. g. Forcellini *Totius Latinitatis Lexicon* inter istius vocis significationes et has recenset: „Saepe (dictare) est magistrorum proponentium pueris quid discant" vel „praescribere, praecipere"; simili sensu victores in bello victis dictant conditiones, et ratio vel natura homini dictat, quid faciendum sit.

Quod autem concilium pro ipsis traditionibus oretenus factis vocem illam dictandi retinuerit, non obscure declaratur inde, quod sub eodem pietatis affectu has traditiones contulit cum libris scriptis. Horum auctorem immediate ante declaravit Deum, subintellegens ibi fere necessario per dictationem. Jam ad traditiones transiens hunc terminum etiam quoad traditiones expressius adhibuit et addito oretenus pro subjecta materia determinavit.

β) Neque igitur verum est, quod objicit Langen: concilium solam traditionem dictatam esse declaravisse, nisi forte formam declarationis mere externam respexeris. — Neque illud alterum verum est, quod concilium decreto suo declarare tantum voluerit, Scripturam et traditionem divinam revelationem continere. Voluit *enim* insuper disertam rationem addere, cur in utroque fonte Verbum Dei habeatur, quam rationem in ipsa dictatione invenit. — Cf. de his exceptionibus Van Laak *de s. Scr. inspir. atque inerr. p. 135 sqq.*

3. Clarissime *denique* et expressis verbis rem exhibet conc. vaticanum in constitutione sua *de revelatione:* „Supernaturalis revelatio secundum universalis ecclesiae fidem, a s. tridentina synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Qui quidem novi et veteris testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt."

a) Audiamus statim, quomodo theologi ipsius concilii verba illa luculentis adnotationibus declaraverint.

„Declaratur *imprimis*, quis sensus non sit genuinus dogmatis. Duplex autem error expresse designatur [et reprobatur]: *Primum* eorum, qui . . affirmant, libros primitus scriptos esse tantummodo ingenio et industria humana, sed propter res quas continent ab ecclesia sive jam mosaica sive christiana inter libros canonicos recensitos esse, et eatenus habendos esse sacros. *Tum* excluditur error alter, quo libri Scripturae non ratione originis seu ratione scriptionis, sed solum ratione materiae, quod [nimirum] sine errore continent veritates revelatas, sacri et divini esse dicuntur."

„Sequitur *deinde* — ita pergunt theologi in sua declaratione — positiva approbatio doctrinae catholicae, quo sensu omnes libri scripturae et ob quam rationem eis intrinsecam fuerint ab ecclesia sacri declarati et jam hoc ipso in canonem relati. Ratio *nimirum* est ex divina origine sive scriptione librorum. Haec vero scriptio divina declaratur, quod 1) libri sunt inspirante Spiritu Sancto conscripti; erat igitur supernaturalis operatio Spiritus Sancti in homines ad ipsos libros scribendos. 2) Ex hoc ipso, quod actio Spiritus Sancti referebatur ad scribendos libros per homines ad hoc opus inspiratos, ipsi libri sunt et ab apostolo dicuntur Scriptura divinitus inspirata. 3) Denique actio illa inspirationis erat hujusmodi, ut Deus sit librorum auctor seu auctor scriptionis, ita ut ipsa rerum consignatio seu scriptio principaliter tribuenda sit operationi divinae in homine et per hominem agenti. . ." *(Col. Lac. VII 522;* cf. Granderath *Constitutiones dogm. conc. vat. 47).*

b) Si igitur talis est sensus constitutionis dogmaticae concilii, character librorum Scripturae sacer et canonicus tribus elementis absolvitur: quod 1) libri Scripturae vere Deum habent auctorem, eumque principalem, qui tamen 2) non per semetipsum, sed per homines ministros eos conscripserit; quod denique 3) in hoc influxu divino in ministros suos inspiratio consistit. — His vero doctrina nostra de inspiratione per concilium totidem plane verbis exhibetur.[1])

[1]) Ut deinde talis liber etiam publice agnoscatur, authentica ipsius ecclesiae declaratio accedere debet; propterea addit concilium: „et ut tales ecclesiae traditi sunt". Hoc autem jam non de ratione constitutiva libri inspirati est, sed, ut patet eam prorsus supponit; neque enim „ut talis" i. e. inspiratus tradi potest liber, nisi qui talis jam est.

c) Concilium deinde canonem addidit: „S. Q. sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, A. S.“ *(cn. 4).* — His vero verbis doctrinam eandem de fide esse declaravit, saltem si ipsa magis *in genere et rudiore quodam conceptu* consideratur. Profundiorem autem vel ampliorem instructionem positivam de natura inspirationis accuratius concipienda concilium addere noluit: „sed liberum reliquit scholis disputare de modo inspirationis et, ut scholae loquuntur, de extensione inspirationis“ (archiep. Simor de schemate *Col. Lac. VII 86.*)

III. Luculentam demum doctrinae catholicae declarationem et ulteriorem ejusdem evolutionem litterae exhibent encyclicae *Providentissimus Deus,* quibus Leo papa XIII fidem traditam illustravit. In his reassumens antiquam et constantem fidem ecclesiae in conciliis florentino, tridentino, vaticano declaratam et confirmatam, prius statuit ipsum factum, quod *nimirum* „Deus per sacros auctores ea elocutus sit“, quae in ss. Scripturis continentur. Sic factum est, ut „libri omnes atque integri, quos ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sint“; et nefas jam est „aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem“ *(n. 30).*[1])

Deinde actio inspirativa accuratius evolvitur, imprimis ex parte Dei, qui tam stricte declaratur auctor librorum sacrorum, ut partes, quae auctori humano in libro profano conscribendo competunt, in sacris litteris Deus prorsus adimpleverit; „nam supernaturali ipse virtute ita eos [humanos auctores] ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse juberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae“ *(ib).*

[1]) Allegamus has litteras encycl. secundum editionem, quam Cornely *introductionis compendio* addidit inter appendices.

Et munus declaratur quod in eadem re hagiographo humano competit. Hic *nimirum* non est nisi instrumentum divinum, quod divinam intentionem quoad veritatis manifestationem ne potuerit quidem labefactare: „nihil admodum refert, Spiritum assumpsisse homines tanquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit" *(n. 30)*.

Scholion. Ex iis, quae hucusque diximus, intellexeris fere, quo jure nonnulli auctores exceperint, argumentum ex constitutionibus ecclesiasticis non multum valere. Hoc *enim* argumentum, aiunt, prorsus in eo niti, quod Deus vocetur in genere „auctor" vel quod dicatur „auctor testamenti"; utrumque *vero* terminum nimia ambiguitate laborare.

Et *testamentum* significare potius „integram oeconomiam salutis sive veterem sive novam autumant. Quoad alterum autem terminum „*auctoris*". hic complura videtur adferre incommoda, quae tria recenset F. Prat: 1) est aequivocus; 2) thesin omnino fundamentalem in *sensu translato* (figuré) *vocis auctoris* stabilit; 3) ipse terminus *non* stabilitur *sine quibusdam artificiis*, inter quae illud invenitur, quod in fontibus negligitur vox adjecta *principalis (Etudes XCIII [1903] 556—70)*. Vox autem principalis, quae ex sententia hujus auctoris neglegeretur, est vox „unum": „*unum esse auctorem Deum*".

Resp.: Ut incipiamus cum hoc ultimo „incommodo": vox ista „unum" argumentum nostrum prorsus non afficit. *Sive enim* Deus dicitur unus esse auctor, *sive* simpliciter auctor Scripturae, vox auctoris eandem plane vim et virtutem retinet et ex sese explananda est. Quare etiam conc. vaticanum verba illa repetens, istud *unum* simpliciter suppressit. Neque tridentinum contra manichaeos egit, quorum respectu tantum emphasis invocata quoad istud *unum* teneri potest. Haec concilia prorsus id sibi proponebant, ut ipsam Scripturae originem assererent.

„*Ast vox auctoris ipsa anceps est!*" — *Attamen* quidquid est de hac voce in abstracto considerata, in definitionibus illis, unde argumentatio nostra desumpta est, certo certius Deus exhibetur ut causa librorum sacrorum; et ideo in suo contextu et secundum receptum in ecclesia modum loquendi (maxime ex usu patrum, de quo postea agendum erit) omnino determinata est. Neque terminus ille „auctor" causam importat *tantum in genere* et *sensu quodam indeterminato*, ita ut cogitari etiam posset de causa morali, quae suadendo et hortando ad scribendum homi-

nem allexisset. *Etenim* vox illa „auctor libri", cum in fontibus nostris simpliciter adhibetur, scriptorem praecise significat. *Insuper* conc. vaticanum Deum expresse exhibet, ut causam ipsius scriptionis: „Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem"; id quod theologi istius concilii data opera eo modo intellegunt, ut „ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae."[1]) — Cum autem auctor libri jam significat ejusdem conscriptorem, sensus vocis translatus seu figuratus non est, sed proprius omnino et simul determinatus.

Quodsi etiam excipiunt, testamentum potius significare oeconomiam seu dispensationem integram divinam, statim *subnectas: atqui* ad integram oeconomiam pertinet etiam lex, pertinent ex sensu communi fidelium libri, in quibus oeconomia constituta vel confirmata est; ideoque et horum librorum causa et auctor et scriptor declaratur Deus, idque eodem sensu, quo est auctor totius oeconomiae, causa vere efficiens. — *Insuper* audivimus, quomodo nomine testamenti jam ipsa aetate definitionum illarum vel vetustissimarum libri nostri sacri denotarentur, et quomodo nomen istud ex ipso contextu documentorum ad hanc significationem coarctaretur, et quomodo alia significatio esset contra expressam fere declarationem concilii vaticani necnon florentini et tridentini, quae non loquuntur nisi de libris novi et veteris testamenti.[2])

§ 3. Inspiratio exhibetur ex Patrum et Theologorum doctrina.

Litteratura. — Libros et auctores, qui de ss. patrum circa inspirationem doctrina egerint, accuratius recensitas invenias apud Van Laak *De s. Scr. insp. atque inerr. n. 218 sqq.* Nobis sufficiat hic notare ex operibus *generalioribus* praeter opus P. Pesch, W. Lee *The inspiration of Holy Scripture, appendix p. 484—527.* — Ex *monographiis* notentur: Delitzsch *De inspiratione Scripturae s. quid statuerint patres apostolici et apologetae secundi saeculi 1872;* Leonardof *Die Theorie der bibl. Inspiration in der alexandrinischen Schule;* Ph. Hergenröther *Die antiochenische Schule und ihre Bedeutung auf exegetischem Gebiete.* — Quid senserit Origenes de inspiratione, exposuit Zöllig *Die Inspirationslehre des Origenes 1902;* quid Ambrosius, Kellner *Der hl. Ambrosius als Erklärer des*

[1]) Cf. *Coll. Lac VII 522;* et verba Leonis XIII supra allegata.

[2]) Cf. Van Laak *De Scr. insp. atque inerr. n. 315 sqq;* et quae nos postea in *cap. III* in simili causa adferemus contra alium auctorem, qui methodum nostram etiam vehementius impugnat.

Alten Testamentes 1893; quid Chrysostomus, Haidacher *Die Lehre des hl. Chrysostomus über die Schriftinspiration 1897;* quid Hieronymus, Schade *Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus 1910;* quid Augustinus, Clausen *Aur. Augustinus, sacrae Scripturae interpres 1827;* Douais *S. Augustin et la Bible in Revue bibl. 1893 et 1894.* De duobus aliis clarioribus exegetis agit Kihn opere *Theodor von Mopsuestia und Iunilius Africanus als Exegeten 1880.*

Ceterum libri, qui de singulis quibusdam patribus eorumque doctrina in genere agunt, agunt communiter etiam de eorundem doctrina circa dogma nostrum; opera vero eiusmodi facile invenias signata apud Bardenhewer *Patrologie* vel *Gesch. der altkirchl. Literatur,* ubi de singulis patribus agit.

Praenota: SS. patrum testimonia in materia praesente tam multa sunt, ut omnia adferre non vacet; si largiorem in hac re desideraveris instructionem, relegas Pesch a n. 36—134, et iterum a n. 142—207; 277—308. Nos prius doctrinam patrum paucis primis veluti lineis designemus, ex quibus et modus argumentandi manifestus reddatur; postea accuratiora quaedam et distincta testimonia addamus.

I. Patres prorsus unanimi consensu in hoc dogmate conspirant, quamvis non eodem modo omnes semper et constanter rem expresserint. *Non raro* doctrinam expressis atque disertis verbis exhibent, ut cum dicunt „Scripturas *per Spiritum S. conscriptas* esse", vel „easdem *a Verbo et Spiritu ejus* esse *dictas*" mediantibus hominibus hagiographis tanquam instrumentis. — *Alias* testimoniis aequivalentibus rem enuntiant, quibus tamen doctrinam nostram non minus luculenter tradunt. Ita eam in variis analogiis exhibent, unde manifesto appareat, hominem in scribendis libris sacris se habere ad instar causae instrumentalis, Deum vero esse causam Scripturae propriam et principalem seu auctorem. Hunc in modum docent, hagiographum ita referri ad Deum, ut manus refertur ad hominem, calamus ad scribam, lyra ad musicum; sic Hieronymus declarat hagiographos linguam quasi stilum et calamum praebere, quo Spiritus S. scribat; ex sententia vero s. Augustini ipse Christus per evangelistas tanquam per manus scripsit. — *Item* sensus patrum ex variis consectariis seu principiis mani-

festus fit, quae de s. Scriptura affirmata ejusdem divinam originem necessario supponunt; ita cum Scripturam tanquam testem veritatis infallibilem adsumunt et vel minima in divinis litteris sensibus plena esse asserunt, et similia.

Quia tamen patres communiter ejusmodi respectus non ita accurate separant, ut modo disserte modo aequivalenter doctrinam exhibeant, melius non secundum hanc theoreticam distinctionem eorundem testimonia proponemus, sed in paucis nostris allegationibus potius ordinem historicum sequemur.

II. Jam accuratiora testimonia patrum audiamus.

1. Ex aetate priscorum patrum primus nobis occurrit Clemens ille romanus, qui *ad Cor.* haec scribit: „Inspexistis diligenter Scripturas sacras, quae verae sunt et datae per Spiritum Sanctum (εἰς τὰς γραφὰς τὰς ἀληθεῖς, τὰς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου — *n. 45*)". Cui addas et aliud, quod invenitur *n. 53:* „Probe nostis sacras Scripturas et penitus in divina eloquia introspexistis", ex quo manifestum fieri videtur, idem esse huic auctori „sacrae Scripturae" et „divina eloquia".

Ea quae in s. Scriptura leguntur ab ipso Spiritu Sancto esse, testatur etiam s. Justinus, qui in *dialogo cum Tryph.* identidem verba Scripturae ab ipso Spiritu Sancto dicta vel et dictata esse enuntiat; v. g. ubi sub *n. 25* longum ipsorum judaeorum sermonem refert, de quo deinde animadvertit: „quemadmodum per Iesaiam clamat Spiritus Sanctus, ut ex persona eorum dicens haecce" (cf. *n. 33, 34, 38 sq).* - Similiter et jam prorsus in genere *Apol I n. 36* gentiles adhortatur: „Quando autem prophetarum verba velut ex aliqua persona dicta auditis, ne ab iis, qui afflati fuerunt, dici existimetis, sed a movente illos divino Logo".

Haec non ad prophetias stricte dictas restringenda esse, ex sequentibus statim patet; ita enim pergit Justinus: „*Interdum* enim ut praenuntians profert, quae futura sunt, *interdum* ut ex persona Domini omnium et Patris Dei loquitur, *interdum* ut ex persona Christi, *interdum* ex persona populorum Domino aut ejus Patri respondentium: quale est quod etiam

apud vestros scriptores cernere licet, apud quos unus quidem scribit omnia, colloquentes autem personas inducit". — *Neque igitur* verum est, quod de s. Justino excipiunt: eum id unum docere, Spiritum S. praedixisse et revelasse vaticinia.

Eandem sententiam auctor *cohortationis ad Graecos* (forsitan idem Justinus) tenet: „Mosen historiam suam divino afflatu scripsisse hebraeorum litteris" *(n. 12)*; id quomodo factum sit non solum in Mose, sed jam in omnibus sacris scriptoribus, sub n. 8 largius evolvit dicens, „puros se ipsos divini Spiritus operationi praebere, ut divinum illud de coelo delapsum plectrum, velut quodam cytharae aut lyrae instrumento justis hominibus utens, divinarum nobis et coelestium rerum cognitionem recluderet." „Propterea [etiam] velut ore uno et lingua una tum de Deo et mundi origine tum de hominis creatione etc. . . summa et secum ipsis constantia et consensione nos docuerunt, idque cum variis locis et temporibus divinam nobis doctrinam traderent", utique ut patet in scriptis libris suis *(ib. n. 9)*.

His plene concordat doctrina Theophili antiocheni dicentis: „Dei homines pleni Spiritus Sancti et prophetae effecti, ab ipso Deo inspirati (ἐμπνευσθέντες) et eruditi, facti sunt divinitus edocti et sancti et justi; quare et digni habiti sunt, qui hanc mercedem reciperent, ut organa Dei fierent et ab ipso sapientiam acciperent, per quam sapientiam de creatione mundi et de ceteris dixerunt; et etiam de peste et fame et bello vaticinati sunt. Neque unus vel duo, sed plures suis temporibus et occasionibus apud hebraeos extiterunt et omnes concordia inter se et consona dixerunt, tum quae ante eos gesta sunt, tum quae eorum temporibus facta sunt, tum quae nunc apud nos fiunt" *(ad Autolycum II 9)*.

S. Irenaeus brevissimis verbis gnosticorum praesumptionem redarguit: „Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae"; deinde eodem loco *(II 28, 2)* pergit: „Nos autem, secundum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu ejus, secundum hoc et scientia mysteriorum indigemus . . Si (enim) in rebus creaturae quaedam quidem eorum adjacent Deo, quaedam autem in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si eorum, quae in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritualibus existentibus, quaedam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, quaedam autem commendemus Deo"; ita vero fiet, ut „omnis Scriptura a Deo nobis data

consonans nobis inveniatur" *(ib)*. — Eadem fere Hippolytus *de Christo et Antichristo 2* profert: „Quia beati prophetae oculi nobis fuerunt, ipsi per fidem Verbi mysteria praeviderunt, quae et aliis postmodum aetatibus ministrarunt, non solum praeterita loquentes, sed et praesentia atque futura nuntiantes . . Hi namque omnes Spiritu prophetico aptati et a Verbo honorati ad instar organorum habentes in se semper verbum ut plectrum: quo moti ea, quae Deus volebat, prophetae annuntiabant. Non enim ex sua facultate loquebantur ut impostores neque, quae ipsi volebant, haec annuntiabant, sed prius per Verbum recte instruebantur, deinde per visiones futura rite praedocebantur, tum ita certitudine accepta loquebantur ea, quae ipsis solis a Deo revelata, reliquis autem abscondita erant . . Unde et nos ab iis praedicta bene edocti loquimur, non ex proprio nostro sensu; neque enim ea quae olim praedicta sunt, invicem mutare tentamus, sed eorum scripta in lucem proferentes legimus iis, qui recte credere possunt".

2. Ex ecclesia orientali haec testimonia consideres. — a) Ex Alexandria ejusque schola Clemens ille ss. Scripturas frequenter ad Deum tanquam ad causam reducit, clarissime forsitan in *cohortatione ad gentes 9*: „Possem tibi alias Scripturas adferre paene innumerabiles, quarum ne apex quidem praeteribit qui non perficiatur; Spiritus enim Sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus". Unde alio loco concludit: „Qui divinis ergo Scripturis firmo judicio credit, demonstrationem, cui contradici nequit, Dei scilicet, qui Scripturas dedit, vocem accipit; ita fides per demonstrationem firmior fieri nequit" *(Strom I 2)*.

Ex his autem testimoniis simul intellexeris, quam immerito nonnuli exceperint, Clementem prophetas seu hagiographos non intellegere qua scribentes, sed ad summum ut loquentes ore; cf. *Van Laak de Scr. insp. atque inerr. n. 249.*

Secundum Origenem, alterum hujus scholae principem, „est illud in ecclesiastica praedicatione . ., quod per Spiritum Dei Scripturae conscriptae sunt" *(de princ. praef. 8)*. Qua vero ratione, ipse postea *ib. IV 9* accuratius exhibet: „Non hominum opera sunt sacrae Scripturae, sed ex afflatu Spiritus Sancti volun-

tate Patris omnium per Jesum Christum conscriptae sunt". En clarissima thesis et dogmatis nostri enuntiatio!

Ad eandem causam et divinum auctorem persaepe etiam ipsas enarrationes profanas, quas legit in Scripturis, refert dicens ex. g. *in Num 26, 3:* „Post haec sequitur historia de haereditate Ruben et Gad etc. . . Omnia, quae dicuntur, non solum ex ipso qui dicitur sermone pensanda sunt, sed et persona dicentis magnopere consideranda est. Qui haec gesta narrat . ., Spiritus Sanctus est".

b) Ex schola aemula antiochena audiamus praeprimis Chrysostomum, cujus notissimum verbum est: ‚Scripturam epistolam esse Dei ad nos missam'. Ita *in Gen hom 2*: „Deus, inquit, humani generis conditor, ab initio per seipsum hominibus loquebatur, eo quo homines poterant audire modo . . Sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum suam erga illos amicitiam innovare volens, quasi longe absentibus litteras mittit . . Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moyses; igitur, obsecro, ita auscultemus, ita nostris ratiociniis longe valedicamus, quasi haec non jam a Moyse, sed per linguam Moysis ab ipso universorum Deo audiamus".

Similiter exinde reliqui magni doctores graeci rem enuntiant, ut Athanasius *ep. ad Marcellin. n. 2. 9;* Basilius vero clarissimis verbis docet *hom. in Ps. 1 initio:* „Omnis scriptura est divinitus inspirata atque utilis, ideo a Spiritu Sancto conscripta"; et *alibi:* „Quod si Spiritus in apostolis et prophetis loquitur omnisque Scriptura divinitus inspirata est, dicite impiis: quomodo Spiritus Sanctus Deus non est, cujus Scriptura divinitus inspirata sit" *(adv. Eunom. n. 5).* — Celebre est etiam dictum illud Gregorii naz., quod legitur *or. apolog. II 104:* „Neque putemus haec temere conscripta esse . . at nos, qui diligentiam Spiritus usque ad apicem et litteram extendimus, numquam admittemus; nefas est enim, vel minima facta temere a scriptoribus enarrari et memoriae usque nunc tradi."

Argumentum a nobis ex verbis Scripturae prolatum recolligere videtur Gregorius nyss. *contra Eunom. VII ab initio* disserens: „Divinitus inspirata scriptura, sicut ipsam divinus apostolus nominat, Sancti Spiritus est Scriptura . . ‚Omnis, inquit, Scriptura divinitus inspirata et utilis' . . Sic nos edocti ab eo qui in paradiso

arcana ineffabilia audivit, quod quaecunque sacra Scriptura dicit, Spiritus Sancti sint voces sive effata". — Et Cyrillus hieros.: „Ipse, inquit, Spiritus Sanctus elocutus est Scripturas, ipse de seipso quoque dixit quaecunque voluit . . Ille et in prophetis, ille et in apostolis in novo testamento: odio habeantur, qui Sancti Spiritus operationem separare audent" *(Catech. IV 16)*. „Unus enim liber est tota Scriptura et dicta est per unum Spiritum Sanctum", ita Cyrill alex. *in Is. III t. 2 in c. 29, 12.*

c) Concludamus seriem testium orientalium tribus testimoniis, quibus etiam peculiare momentum inest. Et maximus ex graecis exegetis Theodoretus cyr. s. Scripturae sententias in genere divina verba appellat *(graec. affect. cur. serm. 5);* id quod accuratius alibi explanat dicens: „Psalmos non omnes ipsius Davidis quidam esse dixerunt, sed quosdam aliorum. Ego autem de his nihil affirmo; quam enim mihi utilitatem praebet, sive hujus omnes, sive illorum nonnulli sint, cum manifestum sit, omnes ex divini Spiritus operatione conscripsisse; et beatum enim David prophetam esse scimus, et illos prophetas Paralipomenon historia vocat. Est autem prophetae proprium, linguam suam ministram exhibere gratiae Spiritus sancti secundum illud psalmorum dictum: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis" *(In Ps. praef.)* — *Alterum testimonium* exhibeat nobis Joannes ille damascenus, qui praecedentium patrum doctrinam compendio collegit et de re nostra ita disserit: „Per Spiritum Sanctum et lex et prophetae et evangelistae et apostoli et pastores et doctores locuti sunt: omnis igitur Scriptura divinitus inspirata est ac prorsus utilis" *(de fide IV 17)*. Ipsam autem inspirationem accuratius explicat *or. de imag. I 7:* „Laudabilis est scripturarum perscrutatio; sed hic diligenter animum attendite. Impossibile est, dilectissimi, mentiri Deum: unus porro Deus est, unus veteris et novi testamenti legislator, qui multifariam multisque modis olim locutus est patribus in prophetis et novissimis temporibus in Filio suo unigenito. Vestrum sensum adhibete; non mea verba sunt, sed quae Spiritus Sanctus per sanctum apostolum effatus est". — Accedat tandem etiam testis ex ecclesia Syriae Ephraem ille, qui defunctum aliquem episcopum laudat, „quod os fuerit utriusque testamenti, exponens Spiritus Sancti libros" *(carm XI);* et in libro *de resurrect. mortuorum* adversarium inclamat: „Omnia in vetere et in novo testamento falsa sunt, quemadmodum dicis? Vides, miser, quot sanctos mendaces impuro tuo ore feceris, neque sanctos tantum, sed et Dominum omnium sanctorum . . Clamat Dominus per prophetas et per apostolos et per evangelia,

et ex multis pauci attendunt . .: vae iis qui contumelia afficiunt Scripturas sacras!" *(opp. graece III 128 sqq).*

3. Suffragium ecclesiae orientalis comprobat occidentalis. Ita Ambrosius *in Ps. 1, 33:* „Bibe, inquit, Christum, ut bibas sermones ejus: sermo ejus testamentum est vetus, sermo ejus testamentum est novum". Et explicat hoc *in Luc 1, 3* dicens: „Multos coepisse nec implevisse etiam s. Lucas testimonio locupletiore testatur, dicens *(1, 1)* multos esse conatos; qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est nec implevit. Sine conatu eunt enim donationes et gratia Dei, quae ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthaeus, non conatus est Marcus, non conatus Joannes, non conatus est Lucas; sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante sine ullo molimine compleverunt".

S. Hieronymus autem contra judaeos urgens, soli Christo datum esse sensum Scripturae intellegere, haec in *comm. in Is 9, 29* enuntiat: „Leo de tribu Juda Dominus Jesus Christus est, qui solvit signacula libri, non proprie unius, ut multi putant, psalmorum David, sed omnium scripturarum, quae uno scriptae sunt Spiritu Sancto, et propterea unus liber appellantur". Unde et de ipsis historiis biblicis tradit *in ep. ad Eph. 1 ad v. 10:* „Dilligenter attendite, quod non solum omnes historiae Scripturarum, quas in terra gestas Spiritus S. enumerat, sed etiam in coelestibus, quae nobis occultae sunt, in Christi recapitulata passione teneantur." *Cf. in Mich. VII 5 sqq.*

Neque de sensu magni Augustini quidquam dubitari unquam potest, qui *in ps. 90 serm 2:* „De illa, inquit, civitate, unde peregrinamur, litterae nobis venerunt; ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus". Has litteras Dominus ipse composuit, „qui prophetas ante descensionem suam praemisit, ipse et apostolos post ascensionem misit; omnibus autem discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tanquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt; quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis membris imperavit. Hoc

unitatis consortium et in divinis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit". — Similia *l. de civ. Dei XI 3* profert: „Dominus prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos, quantum satis esse judicavit, etiam Scripturam condidit, quae canonica nominatur, eminentissimae auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit nec per nosmetipsos nosse idonei sumus." Cf. etiam *enarr. in Ps. 144 n. 17; in Ps. 33 serm. 2 n. 1; Confess. XIII 29.*

Clarissima est doctrina Leonis M., qui *serm. 69, 3:* „Evangelia, inquit, sacra sunt et digito Dei conscripta"; et ideo „indubitabilem obtinet auctoritatem sacra narratio" *(serm. 52, 1).* Quare — et jam de universa Scriptura loquitur — „ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat discedere aut aliter de scripturis divinis sapere, quam beati apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt" *(ep 82, 1).*

Audiamus adhuc, quomodo Gregorius M., fidus antiquorum patrum interpres, rem exhibeat in singulari quodam casu. Ipse *in genere quidem* integram Scripturam „epistolam quandam omnipotentis Dei ad creaturam suam" vocat *(epp. l. IV ep. 31).* Rem tamen accuratius explanat peculiari quodam loco celebri *(praef. in Job 1 sq)* dicens: „Inter multos saepe quaeritur, quis libri beati Job habeatur scriptor . . Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit; ipse scripsit, qui et illius operis inspirator extitit et per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Cum ergo rem cognoscimus ejusque rei Spiritum S. auctorem tenemus: quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur? Arbitrari tamen verius possumus, quod idem beatus Job, qui certamina spiritualis pugnae sustinuit, etiam consummatae suae victoriae gesta narravit. Nec movere debet, quod in eodem libro dicitur: Dixit Job, vel haec atque illa pertulit Job. Moris enim scripturae sacrae est, ut ipsi, qui scribunt, sic de re in illa quasi de aliis loquantur . . Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu sancti Spiritus agitantur, sic de re in illo testimonium quasi de aliis proferunt. Ergo S. Spiritus per Moysen locutus est de Moyse, S. Spiritus per Joannem locutus est de Joanne".

III. Patribus assentiunt omnino theologi, ex quibus principaliores saltem audiamus.[1])

a) *Ex vetustiore schola* praeprimis Alexander halensis quaestionem de multiplici seusu Scripturae his absolvit: „S. Scripturae modum ratione efficientiae et ratione finis ac materiae multiformem esse decuit. *Prima* est ratio efficientiae i. e. Spiritus Sancti, qui est (ut dicitur *Sap. 7)* Spiritus intellegentiae multiplex unus. Propterea ut in scientia sacra modus efficientis appareat, debet esse multiplex" *(Sum. theol. qu. 1 membr. 4 a. 3* ed. Venet. 1576). — Ejus discipulus s. Bonaventura eandem rationem pro eadem re adfert hisce verbis: „Competit (Scripturae multiplicitas sensuum) etiam (ex) principio a quo est, quia est a Deo per Christum et Spiritum S. loquentem per ora prophetarum et aliorum, qui hanc doctrinam scripserunt". Ex eadem ratione „Deus huic Scripturae providit certitudinem auctoritatis, quae adeo magna est, quod omnem perspicacitatem humani ingenii superexcellit . . . pro eo [nimirum] quod Spiritus S., ejus auctor perfectissimus, nihil poterat dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum" *(Brevil. prol. § 4 et § 5).*

Nec obscuriora suffragia sunt ex ordine praedicatorum; ita Albertus M. rem illustrans de evangelio Joannis dicit: „Efficiens (hujus evangelii) causa prima sapientia divina est se in Verbo increato Joanni manifestans et in Verbo incarnato Joannem erudiens et movens ad scribendum . . Causa vero efficiens proxima exterius est Joannes, qui arcana Verbi ab ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit . . Sic ergo haec Scriptura ex interno auctore est authentica et ex exteriori est fidelis" *(enarr. in Joa. prol. 7 sq).* — Neque a magistro dissentit discipulus ille s. Thomas, qui *2 sent. d. 12 a. 2* brevissime dicit: „Scripturam fides supponit Spiritu S. dictante promulgatam esse". Alibi rem etiam accuratius evolvit;

[1]) De doctrina eorum cf. imprimis K. Holzhey *Die Inpiration der hl. Schrift in der Anschauung des Mittelalters (1895).*

ita: „Auctor, inquit, principalis s. Scripturae est Spiritus Sanctus . ., qui in uno verbo sacrae Scripturae intellexit multo plura, quam per expositores sacrae Scripturae exponantur vel discernantur; nec est etiam inconveniens, quod homo, qui fuit auctor instrumentalis s. Scripturae, in uno verbo plura intellegeret" *(Quodl. VII a. 14 ad 5);* „nam, ut est eadem ratio alibi ab eo enuntiata, aliae scientiae sunt per rationem humanam editae, haec autem Scriptura per instinctum inspirationis divinae" *(prooem. comm. in Ps. 1).* Et verba s. Petri exponens: „Non enim, inquit, voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines . . Ideo lingua hominis se habet in Scriptura s. sicut lingua pueri dicentis verba, quae alius ministrat, *ps. 44, 2:* ‚Lingua mea calamus', et *2 Reg. 23, 2:* ‚Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam'".

b) *Post ipsam* vero *divisionem scholarum* haec doctrina indivisa permansit. Brevissime Melch. Canus: „Libros, inquit, sacros et canonicos appellamus, quos Spiritu S. dictante sacri auctores exceperunt" *(de ll. theol. II 1).* „Habemus igitur, ita Bannez, conclusionem certam secundum fidem catholicam, quam a ss. patribus accepimus; et ecclesia catholica magistra et duce omnium fidelium animis indita est" . . hanc: *„semper sacros scriptores Deo inspirante scripisse".* Ipsam autem inspirationem invenit in eo, quod *Deus „ad res scribendas excitavit et ne errarent manu tenuit" (scholastica commentaria in I. partem s. Thomae in qu. 1. ad art. 8).*

Ex altera parte Suarez: „Est, inquit, Scriptura instinctu Spiritus Sancti scripta, dictantis non tantum sensum, sed etiam verba"; „sicut ergo verba, quae loquitur lingua vel quae calamus scribit, a Spiritu loquentis vel scribentis dictantur, ita verba canonici scriptoris a Spiritu Sancto . . Si ergo Dominus narrat, ipse est, qui principaliter verba profert" *(de fide disp. V s. 3 n. 3 sq).*

Longum est alia aliorum doctorum scholasticorum addere testimonia, cum sine controversia admittatur, usque ad concilium tridentinum neminem inveniri, qui dissenserit; sicut nec postea inter vere catholicos invenitur ullus. Conferre tamen poteris, quae uberiora exhibet Pesch *o. c. p. 142—207; 277—308.*

Scholion. Ad argumentum nostrum ex ss. patribus et theologis allatum complendum pertinet, ut consideremus, quomodo doctrinam suam proferant ut eam, quae fide amplectenda sit; id quod ex ipsis testimoniis fere manifestum est. Vide v. g. textum Bannesii modo exhibitum. Addamus tamen nunc quaedam patrum suffragia, quae rem etiam ex hac parte illustrent.

a) Tanquam res, quae simpliciter in argumentatione supponitur, haec doctrinae nostrae sacra indoles tractatur ab auctore anonymo *de diversis gnosticorum sectis*, dicente: „*Aut* enim non credunt divino Spiritu Scripturas esse conscriptas: et sunt infideles; *aut* semetipsos arbitrantur sapientiores esse Spiritu S.: et quid aliud indicant per hoc, nisi quia daemone aguntur?“ — Eandem doctrinam ut manifestissimam profitetur Origenes: „Sane quod Spiritus S. unumquemque sanctorum vel prophetarum vel apostolorum inspiraverit . . manifestissime in ecclesiis praedicatur“; et hoc inter „species eorum inveniri dicit, quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur *(de princ. I 4, 8)*. — Eodem modo Cyrillus hieros. *Catech IV n. 3* inter „summa necessariorum dogmatum capita“ undecimum recenset „de divinis Scripturis“, quae divinae vocentur, quia „unus est utriusque testamenti Deus“; eo quod, ut sub *n. 24* accuratius declarat, divinae Scripturae a Sancto Spiritu dictatae sint (λαληθεισῶν)“; eo quod, ut *Catech. 16* interpretatur, „ipse Spiritus S. elocutus est Scripturas, ipse de se ipso quoque dicit, quaecunque voluit seu quaecunque capere potuimus“.

b) Eadem fides resonat ex ecclesia occidentali; ita ex. g. Rufinus in *comment. in symb. apost. n. 36* profitetur: „Novi ac veteris instrumenti volumina secundum majorum traditionem per ipsum Spiritum Sanctum inspirata creduntur“. — Ne tamen in re evidenti nimis abundemus, finem faciamus cum verbis, quibus s. Augustinus disputationes *contra Faustum* conclusit: „Breviter vos admoneo, qui illo tam nefasto errore tenemini, ut, si auctoritatem Scripturarum omnibus praeferendam sequi vultis, eam sequamini, quae ab ipsius praesentiae Christi temporibus per dispensationes apostolorum et certas ab eorum sedibus successiones apostolorum usque ad haec tempora toto terrarum orbe custodita, commendata, clarificata pervenit“ *(XXXIII 9)*; cf. etiam *De civ. Dei XVIII 41.*

c) Similiter inter scholasticos theologos haec res per modum axiomatis et veritatis indiscussibilis assumitur vel supponitur; cf.

testimonia supra allegata, v. g. S. Thomae *in 2 sent. d. 12 a. 2* vel Bannez in *I p. S. Th. q. 1 a. 8.*

§ 4. Exceptionibus satisfit.

I. Contra argumentationem nostram ex patribus factam haec fere proferunt.

1. Asserunt, christianos olim sicut libros sacros, ita et libros profanos ipsorum ethnicorum inspiratos existimasse; ita v. g. Clemens alex. in *cohort. ad gentes 6* declarat ea, quae ethnici de rebus divinis recte scripserint, „ab iis afflatu Dei scripta esse"; cf. etiam *Strom VI 18* ad finem.

Attamen certe non sunt multi, qui hac in re cum Clemente senserint; ideoque quoad christianos in universum assertum istud merito negatur. Quod *autem* Clementem in specie attinet, hic auctor, sicut in aliis rebus, ita et hic peculiarem sententiam fovit, ex qua Verbum sive Logos omnis veritatis inter homines immediata causa sit; et hoc sensu ipse inspirationem, aliqualem saltem, reapse ad particulares quasdam sententias in libris ethnicorum expositas extendit. Inde *autem* minime sequitur, eum statim integros ethnicorum libros sub inspiratione conscriptos existimasse; multo minus, eum inspirationem s. Scripturae denegasse. Quae qualis ex ejus sententia sit, ex integra ejusdem doctrina, non ex nuda voce qua tali eruendum erit.

2. Idem fere respondeas, si forte patres inveneris affirmantes, se quoque vel christianos in genere in suo loquendi vel procedendi modo esse vel fuisse inspiratos. Qua in re provocant adversarii ad *Act 15, 28*, ubi apostoli dicunt: „Visum est Spiritui S. et nobis"; vel ad Clementem rom., qui suam ad *corinthios* epistulam habet ut „ea quae a Deo per nos dicta sunt" *(19, 1)* vel „a nobis per Spiritum S. scripta" *(63, 2)*.

Quid inde? Numquid s. Scriptura his negatur inspirata esse? Certe non! Neque enim eo quod inspiratio aliis, licet immerito, adscribitur, ss. Scripturis denegatur. Ast certe notio inspirationis saltem videtur differe a nostra. — Qua in re attendas, quae sequuntur. Vox *nimirum* inspirationis non statim ab initio prorsus determinatum habebat sensum. Quare in singulis casibus ex ipsis

sermonis circumstantiis et ex integro contextu determinandum erit, quo sensu singuli auctores hic et nunc voce ista usi sint: num de inspiratione, quae sit simplex quaedam quaecunque motio divina, an de peculiari motione ad ipsum scribendum locuti sint. Ita et nos argumentationem pro inspiratione Scripturae instituentes processimus.

3. Inde quod nonnulli patres libros quoque apocryphos inter canonicos et inspiratos recensuerint, non sequitur, quod hi in ipso facto vel notione inspirationis asserenda a consensu reliquorum aberraverint; sed ad summum, eosdem aliquem librum declarasse inspiratum, qui de facto inspiratus non sit. — Ita (Ps.-) Barnabas quartum Esdrae et librum Enoch; Clemens rom. Assumptionem Moysis, Hermas librum Eldat et Modat inter Scripturas adnumerasse videntur.

4. Si vero adversarii contendunt, ex patribus saltem apostolicis nos non habere, nisi quod verba s. Scripturae ut irrefragabile argumentum in rebus fidei adhibuerint, hoc merito negatur. Plus enim valent ex. g. verba ex epistola Clementis rom. supra allegata; plus etiam insinuat modus ille Barnabae, quo ea quoque, quae de Deo quasi de tertia persona in ss. litteris dicuntur, ad Deum loquentem reduxerit *(2, 10)*. — Et *in genere* eundem modum in Scripturis procedendi hi patres apostolici servant, quem apostoli, quem tenuit Dominus; hi autem in sua argumentatione Scripturam ut inspiratam plane supponebant. Idem etiam hos antiquiores patres de inspiratione sub certis formulis citandi et loquendi sensisse merito credimus, quod patres immediate subsequentes iisdem formulis supponebant, de quorum fide vel sensu hac in re nullum dubium est.

5. Si demum ss. patres gradus in dignitate Scripturae vel quoad ipsam inspirationem distinguunt et admittunt, paucis exceptis non cogitant de ipso essentiali respectu, quem inspiratio ad Deum infert: quo liber inspiratus ab ipso Deo mediante hagiographo humano conscriptus sit. Sine ulla autem offensione contra dogma nostrum gradus admitti possunt ratione adjunctorum magis accidentalium, eo quod v. g. mysteria et veritates sub inspiratione conscriptae magis vel minus sublimes, quod cognitio rerum conscribendarum modo plus vel minus mirabili hagiographo facta est, quod aliquis liber sacer plus vel minus aptus invenitur ad dogmata fidei ostendenda et comprobanda etc. Ita

v. g. Clemens al. novum testamentum extollit prae vetere eo, quod in novo iam Christus, ipsum Verbum incarnatum loquens inducitur.

Atqui, ita subsumunt, etiam essentiale discrimen inter libros s. Scripturae admittebatur. — *Resp:* ast dein ii, qui tale discrimen admittebant, v. g. quod nonnulli libri propter aedificationem tantum fidelium conscripti essent, hos libros etiam a canone ipsius Scripturae removebant. Unde ex hac parte potius rei confirmatio habetur. De celebri distinctione inter *ll. canonicos* et *ecclesiasticos* cf. Cornely *comp. n. 22 sqq.* et quae infra dicemus *pg. 122 sq.*

II. Majoris momenti non sunt, quae ex ratione excipiunt; desumuntur autem adversariorum argumenta *vel* ex ratione ipsa sive ex notione inspirationis, *vel* ex indole Scripturae in se consideratae sive ratione causae sive ratione materiae ejusdem. De singulis ex ordine paucis agemus.[1])

1. *Ex parte ipsius inspirationis.* — a) Inveniuntur, qui existiment: catholicum inspirationis conceptum aliquid mantici includere, quod homine rationali etiam indignum esse videatur: per inspirationem *nimirum* activitatem intellectus et voluntatis suspendi; ejusmodi autem rem merito permitti diis ethnicorum, immerito vero adscribi majestati veri Dei. — In his *merito negabis suppositum,* per inspirationem *nimirum* activitatem hominis spiritualem suspendi: de qua re plura audiemus in capite sequente.

Si vero instant, omnem influxum divinum praeternaturalem in creaturis exclusum vel et impossibilem esse; si urgent, eum esse psychologiae progressum, ut jam omnes motus vitales in homine ad causas plane naturales reduci possint: omnem ejusmodi quaestionem remittas ad tractatum de revelatione, quo ostenditur ex professo multa per decursum saeculorum accidisse facta tum ordinis physici tum ordinis intellectualis et moralis, quae secundum ejusmodi leges naturales explicari nequeant.

b) Ad eundem fontem remittendus est, qui haec vel similia exceperit: religionem saltem non existere nisi naturalem, quae nimirum procedat ex principiis mere naturalibus et quae non sit nisi pius in Deum fiduciae sensus; ad hanc autem facta

[1]) Juvat hic integrum conspectum addere difficultatum, quamvis non paucae eorum accuratiorem solutionem expectent ex iis, quae postea de natura inspirationis dicenda sunt.

illa historica, inter quae inspiratio connumeretur, nihil omnino conferre; majore igitur ex parte eandem inutilem apparere. — In his inprimis negantur, quae in majore propositione asseruntur. Existit enim, ut in tr. de revelatione ostenditur, religio supernaturalis. Neque definitio religionis, quam iactant, vera est. Religio enim ex universali gentium conspiratione in agnitione cujusdam dependentiae consistit, quae est inter Deum et hominem. Ut talis religio ab intellectuali cognitione incipit et ipsa fides, in qua supernaturalis religio innititur, essentialiter actus et assensus intellectus est Ad hanc autem fovendam facta etiam historica multum omnino conferunt: quaedam nimirum ejusmodi facta tanquam motiva credibilitatis fidem praeparant *(miracula prophetiae)*; quaedam vel inter essentialia ejusdem dogmata recensentur *(v. g. peccatum protoparentum, incarnatio Verbi)*, alia autem res fidei illustrant, quo referas integram veteris oeconomiae historiam. Hunc in modum etiam factum inspirationis multum conferre potest ad religiosam eruditionem eamque maiore cum securitate retinendam.

Adhuc instant: omnis religio absolvitur immediata singulorum hominum ad Deum suum relatione. Jam vero inspiratio hominem hagiographum quodammodo intermedium ponit inter animam ejusque Deum. Ergo respuenda erit. — *Distinguas majorem:* religio ut est virtus moralis in suo exercitio immediate Deum respicit *tr.* religio, in quantum necessariam instructionem legesque vel normas supponit *ng.* Cf. quae in tractatu proprio de revelatione mediata exponuntur et iterum in tractatu de ecclesia ejusque magisterio repetuntur.

c) Si *demum* adversarii inculcant omnes religiones historice explicandas esse, nos non obtrectamus; hoc tamen vindicamus, ne ex hac historica consideratione a priori facta illa excludantur miraculosa, quae historice omnino certe probantur et quibus existentia tum revelationis in genere tum etiam inspirationis in specie secundum legitimam historiae methodum solide comprobatur. Cf. *Van Laak o. c. n. 389.*

2. *Ex parte ipsius Scripturae ejusque originis excipiunt:*

a) Entia non sunt augenda sine necessitate. *Atqui* ad longe plurimos s. Scripturae libros conscribendos scientia hominis plane connaturalis sufficiebat; cogita v. g. de tot libris historicis, qui facile omnino ex fontibus humanis componi potuerint. *Ergo* non recurrendum erit ad rem tam extraordinariam, qualis inspiratio esset divina.

Haec exceptio supponere videtur, inspirationem in hagiographo necessario formalem revelationem inferre; haec vero suppositio falsa est. Neque enim semper agitur de rebus revelatis conscribendis in Scriptura divina. Poterant autem pro Deo rationes peculiares subesse, cur praecise hae vel illae res, vel ipsius ordinis naturalis et historici, conscriberentur et humano generi divina etiam cum auctoritate traderentur; unde et Ipse propria providentia curare debebat, ut scriberentur, i. e. auctores ejusmodi librorum ad id movere et inspirare debebat.

b) Ast omnes sacri libri ex integro causas habent atque occasiones humanas, quae historica methodo detegi possunt. Ita v. g. Marcus evangelium suum conscripsit, quia romani id ab eo postulabant. Joannes rogantibus discipulis suis, Lucas ex diligenti fontium inquisitione. Unde nulla inspiratio coelitus tamquam eorum causa efficiens advocanda erit. — Addunt etiam. patres hoc elementum non satis attendisse; ideo ad theoriam suam tam mysteriosam de inspiratione delapsos esse.

At enim vero patres ipsi omnia illa adjuncta de occasione, de tempore. de materia sacrorum librorum accuratissime enarrant eaque omnia nobis ipsi tradiderunt; unde immerito dicuntur ea ignorasse vel non considerasse. Quod autem ipsam attinet difficultatem, quae in hac re latet, mox plura audiemus. Nunc retine, hagiographum non automatice ad modum instrumenti inanimis ad libros divinos conscribendos accessisse, sed sub motione et directione Dei proprium simul facultatum suarum usum attulisse; Deumque etiam rebus et occasionibus naturalibus ad finem suum uti potuisse; unde hae per inspirationem non excluduntur.

c) Adhuc movent rationem, quod inter hagiographos etiam homines perversi inveniantur; unde gratia ista inspirationis etiam indignis collata esset. Id *vero* dignitati divinae operationis tam extraordinariae prorsus non convenire videtur; *ergo* in ejusmodi operatione divina inspiratio consistere non videtur.

Retineas inspirationem esse gratiam gratis datam (qualis prophetia in genere vel et sacerdotium novi testamenti est); ejusmodi autem dona divina etiam indignis per se conferri possunt. *Nihilominus* donum inspirationis communiter sanctis dari solet: ne nimirum ex perversitate instrumenti seu ministri sacra et divina doctrina a limine rejiciatur. Et ideo qui ex hagiographis indigni apparent (Salomon), hoc non tempore inspirationis fuisse videntur, sed potius postea a meliore vita desciverunt. De his cf. Van Laak *o. c. n. 385 sqq.*

3. Plurima denique contra inspirationem congerunt *ex parte materiae ipsius Scripturae*: quae hisce fere comprehendi possunt. S. Scripturae a) tot et tantae inhaerent imperfectiones humanae; b) enuntiationes, quae ibi reperiuntur, certis scientiarum profanarum conclusionibus contradicunt; c) imo in multis ipsa sibi contraria apparet et d) ea res nobis enarrat, quae a priori absurdae et in se impossibiles merito declarentur; e) res denique continet, quae bonis moribus adversentur. — His autem conditionibus Scriptura jam Verbum Dei vel divinitus inspirata esse nequit.

Resp.: **A. In genere.** — a) *Praeprimis* quaeramus ex adversario: numquid quae nobis ut vitiosa obtruserit, legerit in textu originali? Distinguendum *enim* est inter originalem textum, qualis per ipsum Deum nobis traditus est, et inter textum, qualis in variis apographis et versionibus nobis transmissus est. Cum solum textum originalem nos dicamus immediate esse inspiratum, hunc teneamus ab omnibus vitiis et erroribus immunem; versiones autem et apographa, utpote quae per se sola humana operatione ex originali deriventur, ut versiones et apographa immerito dicuntur inspirata; ideoque vitia et errores in iisdem inveniri poterunt. Et hoc de ipsa Vulgata quoad textus critice dubios vel quoad textus non dogmaticos vel, quando non agitur de summa historiae, valet. — Unde ex erroribus, qui in editionibus s. Scripturae nunc certo inveniuntur, concludi potest, nos non habere editionem Scripturae critice perfectam: non tamen licet concludere, Scripturam ab origine non esse inspiratam.

b) Si autem quis ostenderit, corruptionem textus sive in apographo sive in versione valde improbabilem vel et fere impossibilem esse: non tam facile concedendum erit erroneum esse, quod in Scriptura legatur. In hoc casu jam aliae viae rem componendi ineundae sunt: distinguendum ex. g. erit inter errores proprie dictos et inter modum quendam loquendi magis popularem, qui non tam stricte normas respexerit scientificas, recte tamen intellegi possit.

c) Similiter distinguere debemus inter elementum formale seu essentiale *(veritates* nimirum *et sententias,* quae proprie et ex integro Deo attribuantur), et elementum materiale seu accidentale *(modum* nimirum *res exprimendi, stilum, dispositionem).* Haec aliquantulum vel totaliter fere arbitrio et industriae hagiographi committuntur et ideo de hagiographi conditione et defectibilitate participare possunt, quemadmodum postea largius videbimus et patres ab antiquis temporibus concesserunt. In his vero de erroribus sermo esse nequit, sed de imperfectionibus tantum grammaticis vel stilisticis.

d) Tandem aliquando attendas, quod s. Scriptura non omnia approbat, quae nobis enarrat; et ideo multa facta impiorum et eorum dicta absque ulla offensione nobis tradere potuit, quin de imperfectione vel vitio eorum participet.

B. In specie quoad singula haec accipe.

a) Si adversarii provocant ad imperfectiones Scripturae: hae facile conceduntur quoad versiones et apographa: sed etiam quoad ipsum originale, in elemento tamen materiali tantum. Neque vero quoad originale concedi possunt imperfectiones positivae in elemento essentiali seu formali, certe non post encyclicam *Providentissimus Deus* a Leone XIII editam.[1]) — Ceteroquin de hac re accuratius postea, ubi de inerrantia Scripturae ex professo agendum est.

[1]) Dicimus: imperfectiones positivae i. e. defectus sive privationes perfectionis debitae quoad veritatem. Negativae imperfectiones etiam hic occurrere possunt v. g. eo quod hagiographi non omnem veritatem possibilem nobis aperiant.

b) Quod dicunt, in Scriptura errores vel absurditates inveniri, quae certis scientiarum conclusionibus contraria esse videantur: id concedi potest, in sacris litteris hinc inde tradi orationes vel epistulas quorundam hominum simul cum erroribus eorum. Error vero, qui ex mente proferatur ipsius Scripturae vel certo pertineat ad ipsam scriptionem originalem, hucusque nondum ostensus est.

Alia autem, quae proferuntur, facile tanquam apparentes tantum errores explicantur, qui exponi debent secundum modum loquendi vulgarem. Hunc modum loquendi Scriptura pro fine suo adhibere potuit et debuit; ad populum nimirum instruendum populari etiam et vulgari modo disserere ei necesse erat. Huc referas, quae in s. Scriptura leguntur de luminari majore et de luminari minore (luna), quod tamen praesit nocti reliquisque sideribus; huc referas quae dicuntur de reditu vel institione solis, de lepore ruminante, de serpente volante, et alia hujusmodi; de quibus cf. Fonck *Die naturw. Schwierigkeiten in der Bibel ZfkTh XXXI (1907) 401 sqq.*

c) Simile aliquid repetendum erit de antilogiis, quibus Scriptura secum ipsa involvi videtur. Ejusmodi contradictiones certo inveniuntur in versionibus et apographis;[1]) quoad textus autem originales ejusmodi antilogiae, quae vere subsistant non inventae sunt. Reperiuntur autem contradictiones apparentes (Enantiophanien), de quibus pro singulis casibus consulendi sunt exegetae. Ejusmodi antilogias collegit jam olim Tirinus in *commentar. in V. et N. T. (indice IV)*, quemadmodum longe ante ipsum inter patres sat multi hac in re operam suam impenderant, ut s. Augustinus v. g. *de consensu evangelistarum.*

d) Inter absurditates Scripturae adversarii enumerant etiam „fabulosa quaedam, ut ajunt, et mythica", ut sunt creatio Evae ex costa Adae, aetas longaeva hominum priscorum, diluvium cum arca Noae, quae narrantur de Balaam ejusque asina et similia. — Sed ista exceptio immediate vana apparet, cum praesumptione innitatur, miracula fieri non posse vel omnia fieri debuisse olim, sicut nunc fiunt, vel in genere omnia, quae extraordinariam Dei providentiam sapiant, repudianda esse. De his accuratius agendum erit altera tractatus parte.

e) Quid demum dicemus ad quintam rationem, quod Scriptura res immorales contineat et enarret, quin eas reprobet, imo ita ut eas approbare videatur?

---

[1]) Quod ejusmodi res in apographa ingredi potuerint, facile intelleges ex celebri loco *1 Cor 15, 51*, si hic Vulgatam comparaveris cum textu graeco originali.

α) Huc pertinent mendacia v. g. Abrahae, qui Saram uxorem suam ut sororem praesentaverit Pharaoni, Jacobi, qui mendaciter finxit se Esau esse, ut benedictionem patris sibi arriperet; ita et Judith mendaciis et simulationibus Holofernem vicisse narratur . . — De Judith haec monet s. Thomas: „Quidam commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quandam virtutis indolem, sc. quia apparebat in eis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quaedam indebita facienda; et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis sese exposuit" *(S. th. 2, 2 q. 110 a. 2 ad 3)*. Si haec non placent, cum Tirino tene eam restrictionibus in bello et justa defensione certo non illicitis usam esse. — Abraham mentitus non est, ut patet ex sacra historia ipsa; Jacobi modus procedendi autem nuspiam in Scriptura laudatur, sicut nec reliqua per Scripturam directe commendantur. Si autem „Deus melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere" (Augustinus *enchir. 27)*: hanc suam providentiam etiam nobis enarrare potuit.

β) *Attamen* secundum enarrationem Scripturae ex ipso mandato Dei horrendae crudelitates fiunt, maledictiones quoque et imprecationes horribiles ut res plane innocuae, maxime in quibusdam psalmis proferuntur!

Crudelitatem vocant, quod Deus chananaeos radicitus cum ipsis mulieribus et infantibus delere jusserit populum suum. *Ast*, statim repones, meruerunt, et Deus ut Dominus omnis creaturae ultor hac in re extitit criminum abominabilium; *insuper* Deus populum suum electum a contaminatione, quae, ut eventus ostendit, iure merito ex conversatione cum ejusmodi gentibus timenda erat, praeservare voluit.[1]) — Aliorum autem crudelitates in Scriptura simpliciter enarrantur, quin approbentur; sic quae David hinc inde fecit.

Quod maledictiones attinet, quae occurrunt in psalmis et non raro apud prophetas, non utique unum responsum omnibus locis adhibendum erit. In genere autem loquendo *aut* agitur hic

[1]) Cf. de hac re Jo. Weiß *Das Buch Exodus pg. 205 sqq. in nota ad calcem.*

de praedictionibus suppliciorum, quae absoluta voluntate divina jam praedestinata erant: *„prophetae solent in figura imprecantis futura praedicere“* (s. Thomas *S. th. 2, 2 q. 83 a. 8 ad 1)*; in qua re nota, hebraeis non fuisse distinctas formas grammaticales ad futurum vel modum optativum indicandum. *Aut* agitur de maledictionibus conditionatis, quae non valeant nisi sub ea conditione, quod inimici Dei non convertantur; *aut* sermo est de imprecationibus, quae non ipsis personis, sed eorundem potius sceleribus fiant; *aut* denique fiunt non amore vindictae, sed zelo justitiae divinae. Sub his vero conditionibus omnis imperfectio moralis cessat; cf. hac de re s. Thomam (praeter locum citatum) *ib. q. 25 a. 6 ad 3.*

γ) Quoad ea *denique*, quae luxuriam sapiunt: *imprimis* attendendum est, quod in iis, quae de lege naturae secundaria sunt, per Deum quaedam dispensatio fieri potest; et hanc ex condignis rationibus divinitus factam esse, praesumi potest pro polygamia inter patriarchas usu recepta. — *Ceteroquin* ipsa peccata contra castitatem nuspiam acrius reprehenduntur et poenis plectuntur quam in libris Scripturae vel veteris testamenti (cf. v. g. *Gen 18 sq; ll. sapientiales; 2 Reg 12, 10 sqq).* Cum vero de ejusmodi rebus Scriptura verba immiscet, hoc ob sublimiores fines facit, propter quos et scientia moralis et medicinalis in iisdem rebus versari debet; numquam autem scandalosa vel obscoena propter se vel curiositatis causa profert; cf. Knabenbauer *in proph. min. 1 p. 22 sqq.*

4. Dubius fors mireris, a) cur inspirata Scriptura, cujus finis sit religionem promovere, tam multa, quae summi momenti sint, aut omittat aut non multum premat; alia autem, quae ad finem religiosum parum omnino conferant, largissime enarrat. Ita vetus testamentum majore ex parte sollicitum est circa historiam populi Israel ejusque ordinem, numerum, genealogias aliaque hujusmodi.

In hac re praeprimis firmiter tenere debemus, Scripturam non esse neque unquam fuisse unicum veritatis religiosae fontem, sed adnexum habere et habuisse etiam in vetere oeconomia vivum magisterium, cujus congenitum munus erat, ea praecise, quae magis necessaria et graviora erant, perpetuo inculcare; unde de his non adeo Scriptura diffusa esse debebat. — Historica autem illa, quae sive in novo sive in vetere testamento inserta sunt, *ex una parte* ad veritates religiosas intellegendas maximi momenti erant (ad intellegendam et oculis fere conspiciendam providentiam divinam); ob peculiarem autem et sublimissimum finem etiam necessaria erant, cum ostenderent, qua ratione Deus in populo isto genus humanum a lapsu reduxerit

et ad salutem et redemptionem ipsam pedetentim praeparaverit. *Ex altera parte* historicae res, praesertim tam complexae, facile memoria excidunt vel adulterantur, si oraliter tantum traduntur; ideo necesse erat, ut authenticis scriptis consignarentur.

b) Quaesiveris tandem, cur Deus per inspirationem tam multa saepius repetiverit vel distinctis libris eadem fere tractaverit, cum tot novae veritates inculcare potuerit.

Sed et pro ejusmodi repetitione rationes adferri possunt. Vel ex ipsis adjunctis et circumstantiis temporum apte declaratur, cur iisdem necessitatibus redeuntibus eaedem veritates summi momenti identidem inculcentur: ita idololatria iterum iterumque in populo Israel grassabatur, unde iterum iterumque ejusdem populi ingratitudo erga Deum suum describitur a prophetis. — *Altera ratio* potuit esse, ut una relatio et narratio per alteram confirmetur vel et suppleatur, quemadmodum in narrationibus evangeliorum accidit. Cf. *Van Laak n. 395 sq.*

§ 5. Excursus historicus.

Literatura: Ex libris supra laudatis cf. Pesch *o. c. p. 202—264;* Van Laak *de Scr. insp. atque inerr. f. I n. 114 sqq.* — Praeterea Fillion *Les étapes du rationalisme dans ses attaques contre les évangiles*; E. Rabaud *Histoire de la doctrine de l'inspiration des ss. écritures dans les pays de langue francaise.* — W. Rohnert *Die Inspiration der hl. Schrift und ihre Bestreiter.* — Ceterum cf. Van Laak *l. c. 114—116.*

1. *Quomodo orta sit fides inspirationis.* — Ex iis, quae hucusque exposuimus, jam fere cognoveris, qua ratione persuasio de inspiratione s. Scripturae exorta sit: coepit nimirum cum ipsis hagiographis. Hi enim de modo, quo ad libros suos sacros conscribendos moti fuerint, hinc inde accuratissime enarrant: ita jam princeps inter eos Moses (v. g. *Exod 17, 14* et iterum *ib. 24, 4)* et similiter postea tam multi prophetae idem de se testati sunt; relegas, si placet, quae supra *pg. 31 sq* de hac re exposuimus. Ita judaei hagiographis suis tantum credere debebant et conceptum verae inspirationis habebant. Fides autem judaeorum, quae his propheticis declarationibus nata est et continuo fovebatur, per Christum deinde et apostolos sollemniter confirmata est, quorum doctrina in multis signis et manifestis argumentis di-

vinam se praebuit. Unde statim ab ipsis initiis christianae religionis christianos eadem persuasione imbutos reperimus.

Quae cum omnia manifesta sint, constat falsas esse omnes rationes et theorias, quibus rationalistae et protestantes recentiores originem hujus fidei ejusque evolutionem prorsus naturalem ostendere conantur.

1. *Falsae theoriae.* — Speciminis gratia audiamus unam vel alteram expositionem eorum. — a) Hase v. g. secundum ea, quae Denzinger *Vier Bücher von der rel. Erk. II 165* refert, rem ita explicat: Ab initio in vetere testamento, quemadmodum ceteroquin in tota antiquitate, singula quaedam facta vel dicta, ab hominibus ingenio religioso illustribus prolata, divino cuidam spiritui attribuebantur, quibus tamen nullatenus valor infallibilis tunc concederetur. Paulatim demum, prophetis jam non existentibus, integri eorundem libri ejusmodi motioni divinae adscribebantur et motio illa generalior transformabatur in dictationem seu inspirationem formalem. Hac in transformatione influxum suum exercebant certae ideae graecorum, praeprimis quae inter eos habebatur de inspiratione mantica oraculorum et quae Plato de sacra tradebat insania. — Prorsus similia tradit Sabatier *Les religions d'autorité et la religion de l'esprit p. 281 sq.*[1]); conferri etiam poterunt, quae Schürer hac de re tradit *Geschichte des jüd. Volkes II*[4] *§ 25 p. 365 sqq.*

b) Hucusque de origine ideae inspirationis in vetere testamento. Sabatier *l. c. p. 283 sqq.* statim addit, qua ratione inspiratio translata sit ad novum testamentum, dicens: ab initio omnes christianos se inspiratos esse existimasse; quin tamen donum infallibilitatis sibi attribuissent. Hunc statum essentialiter mutatum esse a medio saeculo secundo: „A mesure que les documents du christianisme primitif entraient en usage pour la lecture publique dans le culte, à côté des livres de l'ancien testament, on les clas-

[1]) „Plus tard seulement, quand la génialité religieuse des prophètes fut éteinte et que la grande époque littéraire fut close, on eut une vénération religieuse pour la lettre des livres saints, et alors aussi chez les Juifs, par oubli et inintelligence de ce qu'était l'inspiration prophétique, se forma la croyance que le texte hébraique tout entier, et chez les Hellénistes, celui de la traduction des LXX était l'oeuvre même de Dieu, la dictée de son Esprit. La dogmatique de l'école allait remplacer la libre poésie du premier âge. De l'une à l'autre la théorie platonicienne de l'enthousiasme et de la divine folie a fait la transition. Philon l'applique sans scrupule à le'tat prophétique. ."

sait dans la même catégorie et on leur appliquait la même conception philonienne de l'inspiration. On voit reparaître pour eux, pour les écrits des prophètes les images de la lyre ou de la cithare que l'archet céleste, le Logos divin fait chanter à la gloire de Dieu".

Uberius ejusdem theoriae elementa pro libris novi testamenti exponit Harnack *Dogmengesch. I³ 372–89*, cujus praecipuas ideas hisce fere comprehendit Van Laak *o. c. n. 366*: Ante a. 150 inter christianos persuasionem nondum extitisse, qua libri novi testamenti, quamvis in canonem quendam jam essent collecti, crederentur inspirati; exinde orta est ejusmodi fides, si velis Harnackio fidem adhibere, hisce fere passibus. Inveniebantur in illis libris dicta Christi et verba prophetica (prophetarum nimirum novi testamenti); et cum testimonium apostolorum semper in summa auctoritate collocaretur, quamvis nondum scriptum fuerit, connaturaliter eadem auctoritas in ea translata est, quae scripto reliquerint. Exortae sunt mox controversiae cum haereticis, qui multa, quae in scriptis apostolicis legebantur, in dubium vocabant; unde ad difficultates removendas libri apostolorum integri declarati sunt inspirati. Hunc conceptum pietas ut ait reflexa saeculi secundi eousque exaggeravit, ut jam S. Spiritus et apostoli formarentur in conceptus inter se correspondentes; apostoli autem in hac aequatione intellegebantur qua scriptores librorum novi testamenti. — Eadem, clariore tamen expositione repetit R. Seeberg *Lehrb. der Dogmengesch. I³ 293 sq.*[1]).

2. *Falsae theoriae refutantur.* — a) Hae theoriae certe non nituntur, ut merito expectares, factis vel rationibus historicis; sed vanis praejudiciis, inspirationem sicut omnem revelationem supernaturalem simpliciter et a priori repudiandam esse; sunt enim rationalistae, qui eas adinvenerunt.

Imo contrariae inveniuntur historiae; sensus enim et judaeorum et inprimis christianorum ab ipsis initiis prorsus diversus apparet ab illo, qui eis heic subjicitur. Ita v. g. Paulus *Rom 3,*

[1]) Etiam secundum hunc auctorem agebatur proxime de inveniendis fontibus, quibus veritas christiana secure proponeretur: „Das Beweismittel (für die christliche Glaubenslehre und Predigt) waren zunächst die hl. Schriften; neben den alten Weissagungsbeweis trat der Beweis aus den neutestamentlichen Büchern. Die besondere Weise des gnostischen Gegensatzes brachte es nun aber mit sich, daß man der Herkunft dieser Schriften eine große Bedeutung beimaß. . Es war nur eine Folge jener Wertung der neutestamentlichen Schriften, wenn man jetzt auch die Inspiration ausdrücklich von ihnen aussagte. Der Fortschritt, der hiedurch gemacht wurde, wird erst verständlich, wenn man im Auge behält, daß mit der Inspiration zugleich die ganze jüdische Anschauung von dem heiligen Buchstaben akzeptiert wurde. ."

1 sqq: „Quid, inquit, ergo amplius judaeo [prae graecis] est? aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum: *primum* quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei." Cogita nunc fidem in ejusmodi eloquia Dei qua talia haustam esse ex ideis analogis ethnicorum vel graecorum: nonne gloriatio Pauli immediate ut absurda apparet? — Quemadmodum autem Paulus, ita etiam reliqui christiani priscae istius aetatis maximam eamque contrariam oppositionem semper invenerunt inter libros, quos ut sacros colebant, et inter libros ethnicoruum vel eos, quibus hi divinam originem attribuebant; neque enim quidquam ex opinione christianorum in hisce terris inveniebatur, quod cum libris sacris comparari posset.

b) Certissime neque christiano neque judaeo in mentem unquam venire poterat, illos libros cum iis manticis phaenomenis conferre, quae in divinationibus acciderint ethnicorum; quae secundum praecepta eorundem librorum ut pessimae abominationes ab initio proscribebantur (lege v. g. *Lev 20, 27; Num 23, 23; 4 Reg 17, 17. — Doctrina apostol. 3, 4; 5, 1; ep. Barnab. 20, 1; Pastor Hermae mand. XI*). — Quod judaei in specie ejusmodi influxus ab ideis ethnicorum oriundos vehementer rejecerint, legas Schürer *o. c. II § 22 III p. 189 sqq.*

Dixeris: Philo tamen ejusmodi influxus passus est. — Reponas, quod Philonem fides de inspiratione jam longe antecesserat. Neque ipse Philo per suas theorias originem huius fidei, sed ipsam rem speculative explanare volebat; in quo conatu deinde ut alibi ideas philosophiae graecae adhibebat. De simili re vero ne vestigium quidem apud vetustiores judaeos, maxime palaestinenses apparet.

c) *Insuper* in theoriis rationalistarum nonnulli saltus occurrunt, qui omnino non explicantur. *Neque enim* idem est, doctrinam auctoritate frui apostolica et librum aliquem divinitus esse confectum et traditum; *neque idem* est, librum aliquem doctrinam apostolorum vel verba a Deo revelata continere et ipsum librum per Deum conscriptum esse. — *Neque* ex eo, quod canon Scripturae apparet completus, vel quod jam nullum propheticum exurgat ingenium sive quod enthusiasmus charismaticus jam dederit locum pietati reflexae . ., facile aliquis exurgit ad ideam inspirationis Scripturae; quemadmodum auctores isti volunt. In his omnibus res plane mirae reperiuntur, quae mysterium inspirationis ejusque originem non explicant, sed potius ex sua parte nova mysteria explananda ponunt; et hoc sine ulla ratione positiva, imo cum defectu omnis rationis.

d) Quodsi vero jam dicunt: aetas pietatis reflexae, quae aetati charismaticae seu enthusiasticae successerat, normas

quaesivit, unde controversias religiosas dijudicaret; et ideo qui praesidebant in ecclesia, inspirationem Scripturarum inventabant — propriis ineptiis impiam addunt incusationem tot sanctorum virorum, qui tunc ecclesias gubernabant. Praeterquam quod stulta ejusmodi inventio et temeraria fictio semper periculo proximo exposita erat, ne in magno illo et per universum orbem disperso coetu ecclesiastico detegeretur et risu exciperetur, nulla omnino ratio adest, quae tantam et tam conspirantem malitiam per ecclesiam tunc viguisse nobis suspicari permittat, quantam hypothesis ista supponit. — Cognoveris, quomodo critici nostri moderni docti et sapientes ipsi esse nequeant, quin alios viros, maxime qui se defendere hisce in terris non jam valeant, stultos, perfidos, impios declarent. De his omnibus accuratiora videsis Van Laak *o. c. n. 371 sqq.*

II. *Evolutio theoriae inspirationis inter protestantes.* — Theoriae istiusmodi communiter a doctoribus procedunt ex coetibus protestantium, eorum nimirum quorum primi patriarchae unam Scripturam firmamentum et columnam omnis religionis christianae declaraverant. Hi haeresiarchae certe sensus similes de sacra inspiratione nondum fovebant, imo et abominabantur; unde aptam occasionem nacti sumus, ut de evolutione agamus, qua fides traditionalis inter sectas illas ad tam tristem exitum perducta sit.

1. Et sectae protestantes, cum saeculo XVI a recta fide desciverunt, majore saltem ex parte doctrinam de inspiratione Scripturae, quam mater ecclesia usque ad illa tempora ut sanctam haereditatem pie et fideliter custodiverat, et ipsae tunc retinebant. Imo Dei influxum in libris exarandis sacris justo plus exaggerabant, ad hoc ex proprio suo fidei principio adacti, quo Scripturam ut unicam fidei normam praedicaverant.

Ita docebant, Scripturam vi inspirationis seipsam semper explicare sive per testimonium Spiritus Sancti singulis fidelibus immediate Scripturae sensum illucescere. Addebant multi, Scripturam in ipsa forma originalis linguae plane incorruptam ad nos pervenisse atque pervenire debuisse. *Postea* non pauci eorum eousque progressi sunt, ut hagiographis notitiam divinitus infusam omnium omnino rerum etiam earum, quae iis ex principiis naturalibus notissimae erant, adscriberent et tandem ipsorum vocabu-

lorum sive infusionem sive saltem omnimodam per Spiritum determinationem necessariam esse declararent. Aliqui *denique* vi inspirationis verbalis illud quoque concludere conabantur, puncta massorethica ab ipso initio per Spiritum divinum apposita fuisse, quamvis jam tunc ad oculos fere demonstratum esset, haec puncta a doctis quibusdam judaeis inventa esse; imo erant etiam, qui declarare ausi sint, Scripturam incarnationem quandam esse Spiritus Sancti eamque Deum esse neque inter creaturas connumerandam; cf. Dausch *p. 110 sqq;* Pesch *n. 220 sq.*

In his fere doctrina non solum lutheranorum, sed et calvinistarum aliorumque sectariorum (Zwingli forsitan excepto) ab ipsa facta apostasia se evolvebat. Similia retinebant et propugnabant iam Luther (licet hic non semper sibi constabat[1]), Melanchton, Flacius Illyricus, Chemnitius, Quenstedt, Hollaz . .; Calvin, Bullinger, Zanchius . .; ex anglis Whitaker. Clarke. — Auctores singulos cum propria cuiusque doctrina recensitos inveneris Pesch a *n. 211;* Van Laak *n. 126—143.*

2. Attamen germen corruptionis et dissolutionis genuinae de inspiratione fidei a primis initiis in suo gremio confovebant omnes illi sectarii eo, quod infallibilem ecclesiasticae traditionis auctoritatem quoad tradendam et interpretandam Scripturam spernebant. Hoc *enim* traditionis principio semel neglecto necesse erat, ut mox ad graves errores etiam quoad inspirationem et sacram Scripturae auctoritatem dilaberentur. — Et imprimis inspiratio omnium et singulorum Scripturae librorum in ipsa Scriptura non exhibebatur, neque sola traditione historica facile demonstratur; unde jam Luther inspirationem quorundam librorum sacrorum rejiciebat, suosque principio et exemplo suo disponebat ad omnium pedetentim inspirationem denegandam. *Praeterea* conceptus quoque inspirationis, in se sublimis et sat mysteriosus, non ita clare ex Scripturis demonstratur; non igitur miraberis, si eundem conceptum mox attenuatum inter sectarios illos inveneris; qui semel attenuatus facile ad plenam negationem adducitur.

---

[1]) Cf. Rabaud apud Pesch *o. c. p. 205 nota 3.*

a) Non multum ab ipsis initiis illius apostasiae jam quidam negabant, cum inspiratione plenam inerrantiam quoad res quoque minoris momenti necessario esse conjunctam; id vero iam diminutionem conceptus inspirationis necessario supponebat. Alii mox ipsam rationem formalem Scripturae ita explanabant, ut ea in multis quidem partibus revelationem divinam contineret, in historicis vero similibusve rebus profanis Deum non haberet auctorem, sed vadem tantum veritatis. Huc pertinent Faustus Socinus, Grotius. Le Clerc (Clericus), sed et ps.-mysticorum et pietistarum sectae, de quibus cf. Pesch *n. 258 sqq;* Van Laak *n. 144—158.*

b) Interim natus est deismus, cujus praecipui auctores ut Shaftesbury, Bolingbroke in Anglia, Voltaire in Gallia fidem inspirationis deridebant vel et blasphemiis obruebant. Necessaria autem consequentia atheum illud deismi systema verae inspirationis fidem auferre debebat idque duplici ex ratione: directa una, altera indirecta. *Directa; etenim* quomodocunque inspirationem explicaveris, semper aliquid praeter- vel supernaturale intelligas oportet; fundamentale vero principium deismi est. omnem praeternaturalem Dei influxum in mundum semel creatum ut impossibilem esse rejiciendum. — *Via indirecta,* qua deismus ad negandam inspirationem procederet, ex iis habebatur. quae in Scripturis continentur; narrantur ibi tot revelationes divinae, quae et in mysteriis stricte dictis versentur, narrantur tot miracula, prophetiae; atqui haec omnia ex deismi principiis inter absurditates amandanda sunt. Et ideo totam jam Scripturam absurditatibus scatentem inter res minime divinas collocabant. Cf. Van Laak *n. 120.*

c) Deismus porro ille medio fere saeculo XVIII in Germaniam transfundebatur, ibique sub novo nomine rationalismi a Semler, Kant, Wegscheider[1]) fovebatur et ad ideas biblicas adaptabatur. Sub hoc nomine perversio ista brevi doctorum protestantium mentes ita occupavit tantamque stragem iis inferebat, ut paucis (Bavink, Scharling, Lee) exceptis vix relinqueret, qui antiquam de inspiratione doctrinam retinerent. Neque tamen eadem omnes consequentia procedunt: unde jam exeunte saeculo XIX de duabus factionibus inter rationalistas illos theologos loquuntur. Meliore vero jure dixeris unumquemque eorum id sapere, quodcunque ipsi magis placeat, ita ut sententiae eorum per omnem graduum scalam divisae appareant. Habet tamen divisio ista fundamentum suum inde, quod, qui pertinent ad factionem quam vocant dextram, inspirationem quandam utcunque servare velint; factio sinistra plenum proclamat naturalismum.

[1]) De singulis cf. Pesch *n. 232 sqq;* Van Laak *n. 165 sqq.*

α) Qui stant a parte dextra, ut omnes fere protestantes religionem ipsam revocant ad sensum religiosum: *quare* neque inspiratio extra ejusmodi sensum inveniri potest. Inspiratio *igitur* ex eorum sententia certe non est ea, quam secundum antiquam traditionem tenet ecclesia catholica. Definiunt eam sensum religiosum, quo revelatio proprie vel improprie talis, objectiva tamen exhibeatur. Et ideo hagiographos eatenus inspiratos admittunt, quatenus sensu religioso pleni ea scribebant, quibus revelatio divina (v. g. Christi) nobis exhibetur. Huc referas Schleiermacher, Rothe, Haupt, Schultz, R. Seeberg; ex anglis Henderson, W. Lee; ex gallis de Pressensé cum schola ejus.

Generatim hi auctores non obstante inspiratione errores in Scripturis admittunt, nedum in rebus profanis et historicis, vel in ipsis veritatibus religiosis, neque in parvis tantum, sed etiam in magnis. Alter tamen hagiographus alterum corrigit et ita nobis facultas aderit, ex omnibus apte comparatis, quantum necessarium est, revelationem cognoscendi.[1]) In tota tamen re nil supernaturale agnoscunt, nisi forte peculiarem quandam Dei providentiam.

Statim quaesiveris, quid deinde revelatio sibi velit ex sententia eorundem auctorum, si nil supernaturale volunt subesse. Certe non idem hac in re omnes sentiunt, unde necessario in accuratiore inspirationis declaratione, cujus definitio secundum eosdem auctores a revelatione prorsus dependeat, in diversissimas abeunt vias. Sunt, qui revelationem in ipsis factis ordinis historici, ut fatis v. g. populorum, reponunt; sunt, qui eandem in cognitionibus vel emotionibus animi sponte excitatis inveniant, quibus communicatio inter Deum et hominem vivide sentiatur. Quare saepe, si abstraxeris a verbis, in re ipsa vix discrimen inveneris inter hos et eos, qui jam stant a sinistris eorum.[2])

β) Factio sinistra. — Qui huc pertinent, communiter docent: Scriptura in tantum inspirata dici poterit, in quantum sensus religiosos hagiographorum continet atque apta est, qua similes sensus in legentibus commoveantur. Hagiographi vero eo sensu erant inspirati, quod peculiari facultate praediti erant, qua religiosam suam experientiam scriptis apte consignare potuerint; ipsa haec aptitudo eorum iterum maxime inde dignoscitur, quod eorundem scripta similes experientias in aliis ea legentibus evocent. — Hunc in modum explanata, inspiratio vix

[1]) Cf. Pesch *o. c. n. 244, coll. n. 246.*

[2]) Cf. v. g. Rabaud apud Pesch *o. c. n. 264,* vel Schultz. *Grundriß der christl. Offenbarung (1902) § 6 et 8.* — Ceterum cf. hujus theol. fund p. I *de rel. revelata p. 296 sqq.*

aliud est ac enthusiasmus quidam, qui et in poëtis similis invenitur, solum ex parte materiae, circa quam versatur, aliquatenus diversus.

Fidem historicam Scripturae generatim flocci faciunt, et ex hac parte Scripturam vix a collectionibus mythorum ethnicorum differre asserunt; ex parte doctrinae religiosae autem nonnisi relativum valorem ei attribuunt, certe nullam peculiarem auctoritatem. Gradum enim aliquem, ita arbitrantur, exhibet in evolutione illa historica, qua religio ab infimis gradibus paulatim ascenderit ad relativam illam perfectionem, quam doctrina Christi utcunque exhibuit; quam tamen scripta discipulorum Christi jam non potuerint retinere, cum ipsi religiosas Christi experientias assequi nequirent.

In hac factione sinistra inveniuntur celebriora nomina protestantium doctorum modernorum, ut Sabatier[1]), Jean Réville, Eug. Ménégoz, Loisy in Gallia; Wegscheider, Paulus in Germania; alii expresse nunquam forsitan de inspiratione loquuntur, tamen ipsa praxi ostendunt, inspirationem Scripturae inter chimaeras reputandam esse. — Huc referas in genere etiam modernistas, quorum est propositio a Pio X damnata: „Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt, qui Deum credunt vere esse Scripturae s. auctorem“ (*decret. Lamentabili prop. 9;* cf. et *10*). — De singulis auctoribus cf. Pesch *n. 231 sqq;* brevius Van Laak *o. c. n. 167 sqq.* De modernistarum placitis Beßmer *Theologie und Philosophie des Modernismus p. 165 sqq.*

III. Exinde jam cum protestantibus res nobis non erit. Catholici vero de ipsa inspiratione in generaliore conceptu semper consenserunt; nonnullae tamen controversiae inter eos maxime ex temporibus concilii tridentini exortae sunt de natura ejusdem inspirationis accuratius considerandae, de ejusdem extensione, de veracitate Scripturae sub inspiratione. Harum vero expositio optime tractatui de singulis hisce capitibus adaptabitur.

---

[1]) „L'inspiration religieuse n'est pas psychologiquement différente de l'inspiration poétique. . La racine intérieure de cette inspiration ne se trouve pas ailleurs que dans la piété commune à tous les hommes religieux; elle n'en diffère point par nature, mais seulement par l'intensité et l'énergie: l'inspiration prophétique, c'est la piété élevée à la seconde puissance“; *esquisse d'une philosophie de la religion (1897) p. 99 s.*

Caput III.

De natura inspirationis.

Inquirentes in capite antecedente de existentia inspirationis ex unanimi suffragio ipsius Scripturae et sacrae traditionis cognovimus, sacros libros eo sensu saltem esse inspiratos, ut vi inspirationis Deus constituatur auctor principalis, homo vero nonnisi auctor instrumentalis seu ministerialis eorum. Et in his inspirationis notio magis obvia fere absolvitur ea, quae simplici fontium inspectione hauritur et vi authenticae declarationis ecclesiae ut dogma fidei exhibetur. Jam accuratius determinabimus influxum illum divinum, quo Deus per inspirationem proprius Scripturae auctor constituatur, homo autem causa ejusdem subjugalis. Ingrediemur hisce intimius sensum traditionis christianae, simul occasionem nanciscemur controversias illas considerandi, quibus historia inspirationis inter catholicos a concilio tridentino ad vaticanum se evolverit.

Cum summa utilitate hac in quaestione consulueris Franzelin *o. c. th. 3 sq;* Pesch *l. II c. 2;* De San *o. c. de div. Script. c. 2;* Schmid *o. c. lib. II;* Crets *o. c. sect. 3;* Müller *de verbo Dei revelato (ms. q. 2 a. 2).*

Articulus I.

De quibusdam notionibus praeviis.

Agitur nunc de inspiratione accuratius determinanda, qua Deus auctor quorundam librorum constituatur; et ideo praeprimis de notionibus, quae his inferuntur, pauca sive repetenda sive aperienda sunt.

I. De inspiratione in genere praemonuimus supra (cf. *p. 23 sqq*). Et evidens est, nobis non agi de inspiratione, in quantum supernaturalem quemcunque impulsum divinum significat, „quo movemur in iis quae pertineant ad salutem“ (S. Th. *S. th. 1, 2 q. 68 a. 1),* sed de inspiratione in specie illa, quae hagiographo divinitus

imprimitur in ordine ad scribendum, cujus nimirum terminus libri sunt sacri. Hanc supra divisimus in activam, passivam, terminativam (cf. *p. 27*). — Nunc nonnullae inspirationis divisiones seu distinctiones addendae sunt, quae ad doctrinam mox exponendam melius intellegendam necessario praerequiruntur, quamvis una vel altera non vere subsistat, sed a quibusdam auctoribus confingatur. Ita dividitur inspiratio

1. *ratione modi:* positiva, quae in positivo influxu et impulsu divino habetur, et negativa, qua Deus solum removet aliquid et quae dicitur adesse, cum Deus hagiographum simpliciter ab errore impediat, quin influxum proprie tribuat ad scribendum.

Vel est antecedens, qua homo vere movetur et determinatur ad scribendum; concomitans, quae in et cum actu scribendi advenit; subsequens, quae actum scribendi subsequitur et ab aliquibus fingitur adesse, quando Deus, quae homo proprio marte conscripserit, approbet et sua faciat.

Vel est revelativa, quae et ipsa scribenda per lumen supernaturale revelationis proprie dictae communicat; instinctiva, quae hagiographum ad ea scribenda dirigat, quae aliunde jam per semet ipse cognoverit.

2. *Ratione objecti* dividitur inspiratio: realis et verbalis, quatenus *aut* solae res et veritates, *aut* simul et ipsa verba sive vocabula *(signa materialia)* divinitus suggeruntur.

II. Diligentius hic explicandus est etiam terminus libri. — Liber ex communi acceptatione summa quaedam est signorum scriptorum, quae veluti ectypi summam repraesentant conceptuum et judiciorum.

1. Vi definitionis diversa in libro discernas elementa. Distingues *primo* res et sententias seu veritates, quae ibi proponuntur *(eventus historici, judicia sive theoremata ordinis speculativi)*. Distingues *secundo* ipsa signa externa *(verba materialia)* cum ordine, quo disponun-

tur ad veritates apte manifestandas *(electio signorum, constructio syntactica, stilus)*.

Tertium denique elementum, quod in libro occurrit, est finis, qui et naturam seu speciem libri determinabit. Et *in genere* quidem finis libri erit, ut per ipsum lectoribus judicia quaedam auctoris manifestentur et communicentur *(finis operis)*. Prout vero haec diversa sunt vel eorundem manifestatio ulterius in hunc vel illum finem *(ex fine operantis)* dirigitur, alia et alia erit indoles et natura libri; ita ut inde jam distinguantur libri historici, philosophici, dogmatici, ascetici etc.

His distinctis immediate patet, non omnia eodem gradu ad librum componendum concurrere, sed merito elementum secerni formale et materiale. Ad elementum formale deinde ea pertinebunt, quae mutari nequeunt, quin eo ipso ratio libri alteretur; ad elementum materiale spectant ea, quae intacta propria libri ratione permutari possunt.

2. Nunc exurgit quaestio, quaenam de essentia libri existimanda sint. Quae quaestio non erit sine momento in disputatione nostra praesenti; ille enim isque solus auctor erit libri, qui ea saltem, quae sunt de ejus essentia, contribuit. — Hac in re teneas, nonnulla per se ad essentiam libri pertinere, cum alia per se ad accidentale potius referri debeant; ex particulari *tamen* ratione accidere potest, ut quae per se accidentalia videantur esse, essentiam libri intrent, et vice versa, quae ratione sui de essentia videantur esse, trahantur ad accidentale.

a) Per se ad essentiam libri veritates seu judicia pertinent, doctrina nimirum quae in libro proponitur; vocabula autem indeterminate tantum, in quantum in genere necessarium est, ut in libro talia adhibeantur. Judicia *enim* haec seu veritates praecise sunt, ad quae in sua specie determinata exponenda liber componitur; ad haec exprimenda quidem vocabula quoque necessario requiruntur, haec tamen liberam quandam selectionem admittunt; ideoque indeterminate tantum essentiam libri ingrediuntur.

Vocabula *porro* in sua individua determinatione considerata, dispositio eorum et ordo seu stilus per se ad acci-

dentale libri spectant, quemadmodum et lingua qua liber conscribitur. Essentialiter *enim* liber idem videtur esse, sive graece conscriptus est, sive latine, neque per versionem in aliud idioma essentialiter alius evadit; qua de causa Canisius manet auctor catechismi sui, in quamcunque vertitur linguam. — Haec dicimus per se valere: etenim veritates in libro per se intenduntur exprimendae, signa vero materiala in individuo seligenda plus minus ut elementum indifferens considerantur.

b) Per accidens tamen et aliud contingere potest, praesertim ob finem, quem auctor peculiarem hic et nunc intendit. Ratione *nimirum* hujus finis res, quae alias ex genere suo plane necessaria consideratur, jam indifferens esse potest; ita sententia aliqua proposita aliam rationem induit, cum in dictionario, aliam, cum in grammatica vel in chrestomatia, aliam, cum ad propriam orationem scribendam adhibetur. *Quare* ex finis demum intentione quoad multas res, quae in libro inveniuntur, discernendum est, num per se intentae sint et ideo ad elementum essentiale et propriam rationem libri pertineant.

Sic tenemus quidem, veritates et propositiones enuntiatas in libro ad essentiam pertinere. Si quis tamen grammaticam conscribens ad regulas illustrandas sententias quorundam celebriorum auctorum adfert vel si quis integros sermones paradigmatis instar in libro manuali rhetorices excipit: hae merito ad accidentale elementum talis libri referuntur, quamvis in libro, unde desumuntur, essentiales fuerint. *Vice versa* modo contendimus vocabula eorumque dispositionem ad accidentale libri pertinere: in poëmate tamen haec verborum materialium dispositio prorsus essentialis est.

c) Quare omnia comprehendendo dicendum est, ad essentiam libri pertinere, quae requiruntur, ut liber praecise talis sit, qualis ab auctore intenditur; quae igitur mutari nequeant, quin liber protinus alius evadat, ac quem auctor sibi proposuit scribere.

III. Inquirendum denique erit, quid sit auctor libri.

1. De hac voce *in genere* notat Forcellini, *totius latinitatis lexicon col. 472*, illam probabilissime derivari a verbo augendi, ita ut generalis ejusdem significatio per se 1) eum denotet, qui auget i. e gignit, producit: ita sumitur pro generis, urbis vel civitatis conditore et Deus creator auctor noster omniumque rerum dicitur; speciatim in hoc sensu auctor rerum ut is, qui res gessit, opponitur scriptori earum. 2) Quando adhibetur de libris sive litteris sumitur pro scriptore *(Verfasser)* praevalente hinc inde sensu testis; et ita intellegitur etiam de eo, qui aliquid dicit vel testatur. 3) Idem est ac venditor seu alienator; qui enim alteri rem vendit, eum quodammodo ditiorem neddit neque

aliqua auget. 4) Auctor denique, praesertim in sensu judiciali, ille dicitur, in quo est princeps consilium et juridica facultas aliquid faciendi, ad quem etiam spectat rem aliquam suo interventu suaque voluntate approbare; quare auctorem esse idem sibi vult in hac significatione ac rem aliquam facultate a jure concessa et voluntate approbare et ratam esse jubere.[1])

Vis vocis igitur sat varia est. Quando tamen de auctore libri simpliciter loquimur, evidenter significationem assumit eam, quae causam efficientem libri denotat; auctor *igitur* libri is erit, qui scribendo sensa sua manifestat seu cum aliis communicat. Et quamvis etiam quantum ad auctorem libri in abstracto cogitari per se possit de eo, qui consilium vel facultatem scribendi contulerit vel et approbationem: hoc certo certius excluditur in nostro casu, ubi sermo est de Deo auctore librorum sacrorum, quem ex omnibus revelationis fontibus jam audivimus esse eum, qui scribendo et ut causa vere efficiens libris existentiam contribuerit. Quodsi haec est notio auctoris libri, facile concedas auctoris esse, ea saltem efficienter determinare, quae ad formale et essentiale libri pertinent et per se intenduntur.

„Debet *igitur* auctor *imprimis* mente concipere ipse ideam libri scribendi et ideo judicare, quid scribendum sit; debet *secundo* considerare, quomodo res illas, quas scribendas judicat, signis scriptis exprimat; debet *tertio* habere voluntatem ea, quae mente concepit, scripto mandandi; debet *quarto* hoc consilium executioni mandare", aut per se aut per alium. Haec omnia necessaria esse, per se intellegitur; „neque enim sine executione liber unquam exoritur, neque absque voluntate fit (executio ista), neque sine praeviis judiciis de rebus scribendis vel de modo scribendi seria et efficax" sive determinata „voluntas unquam haberi potest" (Pesch *o. c. n. 414*).

2. Quemadmodum porro in aliis causis, ita et hic distingui potest auctor simpliciter, qui propria et insita virtute effectum ipse producit, et auctor principalis, qui causam seu auctorem subjugem et instrumentalem seu ministerialem in ordine ad effectum producen-

[1]) Cf. etiam *thesaurum linguae latinae vol. II 1194 sqq.*

dum adhibet. Potest *nimirum* et auctor libri, quin a propria ratione desciscat, instrumentum in conscribendo adhibere, non solum irrationale *(v. g. machinam)*, sed etiam rationale (*ministrum hominem seu scribam*), dummodo et ipse omnia ex sua parte praestiterit, quae ad rationem auctoris essentialiter pertinent. — Quodsi fit, habetur simul auctor ministerialis sive instrumentalis, qui nonnisi motus a principali causa motione transeunter accepta operatur.

a) In nostro casu agitur de Deo, quatenus auctor principalis librorum sacrorum est. Deus vero in causam creatam dupliciter influere potest in ordine ad effectus producendos. *Uno modo* per conservationem et concursum sive naturalem sive supernaturalem, ut causa nimirum prima et universalis. Patet divinum influxum in inspiratione non hunc intellegi; secus omnium omnino librorum vel saltem eorum, quos viri sancti et justi ex influxu gratiae supernaturali conscripserint, Deus dicendus esset proprius auctor. — *Altero modo* Deus in causas creatas influere potest ut motor particularis et causa principalis, per particularem igitur influxum, quo causas secundas ad effectus divinitus in specie determinatos producendos efficaciter dirigit easque adhibet ut instrumenta proprie dicta. Et de hoc altero influxu in nostro casu cogitandum est.

b) Unde autem hoc accidit, quod Deus per concursum generalem et communem influxum influens in causas creatas earumque effectus, non constituatur auctor principalis; constituatur autem talis ex influxu isto particulari? — Res videtur clara: quaecunque enim Deus creaturae suae secundum legem communem ex ordine naturae vel gratiae ad agendum praestat, ita offert et confert, ut ante actum secundum per modum habitus vel virtutis creaturae propria evadant; ita offert, ut creatura rationalis et libera de iisdem pro arbitrio suo et ex determinatione propria prorsus disponat. Qui autem ita ex propriis in agendo procedit, qui eligit et actum secundum quoad speciem et exercitium determinat, sine dubio dominus et causa principalis actus sui est, etsi in agendo dependet ab agente altioris ordinis.

Particularis *vero* influxus ille divinus, qui in inspiratione tenendus est, effectum certum et divinitus prorsus determinatum intendit, ad quem producendum per motionem transeuntem causam sibi subjugem quoad exercitium et specificationem actus movet et applicat, ita ut determinatio effectus ab ipsa causa creata ultimatim nullatenus dependeat. Quod

autem sic in actu constituitur, non agit nisi ex virtute alterius, motum ab ipso: instrumentum est.

3. Quod denique habitudinem attinet inter causam principalem et instrumentalem, omnino bene notandum est: Cum dicitur, instrumentum qua tale non virtute propria agere, sed communicata ab altiore agente, hoc non est intellegendum, quasi instrumentum omnino nihil contribuat ex propriis; sed solum cogitaveris, virtutem instrumenti propriam ad effectum intentum per se vel ratione sui hic et nunc non attingere, sed eatenus tantum, quatenus movetur a causa superiore.

Ad rem s. Thomas: „Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis: si igitur nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum" *(S. th. 1 q. 45 a. 5)*. Causa igitur principalis causa instrumentali ea conditione utitur, ut vires ipsius insitas ad effectum producendum moveat, applicet, elevet et ad proprios fines assumat. Sic et Deus, auctor principalis s. Scripturae, naturales hagiographorum facultates sive intellectuales sive morales sive et mechanicas in scriptione librorum convenienter ad earundem naturam movisse, applicasse, elevasse merito praesumitur.

4. Intellexeris et illud, necessarium non esse, ut ab auctore ipso summa quoque signorum materialium procedat, quae in libro accidentaliter se habent, nisi forte ob peculiarem rationem per se intenduntur. Neque enim ad essentialem auctoris rationem merito exigas, ut id quoque ab eo procedat, quod praeter vel extra essentiam rei esse invenitur.

IV. Numquid et ipsi hagiographi humani merito auctores dicantur librorum suorum? —

1. Non idem omnes theologi exhibent responsum. Nonnulli volunt, auctorem libri simpliciter non appellari nisi causam ejusdem principalem: illum nimirum qui ex propria determinatione sententias et enuntiationes conscribendas elegerit et eas sive per se sive per alium consignandas curaverit. Et pro sensu suo provocant ad verba quaedam Isidori hispalensis: „Hi (hagiographi) sunt scriptores (tantum) librorum..; auctor autem earundem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur; ipse enim scripsit, qui prophetis suis scribenda dictavit" *(de eccles. offic. I 12 sq)*.

Et revera si vocem auctoris secundum plenam vim sumpseris, id fere concedendum est. Etenim secundum plenam vim vocis auctor proprie non est, nisi qui propria determinatione ju-

dicia et sensa in aliqua materia selegit eaque sive per se sive per alium scripto consignat, et ita existentiam libri determinat. Id in sacris Scripturis solus Deus praestitit. Ergo ipse solus auctor in rigore vocis appellandus est.

2. Nihilominus cum consideramus modum, quo hi hagiographi ipsi in suis libris conficiendis procedunt: a) manifestum est eos non ut meros amanuenses scriptionem tantum materialem contulisse ad conficiendos libros, sed apparent ut ii, qui quodammodo propria judicia propriosque affectus exponant; imo de propria deliberatione et voluntate, qua se ad scribendum conferunt, testantur.

Ita v. g. s. Lucas ab initio evangelii sui confitetur, quomodo viderit alios multos conatos esse res evangelicas enarrare et per conatus suos magnam excitasse confusionem; unde visum esse et ipsi talem enarrationem suscipere. Hanc autem addit se accurate a testibus fide dignis explorasse, et sic ordinate demum exposuisse. — Similiter auctor *2 Macch* nobis manifestat intentionem, quam in exequendo opere suo ipse prosecutus sit, indicat fontes quos consuluit, arguit studium et laborem quem impendit, deprecatur defectus in executione illapsos. — Similia relegas ex prologo in librum Ecclesiastici. — Haec omnia vero arguunt, et ipsos hagiographos omnia adimplesse, quae ad veram rationem auctoris pertinent. Unde ratio auctoris iisdem hagiographis non omnino denegari potest.

b) Ita etiam magis communiter a ss. patribus (v. g. s. Augustino *ep. 82, 3*) hi hagiographi et ipsi librorum suorum auctores vocantur. Quem modum loquendi inter theologos ex. g. Henricus gandavensis ex industria vindicavit, dicens: „Solus Deus potest dici auctor huius scientiae. Quia tamen per homines ministratae sunt Scripturae, qui eas conscripserunt et contemplati sunt ipsam sapientiam, quantum potuit humanis cordibus contingi, et sic regulas artis huius, quam conscripserunt, perfectissime intellexerunt, non solum organa et canalia, ut per quae transierunt verba huius scientiae . . imo vero, licet secundarii, debent dici auctores ex thesauro artis sibi infusae eam describentes" *(Summa a. 9 q. 2)*.

Similiter ex sensu communi fidelium libri sacri hagiographis tanquam veris auctoribus attribuuntur, loquentium de psalmis David, de evangelio Matthaei, epistulis s. Pauli etc.

c) Ne tamen confusio subintret, nunc theologi jam accuratius rem exhibent ita, ut Deum simpliciter vel cum addito primarium dicant, hagiographos vero cum restrictione auctores declarent secundarios. Et hunc modum etiam Leo XIII in suis litteris encycl. *Providentissimus Deus* adoptavit (cf. apud Cornely *comp. introd. append. n. 30 sq*).

Hagiographi igitur et ipsi, licet non secundum plenum vigorem vocis, tamen vero quodam sensu auctores sacrorum suorum librorum dici possunt et debent.

Articulus II.

Vera de natura inspirationis sententia.

Vera sententia ea erit, quam Leo XIII in litteris encyclicis „*Providentissimus*" cum formula loquendi, quam jam demonstravimus et qua „Deus dicitur auctor Scripturae", necessario nexu conjungit et hisce exhibet verbis: „Supernaturali Deus virtute ita hagiographos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae Ipse juberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent: secus non Ipse esset auctor Scripturae universae" *(n. 31)*.

Tribus igitur elementis inspiratio ad scribendos sacros libros essentialiter constitui videtur: *illustratione intellectus* qua hagiographus veritates conscribendas recte mente concipit; *motione voluntatis* qua ad easdem veritates easque solas scripto fideliter consignandas determinatur; *assistentia* qua ad veritates apte exprimendas infallibiliter manuducitur.

§ 1. Res ipsa demonstratur.

I. *Primum argumentum* desumitur ex ratione theologica seu ex formula jam dogmatica, qua Deus auctor Scripturae dicitur — isque principalis. — Sicut *nimirum* ex fontibus revelationis omnino constat, Deum esse auctorem seu causam efficientem principalem s. Scripturae, ita hagiographi diminuto quidem, vero tamen sensu dici debent auctores librorum suorum. *Ergo* uterque et Deus et hagiographus ea praestare debet, quae propria sunt auctoris. — *Atqui* ad auctorem essentialiter pertinet, ut quae scribenda sint mente conci-

piat eaque scribere velit eaque tandem aliquando reapse scribat (cf. supra *p. 89 sq.*). Unde et Deus et hagiographus omnia haec praestare debet, attamen non independenter unus ab altero, sed, ut ratio ministerialis sive instrumentalis causae in hagiographo requirit, cum dependentia huius a divina causa principali; ita igitur, ut singula elementa totius operationis prius in Deo inveniantur et ex correspondente divina motione in hominem hagiographum transfundantur.

Debet igitur et causa instrumentalis ideas et veritates praeconcipere — sed ex motione Dei auctoris principalis prius illas concipientis. Debet et ipsa causa ministerialis voluntatem suam determinare et consilium inire librum conscribendi — sed ex impulsu voluntatis divinae prius volentis et moventis eam. Debet et ipse hagiographus propositum suum executioni mandare, sed iterum ex instigatione et sub custodia causae superioris. *Aliis verbis:* inspiratio divina tribus absolvitur, illustratione mentis qua veritates scribendae divinitus illucescant; motione voluntatis qua homo efficaciter ad veritates illas litteris consignandas determinetur; assistentia externa qua executioni invigiletur, ne quid ab auctore divino non intentum vel alia praeter divinam intentionem ingerantur; in his enim omnibus Deus certe jam non esset auctor.

Res est clara. Si *enim* vel unum ex illis tribus distinctis elementis in alterutra causa deesset, haec jam a propria ratione auctoris desciscceret; si illa in hagiographo non cum directa dependentia ab altera superiore causa invenirentur, hic jam non esset auctor instrumentalis. Et ideo „motus, cujus terminus liber inspiratus est, a Deo [necessario] incipit, transit in scriptores humanos, eorumque facultates ita movet, ut vi hujus motionis charismaticae scribant determinatum illum librum, quem Deus praedestinavit. Hoc modo fit, ut et ipsi recte vocentur auctores, quippe qui intellectu et voluntate sua librum producunt, et tamen Deus sit auctor principalis, cum ipse primus mente et voluntate librum scribendum conceperit et, ut ab aliis conciperetur et scriberetur, effecerit" (Pesch *n. 404*). Cf. imprimis *Franzelin o. c. thesin III*, qui rem primus accurate exposuit.

II. Singula elementa, quae in inspiratione distinguimus, ex ipsa s. Scriptura seu ex testimonio hagiographorum ipsorum aliquatenus saltem illustrari possunt.

1. Et quod inspiratio illustrationem intellectus comprehendit, multipliciter inferri potest. Ita ss. Scriptores in universum, non solum ii, qui vaticinia ediderunt, prophetae vocantur, eorumque libri dicuntur libri prophetici (cf. *Eccli 44, 3. 5; 46, 1. 16; 47, 1; 48, 1. 25 sq; 49, 8 sqq*). *Iamvero* propheta is inter judaeos vocabatur, qui ex divina mentis illustratione ea, quae Dei sunt, pronuntiat vel scribit. Cf. amplam materiam hac in re collectam apud Pesch *n. 378.*

Praeterea hagiographi identidem ipsi asserunt, visione divinitus immissa se accepisse, quae in libros conferrent; ita v. g. collector *proverbiorum* sub *30, 1* de se profitetur: „Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus et qui Deo secum morante confortatus ait" ea, quae deinceps apponuntur. Haec certo mentis illustrationem divinitus acceptam ingerunt: quae, ut ex materia in illo libro subjecta patet, etiam circa ea versatur, quae naturalem hominis facultatem minime supergrediantur. — Eodem modo intellexeris, quae leguntur *Apoc 1, 10 sq*: „Fui in spiritu et audivi vocem dicentis: ‚Quod vides scribe in libro et mitte septem ecclesiis'"; similia alibi facile inveniuntur e. g. *Jer 36; Ez 3, 10 sq; Zach 7, 12.*

2. Quod porro divinam motionem in hagiographi voluntatem immissam attinet: habemus textum notissimum eumque prorsus universalem *2 Pet 1, 21*: „Non enim humana voluntate aliquando allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines".

Huc referas omnes textus, quibus sacri scriptores demonstrantur ii, qui a Deo jussi libros scripserint: quemadmodum jam Moses de se testatur *Ex 34, 27*: „Dixit Dominus ad Moysen: scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus", vel Isaias *8, 1*: „Sume tibi librum grandem et scribe in eo stilo hominis". Cf. etiam *Habac 2, 2 sq; Ier 36, 1 sqq; Apoc 1, 3; 4, 2.*

3. Assistentia autem divina iis testimoniis saltem insinuatur, quibus libri sacri simpliciter Deo attribuuntur vel quibus hagiographi ut organa Dei in ipsa scriptione apparent, quem-

admodum inter alios Zacharias de libro suo: „Verba, inquit, quae misit Dominus exercituum in Spiritu suo per manum prophetarum priorum“ *(7, 12)*. Neque enim actu confecta Dei verbum dicerentur, nisi etiam ut talia intentioni divinae accurate responderent. — Magis etiam idem patet, cum hagiographi ut Joannes *Apoc 22, 18* strictissime vetant quidquam apponere ad verba libri prophetiae illius, quidquam diminuere de ipsis.

III. Luculentius eadem doctrina ex testimoniis ss. patrum illustratur iis, quae supra allegavimus. Hi enim

1. influxum quoad mentis eruditionem divinum item insinuant inde, quod sapientiam hagiographorum vehementer extollunt ut eam, quae communiter facultatem humanam excedat, et ipsam inspirationem ad prophetiam reducunt. Magis disserte eundem influxum praedicant, quando docent, Deum libros sacros dictasse eorumque doctrinam hagiographis suggessisse scribendam, vel quod asserunt sacros scriptores „ex thesauro artis sibi infusae scientiam suam descripsisse“ (Henric. gand. *Summa art. 9 q. 1*). Cf. ex. g. verba Augustini supra *p. 61 sq.* allegata vel et Gregorii testimonia *(ib)*.

2. Manifestius etiam influxus divinus in voluntatem hagiographorum exhibetur in doctrina patrum, qui continuo docent, Spiritum Dei eosdem scriptores „impulisse ad loquendum“, „scribenda illis imperasse“: qui modi loquendi passim occurrunt.

Unum saltem testimonium in extenso hic adjungamus, quo tria nostra elementa simul describuntur per s. Augustinum dicentem: „Itaque cum discipuli scripserunt, quae Ille ostendit et dixit [*illustratio!*] nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit [*auctor principalis ipsius scriptionis!*]: quandoquidem membra id operata sunt, quod dictante capite cognoveruunt [*illustratio!*] Quidquid de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis membris imperavit [*motio voluntatis*]. Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexit, non aliter accipit, quod narrantibus discipulis Christi in evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit“ *(de consensu evangel. I 54)*.

3. Ultimis verbis Augustinus etiam assistentiam divinam non obscure tradit; id quod ceteroquin patres

unanimiter faciunt eo ipso, quod ratione inspirationis divinae, omnia et singula, quae in Scripturis leguntur, ab errore immunia declarant, de qua re postea diligentius audiemus. Eo ipso enim manifesto omnia et singula sub inspiratione et divina assistentia ponunt scripta.

Corollarium: Ex dictis jam manifestum est, quod ad rationem inspirationis non sufficit, quod Deus solum in genere hagiographis consilium vel propositum scribendi indiderit, vel eis in genere tantum materiam ad librum quendam concipiendum suppeditaverit, licet hinc inde materiam particularem ipse determinaverit et scribendam communicaverit. — Hac ratione inspirationem explanare videtur inter recentiores auctores Bonaccorsi *Questioni bibliche p. 246 in nota* dicens: „Iddio — ci si permetta un paragone un po' volgare — agirebbe con l'agiografo, come suole ogni cocchiere con un buon cavallo: dato che gli abbia il primo indirizzo, se vede che il cavallo va avanti da sè, come deve, e sulla retta via, lo lascia andare tranquillamente, pur badando sempre che non intoppi, e ne' bivii non sbagli la strada". Cf. etiam, quae Pesch *n. 317 sqq.* de Rich. Simon ejusque sententia proponit; hic infra *p. 131 sqq.*

Scholion. — 1. Re distinctius et magis in concreto considerata, patet modum in ordine historico per se variari posse. Poterit auctor principalis ministrum suum adhibere magis per modum amanuensis, cui singula verba dictet, qui magis mechanice rem calamo excipiat, forsitan sine accurata ejusdem intellegentia vel in lingua quam non intellexerit. Poterit *etiam* ministro indicare ideam libri, dispositionem partium, res et veritates scribendas: brevi omnia exponere, quae liber contineat, indicare fontes unde hauriat, invigilare executioni eamque dirigere, ut liber praecise talis evadat, qualem voluerit.

Numquam tamen causam principalem a ministeriali ita separare vel sejungere licebit, ut Deus nunc seorsum, seorsum homo scripturam efficiat: sed Deus librum exhibebit in homine et per hominem agens, homo in Deo et per Deum motus. Quare Deus et homo non alia et alia, sed una eademque operatione Scripturae causa existunt, quae actio Deo tribuenda est, quatenus hominem illustrat et movet, homini vero quatenus divinitus commotus et adjutus scribit. Ideo uterque etiam immediata sacrorum librorum causa existit; et quae scribuntur, Dei sunt ac divina, cum in forma terrestri ac humana simul ab homine, quamvis viribus divinis instructo, proficiscantur.

2. Neque tolerandus est modus loquendi quorundum auctorum recentiorum tenentium: libros s. Scripturae ita primitus considerari

posse humanos, acsi divini plane non essent. Neque enim unquam scribae liber tanquam proprius attribui poterit cum praecisione ab auctore principali.

3. Neque sensus sacrorum librorum ex iis plene determinari vel potius circumscribi potest, quae forsitan hagiographi sentiebant, cum libros conscriberent. Deus enim, auctor principalis Scripturae, cujus est sensum verborum suorum determinare, plura omnino intendere poterat significanda, quam quae ab hagiographo tunc intellegi poterant. „Sciendum — ita s. Thomas — quod quia mens prophetae est instrumentum deficiens [prae intentione principalis agentis], etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit" *(2, 2 q. 173 a. 4)*. — Licet sic verba, ut iacent, proximum fundamentum omnis interpretationis sunt et haec verba proxime ex mente hagiographi ponderari possunt, sensum tamen quod attinet, non sunt solius hagiographi, sed multo magis etiam ipsius Dei.

Jam singula elementa accuratius consideranda sunt, de quibus in totidem distinctis paragraphis agetur.

§ 2. De mentis illustratione in specie.

Illustratio, quae inspirationis sacrae propria est, in eo invenitur, quod Deus modo plane singulari (non solum per concursum naturalem vel commune gratiae auxilium) in intellectum hagiographi agit, ut vi hujus influxus homo mente concipiat ideam libri scribendi, prout Deus eandem ideam prius in mente habuit; ita tamen ut non generalis tantum idea libri, sed singulae sententiae scribendae menti humanae divinitus ingerantur (cf. Pesch *n. 416*). — Haec diligentius consideremus.

I. De ipsa rei essentia.

1. *Illustratio isthaec estne necessario revelatio?* — Ante omnia tenendum est, quod omnia, quae in sacris litteris leguntur, propriam revelationem divinam continent pro ipso genere humano in universum considerato; ideo omnia, quae in Scripturis divinitus inspirata continentur, fidelibus revelata et ideo divina fide credenda sunt. Sub hoc respectu merito Bellarminus: „Scriptura, inquit, est verbum Dei immediate revelatum" *(de conc. II 12)*.

Hac de re non potest esse dubium. Ipse enim Deus per hagiographos ad homines loquitur, et isti non ut causae principales intercedunt, sed ut instrumenta: quae autem per instrumentum fiunt, causae principali tanquam causae propriae attribuuntur. Et ideo quae in Scripturis continentur, per Deum loquentem sive scribentem humano generi revelata sunt. — Estne dein haec mediata an immediata revelatio? Admittenda est revelatio immediata divina. Intercedunt quidem in hac locutione divina homines, sed non ut objecta, ex quibus prius cognitis ideae divinae hauriantur, neque intercedunt ut ii, quibus prius revelatio fiat et qui distincto actu nobis communicant, quae divinitus acceperint, sed potius ut medium subjectivum ipsius Dei, tanquam os Dei per quod ad homines immediate Deus ipse loquatur, tanquam stilus quo Deus ipse scribat.[1])

Ergo omnia, quae in Scripturis leguntur, fide divina admittenda sunt?! — Utique; dummodo constet, quid Deus locutus sit et quo sensu Ipse id intellexerit. Hic vero difficultas subesse potest, et ideo certe misere errare potest, qui Scripturam, quam manu tenet, aperiret et diceret: Hic legitur haec vel illa sententia: hanc ergo ut veritatem divinitus revelatam amplecti debeo. Prius enim de genuinitate textus et de vero sensu ejusdem certior reddi debet. Cf. Pesch in *nota longiore ad n. 412.*

Quae cum ita sint, nihilominus dicendum est, quod de formali conceptu inspirationis, in quantum mentem hagiographi respicit, non est revelatio stricte dicta.

Qua in re distinguas duplicem revelationem. Potest *enim* Deus judicia sua homini manifestare ita, ut intellectui humano novas species seu novas cognitiones adaperiat sive per locutionem sive per infusionem specierum; et habebis revelationem proprie dictam. Potest Deus etiam aliquod lumen communicare, quo hominis cognitio ad uberiora objecta sive veritates non extendatur, sed aperiatur tantum, qua ratione certis cognitionibus jam propriis homini utendum sit, easdem v. g. in librum esse congerendas; sic quoque habetur aliqua revelatio, quam tamen latius tantum ita appellamus.[2]) — Hac distinctione supposita, res facile declaratur.

[1]) De contraria sententia, quam evidenter contra sensum catholicum tenent Holden, Chrisman, Bonaccorsi, vide Pesch *n. 315 sqq, 321* et *411 nota.*

[2]) Poterit et utrumque conjungi; et in hoc sensu distinctionem istam innuit s. Thomas loquens de cognitione charismatica, *sive* quantum ad judicium tantum, *sive* quantum ad judicium et acceptionem rei simul *(2, 2 q. 174 a. 2;* cf. etiam *2, 2 q. 173 a. 2; q. 174 a. 3; de ver. q. 12 a. 12 ad 10).*

1. Omnino certum est, hagiographos non omnem notitiam rerum, de quibus scripserunt, per revelationem stricte dictam accepisse vel accipere debuisse.

a) Hoc ex ipsa notione inspirationis negative saltem declaratur. Neque *enim* vi inspirationis ejusque notionis requiritur nisi, ut Deus s. Scripturae auctor vere constituatur et hagiographus ut merum instrumentum appareat. Hoc vero tunc quoque obtinet, cum Deus hagiographum determinat, ut res et veritates vel suas proprias depromat, easque sub divina motione et ad finem divinitus electum in librum congerat; neque enim conceptio idearum in se, sed conceptio earundem, ut hic et nunc librum constituunt vel conscribuntur, ad libri compositionem pertinet. Sic „nulla rerum notitia est de internis constitutivis inspirationis: quia nosse res non est inspirari ad eas scribendas, sed notitia rerum [ratione prius] supposita inspiratio subsequitur" (Pesch *n. 411*).

Quaesiveris, qua ratione dein Deus auctor libri dicatur, cujus sensa alius (homo) ex propriis ipse deprompserit. — *Respondebimus*, quod Deus auctor vere dicitur, quia id determinat, quod proxime librum exhibet i. e. scriptionem. Eundem in modum scriptor vel inter homines verus sui libri auctor erit et manet, quando doctrinam aliorum et veritates ab iis inventas ad proprium finem proprio modo disponit et in distinctum librum congerit; quando v. g. quis sensa et cogitationes s. Hieronymi de inspiratione colligit et in elucubratione exponit.[1]) Idem autem valet, quando aliquis ad propria sua sensa seligenda et conscribenda ab alio manuducitur.

α) Naturales igitur veritates hagiographus plane ex sese novisse poterat. Si ejusmodi veritates nondum cognoverat, potuit Deus instrumentum suum seu ministrum per specialem providentiam ordinis naturalis ad earundem cognitionem manuducere eumque excitare, ut naturalibus mediis adhibitis in earundem cognitionem perveniat; vel si antea cognitae postea oblivioni datae erant, eas aliquo modo in memoriam revocare potuit. — Imo potuit ei etiam per revelationem res subministrare; ne-

[1]) De hac similitudine tamen cf. Pesch *n. 412;* ibi docetur, qua ratione furtum litterarium in Deum cadere non possit. Quae enim Deus sic ordinat et digerit, ex Ejus auctoritate propriam et peculiarem certitudinem acquirunt, quam alias numquam haberent.

que tamen vel sic revelatio ejusmodi ad inspirationem formaliter talem pertinet, sed est praesuppositio tantum ad cognitionem earum rerum, quae scribenda sunt, habendam. Ipsa inspiratio formalis demum incipit, quando cogitatio divinitus exoritur haec esse scribenda. *Insuper* in hoc casu Deus quidem res revelavit; sed potuit pro fine inspirationis et aliter procedere. Ergo revelatio qua talis non est de necessitate vel de ratione formali inspirationis.

β) Neque quoad veritates supernaturales hagiographus in ipso actu scribendi revelatione divina opus habebat, cum et tales veritates multo ante accipere vel ab aliis traditas cognoscere potuerit. Et ideo quamvis in ejusmodi veritatibus supernaturalibus aliqua revelatio stricte dicta praesupponatur, tamen ne in his quidem revelatio notionem inspirationis essentialiter ingreditur.

γ) Ex eadem ratione jam cognoveris, inspirationis charisma non excludere operam industriamve hominis vel studium ad res scribendas cognoscendas adhibitum. Haec enim omnia ipsi inspirationi simpliciter praecedere possunt, haec omnia sub directione Dei et motione divina media esse possunt, quibus hagiographus divinitus ad ea cognoscenda adducatur, quae ex inspiratione deinde scribat. — Neque desunt rationes, quibus istiusmodi oeconomia divina commendetur; sic enim *generatim* Deus in suis circa creaturas suas dispositionibus cooperationem earum non tollere, sed potius promovere vel elevare solet; id quod maxime patet in opere salutis humanae. *Insuper* pro fine apologetico etiam firma auctoritas historica sive humana Scripturae competere debet; haec autem difficulter eidem tribuitur, si non apparet, eandem humana cum industria et diligentia esse conscriptam.

b) Quod modo de relatione inter revelationem et inspirationem exposuimus, facile ex ipsa s. Scriptura etiam positive illustratur et consensu theologorum confirmatur.

α) Quod attinet s. Scripturam, sacri auctores saepissime ipsi fontes clarissime designant, unde veritates sibi conscribendas desumpserint; ut tales frequenter non apparent nisi experientia vel auctoritas humana. Haec igitur erat, quae ipsam rerum notitiam contribuit. Eaque et sola erat; nam mirum esset, quod hagiographi nos ad hos solos fontes reducerent, cum proprius eorum fons fuisset divina revelatio.

Ita in libris Regum fontes exhibentur annales regnorum Juda et Israe *(3 Reg 14, 19. 29)*; saepissime auctor librorum Paralipomenon documenta humana allegat, quibus usus est (v. g. *1 Par 29, 29; 2 Par 9, 29 . . .*); auctor secundi libri Machabaeorum tanquam proprium fontem historias a Jasone conscriptas assignat *(2 Mach 2, 24)*, et insuper impensum suum laborem in libro conscribendo testatur: quod utrumque cum infusione vel revelatione rerum scribendarum pugnare videtur. Sed et in novo testamento Lucas evangelista ab initio evangelii sui declarat, se diligenter omnia inquisivisse et assecutum esse ab iis, „qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis" *(1, 2)*. — Cf. ea, quae supra *p. 92* in affini quaestione exposuimus.

β) Idem insinuant ss. patres, quando v. g. asserunt Marcum evangelium suum scripsisse, secundum quae Petrum audiverit praedicantem, vel Lucam evangelium suum composuisse ex praedicatione Pauli; vel si, ut s. Augustinus, non dubitant asserere: „Ut enim quisque [evangelista] meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est". — Idem indicat s. Thomas, quando, ut supra audivimus, lumen propheticum etiam agnoscit illud, quod divinitus infunditur non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad judicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea, quae humana ratione cognosci possunt *(2, 2 q. 174 a. 2 ad 3)*.

γ) Neque his praemissis mirum est, si jam unanimis consensus hac in re inter theologos obtinet, maxime postquam data opera in essentiam inspirationis inquisiverunt.

Sufficiat, ut unum vel alterum audiamus; ita card. Cajetanus *in Lc 1, 2* notat: „Originem plenissimae scientiae [Lucas] declarat traditionem apostolicam; unde clare apparet Lucam scripsisse ex auditu ab apostolis et non ex divina revelatione sibi immediate facta, divina tamen gratia dirigente et servante, ne in aliquo erraret". Ita et Canus: „Fateor, inquit, non singulas Scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse"; ea nimirum omnia, „quae naturali cognitione tenebant, . . expressa revelatione non egebant" *(de loc. theol. II 18)*. Idem omnino sentit et Bellarminus dicens: „Deus hagiographis non semper revelabat

ea, quae scripturi erant, sed excitabat, ut scriberent ea, quae viderant vel audierant, quomodo recordabantur, et simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent" *(de verbo Dei 1 1 sqq)*.

2. Difficultates facile expediuntur. — a) Cum patres et theologi Scripturam simpliciter revelatam vocare inveniuntur, hoc adhiberi potest responsum. Si respexeris ad ipsum hagiographum, ei quidem s. Scriptura non necessario proprie revelatur; quia tamen etiam relate ad ipsum aliquod lumen divinum (de quo statim agemus) intercedit, revelatio quaedam improprie dicta in ipso habetur; unde cum terminologia nondum tam accurate determinata fuerit, patres hoc improprio sensu totam Scripturam hagiographo revelatam esse praedicare poterant. Relate autem ad fideles, ad quos Scriptura dirigitur, integra Scriptura etiam revelationem proprie dictam continet, ut supra audivimus.

Cum vero patres omnes hagiographos vocant prophetas, vocem prophetae adhibent sensu tunc usitato, quo omnes intelliguntur esse prophetae, qui ex mandato et nomine Dei ad homines loquuntur vel scribunt, *sive* de revelationibus proprie dictis agitur *sive* non.

b) Adhuc quaestio moveri poterit, num relatio ipsius hagiographi ad Scripturam sacram, quam ipse confecerit, eo quod ipse non ex revelatione divina acceperit veritates scribendas, alia sit atque ea, qua reliqui fideles Scripturam ut verbum ormaliter revelatum admittere teneantur.

Qua in re nota: Ea, quae vel naturaliter cognita ex divina tamen inspiratione conscripta sunt, propter ipsam hanc inspirationem novum quendam modum certitudinis acquirunt; et sub hac ratione res ex fontibus naturalibus primitus haustae pro ipso hagiographo superiorem et divinam auctoritatem adsumere possunt et de facto assumunt, postquam ipse ad cognitionem pervenerit, se omnia ista per divinam virtutem demum conscripsisse. Et ideo opere jam confecto verba inspirata pro ipso hagiographo rationem divinae revelationis induunt. Idem igitur in hac re dicendum est, quod pro summo pontifice tenendum est in ordine ad credenditatem dogmatum eorum, quae ipse ex charismate infallibilitatis definivit. Veritas viribus naturae cognita et proposita, evehitur ad altiorem ordinem et fit objectum fidei divinae, eo quod Deus mediantibus studiis ministri sui eam enuntiaverit et hominibus proposuerit inter quos et hagiographus est.

II. Ulterius quaeritur, in quo illustratio inspirativa magis positive inveniatur. Audivimus autem modo inspirationem, in quantum mentis illustratio est, de se non id intendere, ut hagiographo sive per revelationem sive per internam illuminationem ipsae veritates suppeditentur, quae potius inter praerequisita ad inspirationem computentur. Restat igitur, ut lumen inspirativum. essentiam quod attinet, respiciat judicium circa veritates jam cognitas; erit igitur lumen mere judicativum sine acceptione rerum, ut est modus loquendi s. Thomae *(de ver. q. 12 a. 12)*.

Attamen et hoc judicium potest esse theoreticum, quod versetur circa valorem rerum earumque veritatem vel falsitatem, et potest esse de se mere practicum, quod veritates repraesentet ut eas, circa quas sit aliquid agendum (quatenus v. g. praecise scribendae sint). Negamus nunc lumen istud judicativum inspirationem ingredi sub priore respectu; et affirmamus illud requiri, in quantum practice ingerat, certas quasdam veritates esse scribendas.

1. Inspiratio de se vel necessario non dicit lumen peculiare divinum, quo hagiographus theoretice vel speculative de adaequato sensu vel de veritate eorum infallibiliter judicet, quae ei scribenda sunt.

a) Ratio pro hac re procedit *ex notione auctoris libri*. Etenim vi inspirationis non requiritur, nisi ut Deus auctor sit principalis, qui per hagiographum libros s. Scripturae conscripserit. *Atqui* quando auctor libri per alium tanquam per ministrum opus suum perficit, essentialiter certo non requiritur, ut ipse intellectum adjutoris sui etiam ad judicia theoretica vel speculativa de veritatibus vel rebus scribendis elicienda determinet. *Ergo* ejusmodi judicia theoretica de rebus scribendis divinitus infusa ad inspirationem essentialiter non requiruntur.

Aliis verbis: Ad hoc, ut Deus per inspirationem auctor Scripturae fiat (id quod solum hac in re ex fontibus necessarium esse demonstratur), nihil per se requiritur, ideoque nihil per se

affirmandum est, nisi ut sub influxu divino id fiat ab hagiographo, quod essentialiter ex parte ministerialis causae ad compositionem libri pertineat. *Atqui* judicia mere speculativa vel theoretica de veritatibus in libro contentis ad compositionem ejusdem non pertinent; liber aderit et auctori suo principali erit adscribendus, quidquid ejus minister de singulis sententiis et rebus in scribendo cogitaverit. *Ergo* neque influxus divinus ad ejusmodi judicia in hagiographo elicienda intrinsecus ad inspirationis rationem trahitur.

b) *Quaesiveris:* ast nonne sacer scriptor actu scribens et ut instrumentum rationale tandem aliquando aliquid cogitare debuit de rebus, quas calamo excepit? nonne veri nominis scriptor, qualis est hagiographus, judicium sibi efformare debet de valore et de aptitudine rerum, quas scribendo congerit? — *Respondebis:* utique; attamen hoc non necessario sub inspiratione cadit divina. Ita v. g. Marcus praedicationem Petri jam dudum audierat et memoria retinebat et judiciis suis appretiaverat; de scriptione ejusdem praedicationis vero non cogitabat, nisi cum romani eum precibus urgere coepissent; et cum sic in hac cogitatione inspiratio initium sumeret, priores cogitationes suas de rebus illis non necessario debuit immutare. Unde ejusmodi judicia de valore vel veritate rerum, quae scriptionem hagiographi comitantur, hic habet ex sese, non necessario ex inspiratione; ideoque in ejusmodi judiciis per se etiam errare potest.

c) *Quaesiveris* adhuc: nonne Deus per inspirationem vult, ut liber i. e. summa judiciorum quorundam scribatur? Ergo ejusmodi judicia necessario etiam per inspirationem in mente ministri sui creare debuit. Et quid demum actio Dei in intellectum hagiographi intendit nisi ejusmodi judicia? Ad haec jam respondetur altera assertione sequente.

2. Inspiratio per se vel essentialiter eam divinam et supernaturalem mentis hagiographi illustrationem infert, qua hic res et sententias omnes ex voluntate Dei scribendas praecise ut scribendas (tanquam terminum actionis scribendi) concipit et ut tales judicio suo determinat. Ergo judicium, quod per inspirationem hagiographo divinitus infunditur, dirigitur quidem in judicia et sententias, sed non quatenus haec dijudicari debent secundum earum veritatem vel valorem scientificum, sed solum quatenus eaedem simpliciter scribendae sunt, sive absolute loquendo verae existimantur esse, sive falsae.

Ita v. g. Deus judicat seriem horum vel illorum eventuum historicorum esse scribendam; invenit inter homines aliquem, qui istos eventus optime noverit. Hunc eligit ut ministrum. Quid faciet cum ipso? Non debet ei proprie revelare, quae jam scit; neque debet ei tribuere intellectum circa valorem vel veritatem eorundem eventuum; sed infundit ei lumen seu cogitationem efficacem et practicam, qua eandem seriem eventuum scribendam esse judicet: in hoc solo judicio essentia inspirationis quoad illustrationem intellectus hagiographi absolvitur (Pesch *n. 419*).

a) Assertio ipsa ex iis, quae jam exposita sunt, necessario sequitur. Cum *enim* ad hagiographum pertineat, in ipso libro scribendo Deo inservire tanquam verum instrumentum idque rationabile: quidquid essentialiter ad compositionem libri spectat, ab ipso tanquam ab instrumento divino procedere debet. *Atqui* ad compositionem libri ex parte intellectus pertinet, ut res seu veritates et sententiae, quaecunque et undecunque demum sunt, ad externam manifestationem seu ad scribendum determinentur et discernantur. *Ergo* et hagiographi qua rationabilia Dei instrumenta, libros suos eorumque ideas, quamvis jam materialiter conceptas, practice saltem sub influxu divini luminis ad scriptionem seu externam manifestationem determinare debent. Necessarium est, ut eis adsit lumen judicativum, quo homo sententias ad scribendum formet ea plane ratione eaque selectione, qua Deus vult.

Ejusmodi autem influxus divinus etiam plane sufficit; *etenim* vel hoc modo liber scribendus vel epistola vel poëma vel quidquid demum scribendum est, prius per intellectum divinum concipitur et determinatur, et nonnisi per influxum divinum intellectus hagiographi movetur ad ea scribenda, quae Deus vult. Inde etiam fit, ut omnes sententiae, prout hic et nunc ad scribendum formantur, non sint simpliciter judicia humana, sed principaliter judicia Dei, qui mentem hominis, salva ejus propria activitate, inflectit et regit. Deus sic erit auctor primarius, quia ab ipso primum et principaliter ea, quae hic et nunc in librum congerenda sint, determinantur; hagiographus auctor erit nonnisi secundarius, quia ipsius intellectus de libro componendo seu de scribendo non judicat nec scribenda qua talia determinat, nisi ad hunc peculiarem finem motus a Deo.

b) Quaecunque vero diximus, valent de quaestione juris, re in sua essentia abstracta considerata. Ceterum merito notat Pesch *n. 419:* „Quamquam inspiratio ex parte intellectus essentialiter absolvitur in judicio practico vel in serie judiciorum practicorum de libro scribendo, in actu exercito simul est judicium de veritate rerum scribendarum" ut talium: prius utique ex parte Dei, consequenter ex parte instrumenti. „Absolute *enim* repugnat Deum hominibus [in scriptis] per hagiographum affirmative proponere quaedam ut vera, quae falsa sunt vel negative proponere ut falsa, quae vera sunt." Sed certo certius, quae in libris sacris scriptis exhibentur, a Deo proponuntur hominibus per propositiones sive affirmativas sive negativas. Et ideo judicium practicum, qua judicatur nimirum rem aliis esse proponendam, affirmationem veritatis ejusdem rei, in quantum in libris scripta apparet, necessario implicite secum fert. Et ideo judicia hagiographorum, in quantum cum externa scriptione necessario cohaerent in eaque apparent, judicia ipsius Dei et vera sunt; quae enim scripto affirmanda censuerunt hagiographi, Deus prius proponenda et ideo affirmanda esse judicavit. Et ideo manifesta Scripturarum verba verba Dei sunt, quae fidem eam postulant, quae divinae auctoritati debeatur.

c) Similiter quoad ipsum hagiographum tenemus quidem, ad eum qua talem non pertinere judicia theoretica de veritate seu valore rerum scribendarum: neque tamen volumus hagiographum semper ejusmodi judiciis circa res et sententias scribendas caruisse, *sive* et ipsis divinitus immissis *sive* ex propria deliberatione acquisitis. Neque volumus eum de facto aliquando interne de iisdem rebus falsa fovisse judicia theoretica; id quod minus convenire videtur organo rationabili divinitus electo. Ad essentiam tantum inspirationis ejusmodi judicia pertinere negamus.

Rei essentialiter absolutae paucae notationes addendae sunt, quibus doctrina magis compleatur.

II. De quibusdam quaestionibus accessoriis.

I. Primo quaeritur, utrum hagiographi ratione inspirationis necessario vel de facto saltem mentis

alienationem passi sint. Loquimur autem de mentis alienatione, non de sensuum extasi, de qua forsitan aliud teneri potest.

Attingitur his error, quem praeeunte Philone[1]) montanistae suum fecerunt, qui ejusmodi alienationem mentis ad rationem prophetiae et consequenter inspirationis requirebant.

a) Hunc errorem ss. patres unanimi semper rejecerunt consensu. Ex. g. audiatur s. Hieronymus, qui in *praef. in Is.* de hac re disputat: „Neque vero, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetae in extasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur et, cum alios erudirent, ipsi ignorarent, quid dicerent"; idem *in Eph 3, 5 sq* notat: „Aut igitur juxta Montanum patriarchas et prophetas in extasi locutos accipiendum est nesciisse quid dicerent, aut si hoc impium est (spiritus enim prophetarum prophetis subjectus est), intellexerunt utique, quae locuti sunt". — Pariter Basilius: „Id, inquit, abhorret a professione divinae praesentiae, ut amentem reddat, qui a numine corripitur, et cum plenus esse coeperit divinarum doctrinarum, tunc a propria mente excidat . . Quin potius neque lumen obscuritatem parit, sed videndi facultatem e natura inditam elevat: neque Spiritus tenebras inducit, sed ad rerum intellegibilium cognitionem mentem excitat a peccati maculis puram" *(in Is n. 5)*. De aliis cf. Pesch *ll. sub n. 420 citt.*, in specie de Origene *n. 65*.

Patres utique directe agunt de dono prophetiae; eadem tamen in charisma quoque inspirationis cadere immediate patet. Haec enim non est nisi species prophetiae; et quae de genere valent, immediate ad species trahantur oportet.

b) Idem manifestum est, si Scripturam ipsam in se consideraveris. Multa *enim* in libris Scripturae inveniuntur, quibus

[1]) Cf. *l. quis rer. div. heres § 53:* „Quamdiu igitur adhuc intellectus noster lucet et movetur, meridianum quodam modo splendorem in totam animam effundens, nostri conscii non corripimur; quando vero ad occasum vergit, opportune extasis divina irruit et furor corripiens"; vide et Pesch *n. 15 sq.*

hagiographi proprias suas cogitationes et volitiones aliaque facta interna manifestant, quae hic et nunc in actu scribendi in se experiuntur et quibus usu rationis excelluisse se ostendunt.

Merito igitur mentis alienatio a ratione inspirationis prorsus excluditur. Quamvis *enim* Deus per se etiam hominem mente captum ad libros scribendos adhibere potuerit: tamen, ut patres innuunt, Deo indignum est, ut hominibus quasi instrumentis irrationalibus utatur, ut sua praesentia lumen intellectuale extinguat.

c) „Advertendum tamen est — ita Suarez *de fide disp. 8 s. 4 n. 5* — non negari a nobis prophetas in extasi et alienatione a sensibus recipere propheticas revelationes . . . sed dicimus eos, qui vere prophetae sunt, etiamsi in extasi illuminentur, vere nihilominus intellegere, quid sibi reveletur: alias non essent vere illuminati a Deo, sed tanquam instrumenta mortua se haberent."

II. Altera quaestio est, num scriptores sacri propriae suae inspirationis semper conscii fuerint; et haec non ita facile neque ita certo definiri potest.

1. Quoad quaestionem juris — a) constat, conscientiam inspirationis cum facto ipso inspirationis necessitate psychologica non cohaerere. Deus enim invisibiliter in anima hominis existens et cum ea in omnibus vel naturalibus actibus concurrens, etiam supernaturaliter mentem hominis illustrare potest ita, ut homo plane ejus extraordinarium influxum in ipso actu distinguere nequeat; cogita ex. g. de motibus ex gratia actuali salutaribus. Quare licet inspiratio proxime in actibus intellectus et voluntatis ipsius hagiographi consistit iisque modo extraordinario excitatis, eorum principium adaequatum seu divina commotio vel singulae eorum proprietates conscientiae non subjiciuntur. Unde et Caiphas, et is prorsus nescius, testante Scriptura „prophetavit, quod Jesus erat moriturus pro gente . ." *(Jo 11, 50 sq).*

b) *Ex altera parte* etiam certum est, Deum ejusmodi conscientiam hominibus tribuere posse; id quod absurde negaveris, quamvis modus, quo Deus id efficeret, nobis penitus lateret. Indicari autem et modi possunt, iidem nimirum quibus et revelatio immediata divinitus certior redditur. — Imo nonnulli theologi, inter quos s. Thomas, Suarez, censent hominem, qui inconscius in inspiratione a Deo moveatur, a perfectione prophetae deficere et ad perfectam rationem prophetiae pertinere, ut propheta actu sciat se esse prophetam.

c) Cum res ita se habeat, conscientia inspirationis ad ejus internam rationem non pertinet. — Id quod et hac ratione ostenditur: ad essentiam inspirationis id pertinet, quo homo in libro conscribendo Dei minister constituatur, Deus autem

ejusdem libri auctor principalis. *Atqui* quoad utrumque prorsus nihil refert, utrum hagiographus ista conscientia fruatur necne. *Ergo* conscientia inspirationis ad ejusdem essentiam prorsus immerito traheretur.

Neque ratione finis conscientia motionis divinae in hagiographo requiritur. Finis *nimirum* inspirationis est, ut homines per libros divinitus inspiratos de veritatibus revelatis infallibiliter instruantur easque fide divina credere possint; et ideo absque dubio necessarium erit, ut certo de inspiratione Scripturae constet. Sed de hac re constare potest, etsi hagiographi ipsi ejusdem inscii scripserint; imo ex sola hagiographi conscientia eorumque testimonio nonnisi difficillime de re constaret. — De hac re postea plura audiemus, ubi de criteriis inspirationis ex professo disputabitur.

2. Quaestionem facti quod attinet, — a) ex sacris scriptoribus absque dubio non pauci sciverunt in multis se esse inspiratos ad scribendum. Ita Moses, Isaias, Jeremias, Habacuc aliique expresse testantur, mandatum se divinitus accepisse scribendi; ita David de se dixit: „Spiritus Domini locutus est per me et sermo ejus per linguam meam" *(2 Reg 23, 1 sqq)*; Sapiens librum suum speciali Dei auxilio attribuit *(7, 15)*; Joannes in apocalypsi identidem commemorat se a Deo jussum visiones scripsisse et per Dei iram obsecrat, ne quid iis apponatur vel inde dematur *(22, 18 sqq)*.

b) De aliis hagiographis non tam clare constat. Hinc inde sic loquuntur, ut ejusmodi conscientia, si non prorsus excluditur, tamen ne de longe quidem divinari possit; ita v. g. Lucas in prooemio ad evangelium; ita inprimis auctor secundi libri Machabaeorum. Hic sub *2, 24 sqq* hisce fere mentem aperit: „Ab Jasone cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare. Considerantes enim multitudinem librorum et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio, studiosis vero, ut facilius possint memoriae commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus etc. . ." In fine demum addit: „Faciam finem sermonis; et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi" *(15, 38 sq)*. Qui haec protulit, conscientiam inspirationis divinae vix habuisse videtur.

c) Inveniuntur tamen inter patres et theologos, qui his non obstantibus omnibus omnino hagiographis ejusmodi conscientiam adscripserint; inter quos v. g. Suarez haec disputat: „Oriebatur curiosa quaestio, an scriptor canonicus certo cognoscat, se cano-

nice scribere et gubernatum esse a Spiritu Sancto; quam non invenio in terminis disputatam ab auctoribus, licet de prophetia soleat alia similis tractari. Et quamvis aliqua ratio differentiae possit assignari, securius videtur idem in praesenti affirmari, quod de prophetia certum est, nimirum prophetam verum et proprium cognoscere, quae praedicit; ita enim significat David in locis supra citatis. Est autem eadem ratio de reliquis scriptoribus" *(de fide disp. 5 s. 3 n. 15)*. — Neque haec sententia positive vel necessario per verba modo allegata ex libro secundo Mach. vel per verba Lucae excluditur, quamvis iisdem difficulter cohaereat; possunt tamen ea, quae proferunt, intellegi de studio et conatu, quem sub ipsa inspiratione sibi nota attulerunt.

§ 3. De voluntatis inspiratione in specie.

I. Jam supra ostendimus, ad internam et essentialem rationem inspirationis omnino requiri, ut voluntas hagiographi efficaciter ad scribendum divinitus impellatur et moveatur.

Id enim, quod in efficiendo libro caput est et quo proxime et efficaciter demum determinatur ejusdem existentia, certe ejusdem scriptio externa est; haec autem terminus est alicujus actus voluntatis. Ei igitur adscribenda est existentia libri, cujus voluntas hanc scriptionem determinat; et si externa scriptio voluntate hagiographi sine divina motione fit, liber quoad existentiam suam nullatenus Deo ut causae efficienti et auctori adscribi potest, sed ipsius hagiographi proprius effectus est. Quare Deus, ut causa principalis sacrorum librorum, motum efficacem in voluntatem hagiographi exerere debet.

Dixeris forsitan: Ecce Deus jam in illustratione mentis hagiographi dedit conceptus et judicia eaque praecise qua scribenda! Nonne jam inde, quantum sufficit, auctor libri constituitur? — *Attamen* eo quod ideae ipsae scribendae ab auctore humano per Deum vel ut scribendae concipiuntur, hae efficaciter et actu in librum non confluunt; per ejusmodi illuminationem mentis Deus materiam quidem praebet et excitationem forsitan quandam objectivam, quae attrahat voluntatem ad scribendum, sed voluntatis propriam determinationem intactam relinquit. Deus per ejusmodi illustrationem auctor forsitan dici potest sensu quodam morali, nullatenus in ordine causae efficientis. Ut igitur in ordine causae efficientis Deus ratio sit, quae

existentiam libri vere determinet, in ipsum actum voluntatis, quo hagiographus demum scriptionem libri exequatur, efficaciter influere et ut causa principalis voluntatem ministri sui commovere debet. Sic demum verificatur illud dictum apostoli: „non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia" *(2 Pet 1, 21)*.

Propheta igitur, qui per Deum revelationem aliquam et impulsum ad loquendum acceperit illamque revelationem sive praedicationem Dei postea proprio marte sine ulteriore impulsu divino in librum collegerit, librum sacrum seu inspiratum non scripsit; neque enim in ipsa scriptione ut organum Deo inservivit.

II. De hac voluntatis motione nunc tria consideranda sunt: obiectum, natura interna, relatio ad libertatem hagiographi.

1. Objectum huius divini impulsus executio est judiciorum illorum practicorum, quae ex illustratione inspirativa in intellectu hagiographi jam formata sunt. Movendo vero ad illa judicia scribenda, impulsus ille divinus voluntatem hagiographi eo ipso ad omnia movet, quae in libri compositione a voluntate dependent. — Hac ratione etiam potentias executivas et signorum consignationem ipsam, sub generaliore saltem respectu, necessario attingit. Sine his enim velle scribere hagiographus non potest, et voluntas exsequens formaliter fere est voluntas illas potentias externas applicans.

a) *Inprimis* divina motio has externas facultates attingere debet. — Et ratio pro hac assertione facile patet: etenim cum facultates executivae scriptoris immediate in ipsam existentiam libri influant, ejus jam erit existentiam libri determinare, causam et auctorem ejus esse, qui has facultates efficaciter movet. Et ideo etiam ipsae ut instrumenta divina, mota per Deum, ad componendos libros sacros concurrere debent; secus Deus iterum non esset auctor principalis existentiae illorum librorum. Et ideo, quaecumque et hae facultates executivae agunt, ut liber quoad essentiam et substantiam existat, sub influxu et motione divina agant necesse est.

b) *Neque tamen* novus et distinctus impulsus divinus quoad has facultates (in applicatione manuum, in advocatione scribae seu amanuensis etc.) requiritur, sed cum vires executivae in homine immediate et necessario a voluntatis imperio de-

pendeant et moveantur, Deus per impulsum illum in voluntatem hagiographi sufficienter, quamvis mediate, has vires externas movet et ita scriptionem externam attingit. Cf. Pesch *n. 424.*

c) In eundem modum ad inspirationem non requiritur, ut hagiographus ipse per se et propria sua operatione materialem scriptionem perficiat, sed plane sufficit, ut per alium scribam vel amanuensem scribat, et sic moraliter tantum et mediate in ipsam externam scriptionem influat, dictando ideas suggerat et scriptioni invigilet. Hunc in modum ex sacris scriptoribus complures non immediate et per sese libros suos conscripserunt, sed mediantibus ministris et amanuensibus; ergo certe non physice et immediate in ipsam scriptionem influxerunt.

Ita Jeremias adhibuit ministrum Baruch prophetam in scribendo *(Jer 36)*, Petrus in prima sua epistola Silvanum *(5, 12)*; Paulus epistolam ad romanos non propria manu scripsit, sed Tertio eandem dictavit etc.[1]). Omnes hi sacri scriptores Jeremias et Petrus et Paulus, quamvis secundarii, sub Deo tamen veri erant librorum suorum auctores. Ergo et Deus auctor Scripturae manebit, etsi in ipsam scriptionem materialem et in ipsas facultates externas non immediatum vel physicum influxum exercuerit. Et ideo Deus facultates illas scriptorias, praeterquam quod easdem per voluntatem inspiratam moverit, neque physice elevare, neque per facultates sic elevatas physice ipsam scriptionem materialiter attingere debuit.

2. Quaeritur dein de natura et ratione interna hujus influxus. – In genere loquendo hic influxus entitative consideratus ejusdem rationis esse videtur, cujus motiones illae sunt, quae homo in gratia actuali divinitus patitur; et ideo in analogia cum gratia actuali explicari potest.

a) Poterit igitur Deus voluntatem hagiographi movere physice vel moraliter, modo mere interno et insensibili, sed et modo externo et sensibili, per se et per alium; omnibus enim hisce modis voluntas humana tanquam instrumentum divinae voluntati subordinari et ita Deus tanquam auctor principalis constitui potest.

---

[1]) Ad rem. s. Thomas *in Col 4, 16 sq* notat: „Consuetudo apostoli erat, quod totam epistolam faciebat aliquem scribere, sed in fine ponebat aliquid de manu sua . . . ne fallerentur" i. e. ne fictas epistolas pro veris reciperent, quod praemonuit ipse Paulus *2 Thess 2, 2.* Cf. etiam *decr. commiss. bibl. d. d. 27 Junii 1906, de mosaica authentia Pentateuchi dub. 2.*

Absque dubio Deus physico influxu immediate ipsam voluntatem hagiographi intrinsecus afficere et ad scribendum determinare potest, tribuens directe ipsum actum volendi; id quod creatori stulte negaveris. — Sed potest Deus voluntatem humanam etiam movere per influxum internum iterum, tamen non jam physicum circa ipsam voluntatem, sed moralem: mediante *nimirum* cognitione infusa, qua proponat mandatum et voluntatem suam vel alia motiva, quibus hagiographus ad scribendum efficaciter determinetur.

Potest *denique* Deus voluntatem hagiographi ad opus applicare etiam per influxum moralem, in mediis externis exercitum. Ita Deus mandatum ad scribendum innuere potest etiam per verba sensibiliter prolata, quemadmodum in prophetis saepe accidit v. g. *Is. 8, 1*, ubi propheta de se testatur: „Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem et scribe in eo stilo hominis"; similia leguntur *Ier 30, 2 coll. 1, 7; Hab 2, 2; Apoc 1, 10* et alibi. — Idem autem quod Deus per se facit hac in re, exhibere potest etiam ministerio angelorum, cujus rei exemplum legitur *Apoc 19, 6 sqq.*

In omni ejusmodi casu hagiographum sub ministerio Dei, Deum autem auctorem principalem constitui nimis evidens est. Id patet ex simili agendi modo hominum, qui et ipsi istis fere modis ministros ad officia praestanda applicant.

b) Adhuc quaeri potest, num Deus auctor principalis constituatur libri etiam tunc, cum per specialem dispositionem providentiae suae alias causas de se naturales intercedere facit, ut hagiographus efficaciter ad scribendum moveatur. Ut rem in exemplo illustremus, legitur ex. g. de Marco evangelista apud s. Hieronymum: „Marcus, discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve scripsit evangelium" *(de script. eccles.)*, et simile quid de s. Joanne narrat Clemens alex.

Dicendum esse videtur: si preces istae fidelium seu discipulorum ex positiva atque determinata divinae providentiae ordinatione ad sacrum scriptorem praecise eo fine diriguntur, ut liber fiat, ad rationem verae inspirationis omnino sufficiunt. Contrarium tenendum esse videtur, si preces istae sine speciali hac ordinatione divina vel ex solo gratiae actualis impetu factae sunt; si enim hoc alterum obtinet, actus, qui intercedunt, non ad Deum, sed ad ipsos homines referri debent; et ita Deus non ut auctor intercederet.

Habes inde, quod respondeas, si quis exceperit: Judicium practicum et pariter voluntas ipsa scribendi in hagiographis multis, si non in omnibus, ex causis oborta sunt naturalibus v. g. precibus

ab hominibus fusis et aliis hujusmodi rebus. — Ipsae *nimirum* hae causae naturales peculiari divinae ordinationi et dispositioni substare poterant.

c) Nota tamen, ex alia parte magnum discrimen esse inter motiones gratiae actualis et hanc inspirativam. *Motio haec inspirativa* ex absoluta Dei voluntate certum atque determinatum librum condendi procedit; unde et infallibiliter eo adducit, ut homo scribat ea, quae Deus velit. *Motione gratiae actualis* ipsum opus per gratiam praestandum salutare determinate et absolute Deus non intendit, sed gratia indifferenter oblata, homo demum ipse opus salutare libera electione determinabit.

3. Quid jam fiet cum libertate hagiographi sub ista divina motione? Ecce prorsus necessario ea scribere debet homo, quae Deus determinavit; nonne sic ejus libertas plane tollitur?

Quoad quaestionem juris certum est, per ejusmodi motiones libertatem hagiographi non necessario laedi vel tolli. Hoc immediate manifestum est quoad omnem motionem moralem, quae nimirum mediante cognitione fiat per mandatum vel desiderium divinum homini infusum. — Neque aliud dicendum est de modo illo, qui specifice divinus est, quo Deus physice et immediate ipsam facultatem voluntatis attingat; sic enim Deus etiam per gratiam ordinariam inspirationis humanam voluntatem movet et attingit, quin libertatem actus salutaris impediat. Hoc autem ideo fieri potest, quod Deus voluntatem hominis immutet in actu prius indeliberato, cui ex deliberatione postea assentiat homo. Necessario igitur suspensio libertatis humanae per inspirationem non infertur. — Infallibilitas autem effectus inde habetur, quod Deus per ejusmodi actus indeliberatos hominem ita attrahere potest, ut certo certius assensum per actum deliberatum praestet; idque liberrime.

Quaestionem de facto quod attinet, omnino dicendum est hagiographos sub inspiratione divina liberum facultatum suarum usum retinuisse. Pro qua re non una ratio afferri potest.

a) Et *primo* quidem Deus, qui integros libros perfecte compositos hominibus tradere potuit, de facto hominem

instrumentum rationabile et liberum sibi elegit; hoc ipso autem innuere videtur Deus, se homine etiam, qua homo est, secundum perfectionem ipsius propriam uti velle. Ad perfectionem autem hominis propriam quam maxime pertinet etiam libera voluntatis determinatio. Cum igitur Deus ad scribendum elegerit instrumenta libera, non debemus supponere Eum, remota eorundem libertate, per modum entium irrationalium eos movisse.

b) *Secundo* ex ipsis hagiographis multi omnino ita de modo suo agendi et scribendi loquuntur, ut satis appareat se sub inspiratione divina cum pleno actus dominio egisse; nullus autem eorum vel minimum indicium praebet, se in scribendo libro sacro libertate destitutum esse. Quare optima quidem ratione existimaveris libertatem sub inspiratione de facto illaesam remansisse, nullam vero rationem invenias eandem libertatem denegandi.

Ita, ut unum vel alterum exemplum addamus, Lucas ab initio evangelii sui declarat: „Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quae in nobis completae sunt rerum, . . visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile". Similiter s. Paulus de se *2 Cor 7, 8* testatur: „Etsi contristavi vos in epistola [priore eaque inspispirata], non me poenitet; et si poeniteret [eam me scripsisse]. .. nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam": cf. etiam, quae supra protulimus ex *2 Mach 15, 38* vel *prol. Eccli.* Haec omnia sicut propria consilia hagiographorum, ita et eorundem liberum in agendo arbitrium manifestant. — Idem in genere arguunt omnes isti textus, quibus hagiographi profitentur se mandatum divinum accepisse ad scribendum; omne enim mandatum ad liberam facultatem dirigitur, neque Deus mandaret, si jam semota libertate voluntatem hominis vi adigere voluisset.

c) Unde et patres et theologi hagiographorum libertatem asserunt constanter et defendunt. Ut unum saltem ex patribus audiamus, s. Chrysostomus: „Omnia, inquit, (prophetis) manifesta erant et in illis prophetant, ut ipsos decebat, cum omni intellegentia et libertate; quapropter *et* loqui *et* non loqui erat in eorum potestate; neque enim necessitate tenebantur, sed libertate dignati erant. Ideo Jonas fugit, ideo Ezechiel distulit, ideo Jeremias recusabat; Deus autem

non per necessitatem impellit eos, sed consiliis, exhortationibus, comminationibus utitur non obscurans intellectum; daemonis enim proprium est tumultum et insaniam creare et multam caliginem, Dei vero est illuminare et cum intellegentia docere, quae opus est" *(in 1 Cor hom. 29, 2)*. Quibus verbis rationes a nobis modo expositas in unum collegit et sua auctoritate sancivit magnus ille orator.

Pro theologis autem audias s. Thomam de hac re disserentem *de ver. q. 12 a. 4 ad 6:* „Usus autem prophetiae cujuslibet est in potestate prophetae, et secundum hoc dicitur *1 Cor 14, 32: ‚Et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt'*. Et ideo ab usu prophetiae aliquis potest seipsum impedire"; cf. etiam *ib. q. 12 a. 9.* — Pertinet autem ex mente s. Thomae inspiratio ad genus prophetiae; cf. Pesch *o. c. n. 170.*

§ 4. De divina quae in inspiratione tribuitur assistentia.

Restat, ut pauca addamus de tertio elemento inspirationis, quod consistit in assistentia divina. Haec *aliquatenus quidem* etiam ad intellectum et voluntatem refertur, ne nimirum hagiographus quidquam scribendum judicet vel scribere velit praeter intentionem divinam, *maxime vero* respicit ipsam divini mandati externam executionem, scriptionem igitur materialem. De hac assistentia jam haec ex ordine breviter exponamus.

1. Aliqua assistentia certe requiritur. — De ratione *enim* inspirationis est, quod Deus in scribendis ss. libris provideat, ut ea omnia eaque sola sine alteratione calamo excipiantur, quae Ipse determinavit. Deus enim de facto saltem, ut mox audiemus, auctor est totius Scripturae et omnium ejus partium. *Atqui* eorum, quae homo praeter mentem divinam sive addiderit sive immutaverit, Deus certe non esset auctor. *Ergo* invigilare debuit, ne quid praeter ipsius intentionem ab hagiographis vel eorum amanuensibus scriberetur, adderetur vel defraudaretur. In his vero aliqua assistentia divina habetur. — Et *in genere loquendo* absque dubio Deus in tantum non erit auctor Scripturae neque haec inspirata, in quantum, quae litteris consignantur, divinae intentioni non corresponderint. Ergo aliqua assistentia

etiam quoad externam consignationem de necessitate inspirationis est.

In qua re considerandum est, hoc elementum a prioribus distingui neque in iis necessario implicite contineri. Posita *enim* illustratione mentis additaque voluntatis motione per se fieri adhuc potest, ut scriptor vel optimae voluntatis deficiat eaque admisceat, quae a mente divina aliena sunt, vel ea, quae Deus inspiraverit, adhibitis ineptis signis externis in perversum sensum detorqueat. Ergo ut haec impediantur, novus et distinctus influxus divinus requiritur.

2. Haec assistentia, ut fere patet, inprimis applicationem facultatum externarum respicit. Quoad has facultates executivas nunc sub superiore paragrapho jam insinuavimus, de essentia et ratione inspirationis non esse physicum et immediatum influxum divinum in ipsam scriptionem materialem. Ratio simplex desumitur inde, quod istae facultates humano modo non moventur nisi voluntatis imperio; ideoque mediante voluntate divinitus commota Deo ut instrumenta jam submittuntur. Ergo neque assistentia divina in inspiratione requisita necessario in ejusmodi positivo influxu consistit, qui motioni voluntatis et intellectus superaddatur et immediate ipsas facultates externas attingat.

3. Assistentia divina ergo per se negativa est, per accidens autem positivum influxum divinum inferre potest. Si *nimirum* hagiographus, divinitus jam illuminatus et ad scribendum promptus, per sese in scribendo mentem divinam apte assequitur neque sic instructus defecturus esse praevidetur, ulterior influxus positivus ex parte Dei non requiritur. Per accidens autem hagiographus, vel rite praeparatus et bonae voluntatis, adhuc deficere potest in munere suo exequendo; quod si fieri divinitus praevidetur neque alio modo impediri potest, Deus etiam positive intercedere debebit. Hunc porro influxum Deus iterum variis modis sive immediate per se sive mediate per causas creatas easque sive naturales sive supernaturales praebere potest.

Nota. Intellexeris autem, quanta differentia intercedat inter inspirationem s. Scripturae et infallibilitatem definitionum ecclesiasticarum. Haec enim infallibilitas, essentiam quod attinet, ad solam assistentiam divinam reducitur; inspiratio praeter assistentiam multiplicem influxum positivum quoad mentis illustrationem et voluntatis commotionem infert. Cf. Pesch *n. 426.*

§ 5. Corollaria.

1. Iis quae hucusque disputavimus rite perpensis, facile perspexeris, quo optimo jure card. Franzelin, qui primus hanc doctrinam largius evolverit, inspirationem delineaverit *ut charisma quoddam propheticum, „quo veritates, quas Deus per scripturam ecclesiae tradere voluit, mens hominum inspiratorum conciperet ad scribendum et voluntas ferretur ad eas omnes et solas scripto consignandas“, addita insuper ea providentia divina, qua „homo scribens non solum actu, sed etiam infallibiliter eligeret signa idonea ad res et sententias vere et apte exprimendas“ (de div. Trad. et Script. p. 342. 350).* Eundem in modum Leo XIII inspirationem descripsit (cf. *p. 93*). — Ex argumentis vero et fontibus, quibus in hac doctrina exponenda usi sumus, simul intelligas, Leonem XIII eandem in encyclicis suis ad universam ecclesiam litteris non immerito catholicam declarasse. Post textum enim, quo doctrinam hanc totidem fere verbis amplexus est, sub eodem numero pergit: „Consequitur, ut qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto *aut* catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, *aut* Deum ipsum erroris faciant auctorem.“

Nihilominus non pauci inter catholicos inveniuntur auctores, qui multis congestis exceptionibus doctrinam hanc magna ex parte declinare nitantur; ex quibus pro exemplo audiamus Zanecchiam O. P., qui eam impugnavit prius in opere *divina inspiratio p. 75 sqq.* et deinde opusculo *scriptor sacer sub divina inspiratione juxta sententiam card. Franzelin (1903).* Aggreditur hic auctor imprimis methodum, quam cardinalis adhibuit, eamque ut evidenter irrationalem, illogicam, erroneam declarare conatur;

unde et ipsa theoria nonnisi absurda, confusa, irrationalis, arbitraria appareat necesse sit.

Duplex fundamentum esse videtur, in quo impugnatio a Zanecchia instituta potissimum nititur. Supponit *primo* cardinalem in sua deductione procedere ex simplici conceptu auctoris *vel* saltem auctoris libri ad inferendum conceptum inspiratoris libri; hoc supposito dein argumentatur: Conceptus auctoris ambiguus est, cum auctor libri possit esse, qui non sit ejusdem inspirator. Ergo ad illustrandum conceptum inspirationis, ex sese multo magis determinatum, adhiberi nequit. — *Alterum* impugnationis fundamentum Zanecchia desumit ex consideratione, quod prius sit inspirare quam auctorem esse. Unde iterum infert: Ergo ex notione inspirationis notionem potius auctoris esse explicandam; methodo autem, qua usus sit cardinalis, totam logicam perverti.

1. In hac argumentatione ipsa haec fundamenta inania esse deprehenduntur. Et quod *alterum* fundamentum attinet, nihil omnino impedit, quominus aliquid prius altero sit in ordine causali et tamen in ordine cognitionis ex hoc posteriore explanetur; quemadmodum Deus creator omnino prior est creaturis et tamen ex ipso mundo creato quoad existentiam, naturam, proprietates cognosci debet et de facto aliquatenus saltem cognoscitur. Ita ex ecclesiasticis definitionibus prius possumus certo cognoscere, quod Deus ob inspirationem auctor est sacrorum librorum; et ideo ex hoc conceptu declarare et illustrare, quid sibi inspiratio velit: quamvis haec inspiratio prior fuerit in ordine causali. — Ceteroquin non agitur in quaestione ista de inspiratione, quae sit causa τοῦ auctorem esse, ac si inspirare demum efficeret auctorem, sed potius de ratione formali, secundum quam ipsum inspirare jam est auctorem esse; et tota res vertitur in hoc, ut ex una ratione (clariore) illustretur altera (obscurior). Qua in re, quid auctor libri sit, facile omnis homo, nisi plane bardus est, scit; non tam facile intellegitur, quid sibi velit „inspirare". Cf. quae supra de hoc termino disputavimus *p. 23 sqq.*

Quoad *prius* vero fundamentum, hoc in ipsum ejusdem inventorem retorqueri potest. Neque enim notio inspiratoris ex sese minus ambigua est quam vox auctoris: et sicut aliquis esse potest auctor libri, quin sit ejusdem inspirator, ita aliquis inspirator libri esse potest, quin auctor ejusdem evadat. Unde Zanecchia, qui ex conceptu inspiratoris ad declarandum conceptum auctoris procedere vult, eidem subjacet suo opprobrio. — Omnia vero opprobria a Zanecchia prolata immediate etiam in Leonem XIII cadunt, qui similiter procedit ac card. Franzelin. Qua in re attende ejus rationem: „secus non Ipse (Deus) esset auctor Scripturae universae".

2. Tota *insuper* argumentatio a Zanecchia adhibita falso innititur supposito. Supponit *nimirum* argumentationem nostram ex conceptu abstracto auctoris vel auctoris libri procedere; et hoc immerito. *Etenim* antequam ad analysin notionis inspirationis accessimus, per longum et latum ex ipsa s. Scriptura, ex traditione, ex ecclesiasticis definitionibus ostensum erat, quod Deus non utcunque auctor librorum sacrorum est, sed auctor talis, qui per hagiographos tanquam per instrumenta rationalia [i. e. per inspirationem] libros illos confecerit. Ejusmodi autem conceptus jam neque est communis seu genericus, neque ambiguus, sed determinate ipsam rationem originis divinae librorum canonicorum eorumque inspirationis continet et exhibet. Et cum secundum eosdem fontes praecise idem sit inspirare et auctorem esse per ministros humanos, et hoc alterum jam ratio formalis sive specifica (non effectus) sit inspirationis et in se res notissima minimeque obscura, inspiratio optimo jure ex ratione sua specifica declarari potest. Cf. etiam, quae supra proposuimus in simili causa *p. 53 sq.*[1])

3. Ex dictis etiam manifestum est, quantopere a fide christiana modus ille abhorreat, quo protestantes moderni inspirationem exponant. Hi inspirationem, si quam utcunque retinent, singularem quandam, spontaneam tamen et naturalem commotionem religiosam esse declarant, qua hagiographi correpti sensus suos et affectus religiosos litteris consignaverint; hanc inspirationem etiam similem esse ajunt inspirationi, qua poëtae carmina panxerint. Consequenter Scripturam dicunt inspiratam eo, quod ex personali enthusiasmo hagiographi conscripta idonea sit ad similem emotionem religiosam in iis provocandam, qui eam legerint.

Intolerabilis est haec sententia, ex qua sacra Scriptura non esset liber nisi humanus, certe rationem non indueret Verbi Dei formalis.

II. Iis quibus nos inspirationem circumscripsimus, ea tantum comprehenduntur, quae ad ejus essentiam et substantiam necessario requirantur. Quodsi igitur Deus in ipsa inspiratione etiam plus exhibere velit, quodsi v. g. etiam scriptionem materialem positivo influxu dirigat, revelationem proprie dictam addat etiam eorum, quae ex naturali investigatione fere pateant etc., haec omnia conceptum inspirationis essentialem non mutarent, sed in

[1]) Accuratiora legere potes Pesch *o. c. n. 309—314.*

ipsa inspiratione abundarent eamque ultra essentiam perficerent.

Hac occasione theologi etiam quaerunt, num inspiratio diversos admittat gradus. Cum autem haec quaestio in abstracto considerata difficilem adinveniat solutionem, respiciamus statim rem, ut de facto est. Et sub hoc respectu dicimus:

1. In libris nostris canonicis non est admittendum discrimen quoad inspirationem eo sensu, ut inde jam unus liber altero esset magis Verbum Dei vel majorem ex inspiratione auctoritatem habeat ad fidem theologicam sibi vindicandam. Alia quidem erat sententia judaeorum, talmudistarum saltem, de quibus cf. Pesch *n. 10.* Similiter inter protestantes inveniuntur, qui triplicem distinguunt inspirationem: summam, mediam, infimam. Sed etiam inter catholicos erant, qui cum Jahn et Touttée putabant, internum extare discrimen inter libros protocanonicos et deuterocanonicos neque istud discrimen per definitionem conc. tridentini sublatum esse: discrimen autem esse in eo, quod soli protocanonici stricto sensu inspirati sint, reliqui autem libri solum eatenus, quatenus apti inveniantur ad aedificationem fidelium.[1])

Haec sententia, quae olim placebat etiam card. Cajetano paucisque aliis, jam tolerari nequit. *Etenim* — a) concilium tridentinum in decreto sessionis quartae, quo canonem Scripturae exhibet et definit, nullo ne levissimo quidem ejusmodi discriminis dato indicio promiscue deuterocanonicos libros cum ipsis protocanonicis enumerat; et ita per ipsum hunc enumerandi modum omne discrimen excludit. — *Insuper* de his libris declarationem jam praemiserat: „omnes libros [eos nimirum qui deinceps

[1]) Antiquus quidem usus in ecclesia viget, ut ii ex sacris libris nostris, de quorum inspiratione numquam dubitatum erat, protocanonici vocentur, ii vero, de quorum divina auctoritate dubitationes aliquando commotae erant, deuterocanonici. Mos iste vel nunc retinetur inter theologos; neque tamen per ejusmodi denominationem internum discrimen vel diversam auctoritatem indicare volunt, sed respectum quendam ipsis libris plane externum, qui ex canonis historia desumitur.

enumerantur| tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor . . . pari pietatis affectu ac reverentia suscipi" ab ecclesia. — Omnes *tandem* sine discrimine ut fontes fidei et morum proponit, ita ut ex omnibus fides contra haereticos eodem modo stabiliri possit. *Atqui* discrimen ab adversariis assumptum praecise esset in eo, ut alii quidem libri apti sint ad dogmata fidei demonstranda, alii autem idonei tantum ad aedificationem fidelium. *Ergo* omne discrimen excluditur.

Idem ex historia concilii comprobari potest, quam tradit Pallavicini *VI 11 n. 4 sq.* Inde edocemur, legato referente tres in coetibus particularibus propositas fuisse quaestiones, ex quibus *tertia* erat: „an expediat sacros libros in duas dispescere classes, eorum nempe qui ad promovendam populi pietatem pertinent et illius ergo ab ecclesia recepti, nondum autem canonici declarati sunt, et eorum quibus etiam dogmata fidei innituntur". Haec autem quaestio, licet a Seripando per integrum libellum sensu affirmativo promoveretur, vix ullum invenit fautorem et ideo negative soluta est. Sic distinctio illa inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos* authentice reprobata est.

b) Concilium *denique* vaticanum in *sess. 3 cap. 3* „hos libros cum omnibus suis partibus sacros et canonicos declarat . . propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem"; idem concilium deinde in eadem sessione addit canonem: „S. Q. sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, A. S." His vero res nostra eo sensu saltem de fide esse declaratur, quod notio inspirationis, quam concilium exhibet, de omnibus libris pariter valeat.

c) Si igitur essentia inspirationis in his invenitur, quod liber sacer Spiritu Sancto inspirante conscriptus Deum habeat auctorem, essentiale discrimen admitti non potest. Quare concedendus quidem est progressus religiosus et moralis per tempora prisca patriarcharum et prophetarum usque ad Christum Dominum et hic processus etiam in sacris libris apparet; ea autem, quibus ejusmodi progressus religiosus in sacris litteris manifestatur, ad materiam Scripturae pertinent, inspirationem vero ipsam, qua Scriptura formaliter Verbum Dei constituitur, non mutant.

2. Quamvis sic, essentiam quod spectat inspirationis, diversus inspirationis gradus non distinguatur, quoad modum vero, quo actio divina in sacro scriptore operatur, gradus facile inveniri possunt. Omnia *enim* elementa, quibus inspiratio componitur, et illustratio mentis et motio voluntatis, augmenti et decrementi capacia sunt; secundum majorem autem vel minorem illustrationis vel motionis intensitatem, et ipsi libri inspirati certam quandam accidentalem diversitatem admittere possunt. Sic unus liber veritates continere poterit, quae magis immediate a Deo manifestentur, clarius et vividius exhibeantur; huic sacro auctori assistentia immediate divinitus fieri potuit, alteri mediate tantum, mediante nimirum apta de creaturis dispositione et providentia.

3. Haec porro dicta sint de inspiratione ad scribendum. Cum hac inspiratione ad scribendum multiplex alia inspiratio mere personalis conjungi potuit, ut sunt variae affectiones poëticae, affectuosae . . Hae utique variae in variis hagiographis inveniri possunt, ab ipsa vero inspiratione ad scribendum plane sunt secernendae. De hac re Pesch *n. 401:* „Cum ipsa inspiratione ad scribendum inspirationes illae personales ad gaudendum, tristandum . . ad affectus humanos exprimendos vel retinendos, et quaecunque sub inspirationem personalem cadere possunt, tempore quidem saepe sunt conjuncta, attamen ab ea inspiratione, qua libri sacri omnes inter se conveniunt et ab omnibus aliis distant, diligenter distinguenda sunt. Ecclesiae definitiones de inspiratione respiciunt omnes libros canonicos in communi; ergo supponunt communem inspirationis notionem, quae in omnibus libris canonicis verificetur. Haec autem non est inspiratio ad hos vel illos actus et affectus, qui in uno alterove libro sacro exprimuntur, sed est simpliciter inspiratio ad scribendum. Quot affectus desiderii, gaudii, spei, indignationis, commiserationis manifestantur in epistulis s. Pauli, ad quos affectus eliciendos sine dubio a Deo inspiratus erat! Sed tales affectus habuit, antequam scriberet, et [forsitan] habuisset, etsi non scripsisset quidquam. Neque igitur inspiratio ad illos affectus eliciendos ex conceptu suo etiam est inspiratio ad scribendum. Atqui libri sunt sacri et canonici, quia Deo inspirante conscripti sunt. Ergo inspiratio biblica ab omnibus illis inspirationibus affectuosis, lyricis, rhetoricis [ut sunt affectus ipsius hagiographi] distinguenda est. Ejusmodi quaestiones de statu lyrico, historico, similesque sunt exegeticae et potius pertinent ad genus litterarium quam ad nostram quaestionem de inspiratione s. Scripturae".

III. Peculiarem difficultatem contra doctrinam a nobis expositam excitant, quae leguntur *2 Mach 2, 24 sqq. coll.*

15, 39. Inde quattuor dicta promunt sive contra inspirationem illius libri sive contra nostrum de inspiratione conceptum.

Ibi legitur: „Itemque ab Jasone cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare“ *(2, 24);* unde inferunt: Videtur Spiritui Sancto non convenire, epitomen alterius libri non inspirati conficere. Ergo ratio inspirationis non videtur esse in eo, ut Spiritus S. sit auctor libri. — Legitur *ib.:* „negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus“ *(2, 27);* et ecce: in auctore inspirato, qui omnia ex divina illustratione et motione accipit, tantus labor et sudor superfluus est neque facile intellegitur! — Legitur iterum: „Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes“ *(2, 29);* sed qua ratione Spiritui Sancto dubitationem de veritate rerum a Se narratarum adscribere possumus? quomodo Spiritus S. judicium de veritate rerum, quas Ipse tradiderit, aliis committere poterit? — *Denique* legitur ad finem libri: „Si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi“ *(15, 39);* haec verba inspirationem nostro sensu intellectam prorsus excludere videntur, cum dubium proferant, num Spiritus Sanctus opere suo bene functus sit.

Ad singula breviter respondeamus. — 1. Quod *primum dubium* attinet, movetur controversia, num liber ille secundus Machabaeorum proprie excerptum sive epitome sit. Nonnulli enim tenent, librum illum non propriam epitomen esse, sed solum breviorem quandam expositionem earum rerum, quas et Jason suo modo enarraverit; sic materialis tantum quaedam identitas inter libros Jasonis et librum nostrum inspiratum esset. Hanc sententiam, quamvis merito teneatur, mittamus; neque enim rebus controversis responsum debemus obnoxium reddere; et data, non concessa ipsa suppositione, librum istum excerptum quoddam esse,

respondebimus simpliciter: nihil inveniri absurdi in hoc, quod Deus per inspirationem excerptum fieri jubeat ex quocunque demum etiam humano libro. Potest enim Spiritus Sanctus ideam talis epitomes prorsus determinatam in mente scriptoris excitare ea conditione, ut determinatas, quas Ipse vult res et sententias, decerpat easque eo modo disponat et proponat, quo Ipse disposuit.

Neque quidquam Deo indignum in hac procedendi ratione detegi potest; nam etiam in ejusmodi excerpto finem inspirationis Deus aptissime assequi potest et magnam hominibus exhibere utilitatem religiosam. Hic finis autem praecise in nostro excerpto *(2 Mach)* continuo inculcatur et in eo invenitur, ut peculiaris Dei erga populum suum providentia celebretur et commendetur. „Deus — ita ibi *2, 17* legitur — qui liberavit populum suum et reddidit haereditatem omnibus . . sicut promisit in lege, speramus, quod cito nostri miserebitur"; et iterum *3, 39*: „Ipse, qui habet in coelis habitationem, visitator et adjutor est loci illius et venientes ad malefaciendum percutit et perdit"; et similia inveneris in singulis fere capitibus repetita et inculcata. — Ceterum si in genere Deum non dedecet homini inspirare, ut utatur fontibus et documentis humanis et historicis, quare non potest ejusmodi excerptum inspirando conficere?

2. Neque quod dicitur de magno scriptoris labore et sudore, inspirationem hujus libri excludit. Scimus enim, quod inspiratio humanam industriam non removet, et illi conatus praecise medium divinitus electum esse possunt, quo Deus scriptorem ad ea cognoscenda adduxit, quae in librum congesta habere voluit.

3. Magis attendere debeas in iis, quae *tertio loco* opponuntur: „veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes . .", et ab aliquibus ita intelleguntur, ac si auctor de veritate eorum, quae enarraverit, minus sollicitus fuisset eamque fontibus suis permisisset.

Ad solutionem prius textum graecum et originalem adspicere debemus. Hic ita se habet: Τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς ἀτονοῦντες [al. διαπονοῦντες] *(2, 28)*. Ex hoc graeco textu statim perspicies, nullam esse omnino difficultatem neque eum esse verborum sensum, quem adversarii intrudunt. Patet sensum esse plane innocuum eum: „singulorum accuratam et diffusam expositionem historiographis relinquentes, nos formam epitomes observare studuimus". Nihil igitur aliud auctor iste sacer inculcat, nisi quod non per longum et latum facta exponere velit, id quod alii fecerint; sed quod brevitati studere velit.

4. Quod denique in fine libri additur: „Si quidem bene . . hoc et ipse velim etc. . . .“: haec modesta excusatio non tam ad ipsas res et eventus enarratos refertur, quam ad externam magis operis formam et stilum, qui humano ministro permitti potuit. Huic interpretationi favent et vocabula electa: εὐθίκτως τῇ συντάξει, εὐτελῶς καὶ μετρίως = apte, simplicius, minus digne, quae omnia modum potius enarrandi respiciunt. — Ad summum hisce ultimis verbis excluditur conscientia inspirationis divinae ex parte hagiographi, non vero necessario ipsa inspiratio.

Nota. Quae hic de *2 Mach* exposuimus, apte applicare possunt ad prooemium evangelii Lucae, ubi ex parte similia inveniuntur. De hoc prooemio accommodate s. Beda dicit: „Quod autem visum etiam sibi scribere dicit, non quasi a se sibi visum, sed Spiritu S. instigante sibi quoque visum significat“ *(in Lc prooem. M. PL. 92, 307 sq.)*.

Articulus III.
De falsis quibusdam sententiis.

Conceptus inspirationis, quatenus nil aliud infert ac Deum esse verum sacrorum librorum auctorem, communis erat inter patres et inter catholicos sine controversia semper receptus. Accuratior hujus notionis determinatio in doctrina eorundem patrum quidem pariter continetur, quoniam cum eorum principiis, ut modo vidimus, proxime cohaeret, tamen non ita distinctim hac de re disputaverant. Quare non est mirum, quod, ubi primum inde a temporibus concilii tridentini diligentior instituta est inquisitio, exortae sunt nonnullae controversiae et vel inter catholicos theologos exurrexerunt, qui de intimiore inspirationis ratione ea proponerent, quae cum tradita doctrina componi nequeant. Horum, antequam rem ipsam ingrediamur, brevis conspectus exhibendus est historicus.

Hac in re consuli possunt card. Franzelin *o. c. th. IV p. 360 sqq*; Dausch *die Schriftinspiration p. 145 sqq;* Pesch *o. c. l. I c. 6 a. 6; l. II c. 2 a. 3;* Van Laak *de sacrae Scripturae inspir. atque inerrantia p. I n. 100 sqq; instit. theol. fund. tr. VI fasc. III.*

§ 1. Conspectus errorum historicus.

1. Controversiae nostrae initium fere sumpserunt a tribus thesibus, quas Leon. Lessius S. J. proposuit (1586); sunt autem hae: 1) „Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse a Spiritu Sancto." 2) „Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae." 3) „Liber aliquis (qualis forte est 2 Machabaeorum) humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testatur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura sacra." — *Prior* et *altera* propositio magis contra extensionem inspirationis dirigi videtur; *tertia* ipsam notionem inspirationis in discrimen vocat, quam ad nudam approbationem revocat.

Et Lessius quidem has theses contra impugnationem Lovaniensium sanum in modum explicasse videtur. Certo duas priores salvavit, rejiciens in *priore* verbalem inspirationem, in *altera* autem necessitatem revelationis seu „novae illuminationis, qua ss. scriptores novo modo cognoscerent veritates". *Tertiam* propositionem, quam „remota parenthesi" de *2 Mach.*[1]) ad statum merae possibilitatis restrinxit, ita exponit, ut liber istum in modum „ex humana industria" scriptus procedat tamen „ex instinctu et directione Spiritus Sancti". Concedit igitur tantum, in inspiratione deesse posse assistentiam singularem et positivam; quae dein suppleatur per approbationem divinam subsequentem; cum *enim* Spiritus S. postea declaraverit, non esse ullum erorem, simul declarat non fuisse necessariam assistentiam divinam positivam.[2])

[1]) Cf. *Responsionem ad censuram assertionum de Scriptura priorem n. 5* (Pesch *n. 283*).

[2]) „Hinc patet *quodam sensu* auctorem libri secundi Machabaeorum potuisse dicere linguam suam esse calamum scribae velociter scribentis, nempe quia a Spiritu Sancto excitabatur et dirigebatur; *quodam modo* non potuisse, quia Spiritus Sanctus non omnia verba in mente ejus praeveniendo formabat, sicut facit is, qui proprie dictat. . Non enim ratio Scripturae sacrae intrinsece includit, ut omnia verba materialia sint a Spiritu Sancto dictata, sed hoc est veluti accidens quoddam et ornamentum ejus. . . Quod autem tertiam propositionem conditionalem attinet: Si aliquis liber humana industria etc., sentio semperque sensi nullum talem librum extare, qui sine assistentia Spiritus Sancti ejusque excitatione et directione scriptus sit"; ita in *responsione ad antapologiam lovaniensium* (Pesch *n. 285*).

Ceterum, ut est in ejusdem Lessii *Responsione* ad *„nova adversariorum argumenta“*, Lessius libro, in quo sola haec tertia ratio verificatur, noluit adscribere ipsam rationem formalem s. Scripturae, sed potius eandem cum Scripturis sacris auctoritatem: liber ex ejusmodi approbatione „efficitur Scriptura sacra, nempe quoad infallibilem auctoritatem“.[1])

2. Modus loquendi Lessii certe non est laudandus; dedit tamen ansam subtilius in inspirationis naturam inquirendi. Qua in inquisitione alii auctores jam audacius similia protulerunt. — Ita Jac. Bonfrère S. J., in *Praeloquiis in Scripturam s.* (1631) de essentia inspirationis disserens, majoris jam causa erat dissidiae, quamvis et ipse, benevolam interpretationem nactus, recte intellegi possit. Ejus placita autem haec fere sunt:

„Tribus modis potest concipi Spiritum Sanctum sese cum sacris scriptoribus habere, antecedenter videlicet, concomitanter et consequenter: qui omnes tres modi videntur sufficere, ut aliquid sit scriptura sacra et verbum Dei.

Antecedenter se habet Spiritus Sanctus, cum inspirat, revelat, demonstrat, quae dicenda scribendave sunt, ita ut de suo marteve proprio nihil addat scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quae a Spiritu Sancto inspirata revelataque sunt, ad eum modum quo discipulus magistro dictante excipit, quae ab eo proferuntur . . ad eum modum, ut non sit in potestate loquentis et scribentis aliud loqui et scribere, quam quod Spiritus Sanctus inspiraverit“. Et hunc in modum Spiritum Sanctum dicit se habuisse quoad illas partes sacrorum librorum, in quibus veritates stricte supernaturales proponuntur.

„Concomitanter Spiritus S. se habet, cum non ad modum dictantis et inspirantis se habet, sed ad eum modum, quo quis alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret; hoc enim modo potest Spiritus Sanctus scriptorem hagiographum dirigere, ut in nullo eum errare vel falli permittat; cum enim praesciat, quid ille scripturus sit, ita ei adstat, ut sicubi videret eum erraturum, inspiratione sua illi esset ad futurus“. — Cum hac tamen inspiratione conjungas ex sententia ejusdem auctoris, „ut in scriptoribus sit determinatio ab extrinsecus, ut diversa vel contraria iis, quae scribunt, scribere non

[1]) De tota circa Lessium controversia cf. Kleutgen *Leon. Lessii de divina inspiratione doctrina,* quae invenitur apud Schneemann *controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia etc.* in appendice *p. 463 sqq.*

possint, cum scribentes Spiritus Sanctus non patiatur errare, semper adstet scribentibus in actu primo, illis, quae scribenda sunt, inspirare paratus, sicubi sibi relicti essent aberraturi; ab intrinsecus tamen liberi sunt, cum reipsa illos Spiritus Sanctus non determinet nec quidquam antecedenter in illis operetur, nisi sicubi operatio divina illis est necessaria". — Hunc inspirationis modum *generatim* ad partes Scripturae historicas referre videtur. Retineas autem, quod vel in hoc modo ex sententia Bonfrèrii „scriptori *vel* ab initio *vel* hinc inde in decursu operis non desit inspiratio quaedam generalis (seu impulsus positivus) scribendi talem historiam vel pulchras gnomas .. vel quid aliud, licet haec inspiratio sit fere interna et occulta" *(praeloquiis c. 8)*.

„Consequenter se habere posset Spiritus S., si quid humano spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus Sanctus testaretur omnia, quae in eo scripta essent, vera esse. Certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum et eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cetera, quae inspiratione vel directione ejusdem Spiritus Sancti conscripta essent: quemadmodum tam est regis verbum et paris auctoritatis, cum quis a secretis vel notarius proprio marte mandatum aliquod regium vel instrumentum publicum concipit, quod postea rex probat vel sigillo suo impresso munit, cum eo quod rex ipse concipit, scribit, dictat." Addit dein: „Hoc tertio modo, etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis, quos habemus, sacrae Scripturae libris, absolute tamen nihil vetat, uti vel etiam usum forte in iis libris nonnullis ac scriptis, quos supra diximus fuisse Scripturam sacram et postea tamen intercidisse". — *Illustrat* hanc tertiam inspirationis speciem exemplis, dicens hoc modo Spiritum Sanctum Arati et Epimenidis dicta quaedam in Scripturis approbasse *(Act 17, 28; Tit 1, 22)*, et concludit: „Pari modo integram unam historiam vel librum aliquem sive de moribus sive de re quapiam alia tractantem, quamquam initio profano spiritu scriptum, potest Spiritus Sanctus scripturam sacram reddere, asserendo vera esse omnia, quae in eo libro haberentur" *(ib)*. — Cf. Pesch *o. c. n. 323*.

Inter auctores qui existimant, hujus auctoris expositionem cum vera doctrina componi posse, conferas Schiffini *Divinitas Scripturae 240*. Sed ipsa divisio, quae cadit in inspirationem qua talem et in qua unum membrum expresse excludit, quod omnino necessario ad inspirationem requiritur *(„absque Spiritus ope", „nec quidquam antecedenter in illis operatur")*, et quod adjungit, secundam speciem de facto inveniri in ss. Scripturis, „omnes vero tres

modos sufficere, ut aliquid sit scriptura sacra": evidenter indicant, quod non recte senserit.[1])

3. Bonfrèrius in systema fere collegit ideas, quae singulis erroribus tunc vel exinde quoad inspirationem exurgentibus suberant, una huic, altera illi errori. Ita Holden anglus et professor parisiensis († 1662) ad rationem sacrae Scripturae, qualis est nostra canonica, duas requirit conditiones: *unam* ut liber „doctrinam contineat revelatam, vel a revelata nihil dissonam", *alteram* ut auctor ipsius fuerit vir aliquis sacer et divinus, „cui nimirum libri doctrina ad religionem spectans vel immediate a Spiritu Sancto revelata fuerit vel in illa describenda divinum adfuerit speciale auxilium" *(divinae fidei analysis I 5 lect. 1)*. Ut sufficiens igitur elementum heic asseritur peculiaris assistentia, qua error circa doctrinam revelatam praecaveatur. — *Insuper* a vero hic auctor aberrare videtur quoad extensionem inspirationis, cum in rebus non religiosis hagiographis illud tantum declaret factum esse divinum subsidium, „quod piissimis ceteris auctoribus commune sit."

Similiter Rich. Simon († 1712), Chrismann O. F. M. et post ipsum Jahn, professor viennensis, aliique inspi-

[1]) Notat Pesch *p. 325:* „Numquam vero Bonfrèrius dixit, quod interdum in ejus ore ponunt, esse triplicem inspirationem, antecedentem, concomitantem, consequentem: quae est contradictio in terminis, cum inspiratio necessario aliquid antecedens significet; sed dixit solum primum modum esse inspirationem, in secundo vero modo Spiritum Sanctum non ad instar inspirantis se habere, sed dirigentis tantum; ergo debuit concludere quasdam Scripturae partes non esse proprie inspiratas, sed solum divinitus veridicas". — Contra hoc a) quaesiveris statim: si iste auctor nihilominus — scripsit enim post concilium tridentinum — omnes Scripturae libros sacros et canonicos et inspiratos reapse tenuit?! Certe inspirati erant ex modo, quo Spiritus Sanctus erga sacros scriptores se habebat, et hic modus, quo Spiritus S. se habebat, ei est ipsa inspiratio. Unde etiam aperte declarat, ejusmodi modis constitui Scripturam qua sacram. Cf. 1 alineam textus allegati. — b) Quod autem aliquis auctor hinc inde statuit, quae internam repugnantiam involvunt, non est inauditum. Exemplum habes hac in re ipsum Jahn, qui expresse negavit ex mera assistentia Spiritus libros sacros merito dici inspiratos; cujus tamen est et haec propositio: „Hanc assistentiam divinam, qua caventur errores, vocamus inspirationem"; *Einleitung in die göttl. Bücher des A. Bundes I² 91 sq.*

rationem essentialiter ad actionem revocant, quam Bonfrèrius secundo loco nomine inspirationis concomitantis denotavit, ad meram nimirum assistentiam, qua Deus praeservat scriptores ab errore eosque infallibiles constituat; positivum vero et antecedentem influxum divinum ad rationem inspirationis saltem non necessarium esse existimant.

„Fateor, ait Rich. Simon in *historia crit. textus N. Testamenti c. 23*, apostolis, quamvis essent inspirati, necessariam non fuisse inspirationem, ut scriberent facta, quorum testes fuerunt; at hoc non impedivit, quominus dirigerentur a Spiritu S. in omnibus, quae scribebant, ne in errorem inciderent"; „sufficit ergo *(c. 24)*, ut fateamur sacros scriptores directos fuisse a Spiritu S. in omnibus, quae scribebant, ne in errorem inciderent".

„Auctores igitur sacri — ita Chrismann *Regula fidei cath. (1792) § 51 V, VI* — non habuerunt in omnibus revelationem, bene vero eam inspirationem divinam, qua interius permoti ad scribendum peculiari assistentia sive praesentia Spiritus Sancti diriguntur, ne labantur, ne quid falsi aut erronei permisceant et ne uspiam a vero deflectant": unde huic quoque auctori sufficit „ea inspiratio, qua Spiritus Sanctus auctores sacros inter scribendum direxit, ne errarent".

Jahn eandem sententiam ita exponit: „Ut hi libri auctoritatem divinam habeant, necesse est eorum auctores a Deo immunes ab erroribus in scribendo servati sint; hanc assistentiam divinam, qua caventur errores, vocamus inspirationem". Consequenter ad suam definitionem utique ne nomen quidem inspirationis merito retineri potest; id quod ipse apprehendens pergit: „Quae appellatio usu quidem sancita, non tamen valde apta est: exprimit enim aliquid positivi, cum notio subjecta negativa sit. In hoc ipso haec inspiratio a revelatione differt, quod scriptori nullas novas cognitiones suppeditat nihilque docet, sed tantummodo immixtionem impedit erroris in iis, quae jam novit . . Haec definitio inspirationis et distinctio a revelatione diligenter animadvertenda est; frequenter enim una cum altera permiscetur, ex qua confusione magnae deinde oriuntur difficultates" *(Einl. in die göttl. Bücher des A. Bundes [1802] I § 19)*.

Hos auctores sequuntur Contenson, Janssens aliique; neque ab eadem doctrina multum dissentire videntur Dupin, Calmet, de quorum propria sententia tamen adhuc disputatur, quemadmodum etiam de ipso vero sensu Chrismannii, de quibus cf. Pesch *n. 317 sqq; 322.* — Injuria vero haec vel similis doctrina attribuitur Bellarmino et Cornelio a Lapide (cf. Pesch *n. 288; n. 293)*.

4. Et hi auctores ad veram inspirationis rationem sufficere autumabant eam Spiritus Sancti operationem, quam Bonfrèrius secundo loco recensuit et concomitantem vocabat. Alii ad *tertiam*, quam addidit, sententiam accedunt: secundum quam liber aliquis sola approbatione divina seu insertione in canonem librorum sacrorum evadat divinus et verbum Dei.

Et Bonfrèrius quidem hanc sententiam ut hypothesin tantum possibilem innuebat, quae ad summum in libris quibusdam deperditis, non canonicis verificata inveniretur, sub quo respectu ei consentire videtur Platelius *Synopsis curs. theol. III n. 91* et aliquatenus accedit in modo loquendi Lessius, de quo supra egimus. — Ulterius vero ad tempus saltem processit Haneberg, qui in *Geschichte der Offenbarung (1.—3. Aufl.) Abschnitt 9 K. 4 § 8* hanc opinionem tanquam thesin proponit et pro aliquibus libris sacris et vere canonicis etiam defendit.[1])

Ipse primum triplicem illam Bonfrèrii distinctionem inspirationis inculcat, qua inspiratio dividatur in antecedentem, concomitantem, subsequentem; et de hac ultima prorsus affirmative tenet: „Fieri potuit, ut aliqua scriptura viribus mere humanis primitus confecta, eo demum ad dignitatem verbi Dei elevaretur atque hoc ipso inspirata evaderet, quod in canonem inserta esset. Quod cum accidit, eodem modo ejusmodi scriptum fieret verbum Dei, quo sententia aliqua a Cicerone conscripta verbum meum redderetur, simulatque ea utar in aliqua epistula vel oratione ad conceptum meum exprimendum". Patet ex simplici comparatione, hanc expositionem non una ratione differre a sententia Bonfrèrii.

5. Hos errores respiciens conc. vaticanum definitionem emisit, quo duos errores hisce verbis rejecit: „Veteris et novi testamenti libros ecclesia pro sacris et canonicis habet, *non ideo* quod sola humana industria

[1]) Favisse videtur eidem errori olim Sixtus Senensis O. P., qui de libris Machab.: „Nec quidquam, inquit, illorum librorum fidei derogatur, etiamsi ab auctore profano scripti sunt, cum libri fides non ab auctore, sed ab ecclesiae catholicae auctoritate pendeat et, quod illa acceperit, verum et indubitatum esse oporteat, a quocunque dictum sit auctore" *(Bibl. sancta VIII haer. 12 ad obj. 7)*. Res tamen non ita liquet; cf. Pesch *n. 317*.

concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; *nec ideo* dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt" *(s. 3 c. 2)*.

Qua definitione emissa, Haneberg pro quarta operis sui editione sententiam suam corrigendam curavit; quam in tertia libri editione jam ipse satis mitigaverat, addens: „ne in hac tertia quidem specie inspirationis specialem quandam hagiographi directionem excludi, quae ei per subtilem quendam divinae providentiae influxum fiat".

§ 2. De sententia quae admittit inspirationem concomitantem.

Praenotatio. Non est cur expresse errorem refutemus, qui rationem formalem s. Scripturae in eo solo ponit, quod revelationem sine errore continet. Hic expressis verbis reprobatus est per conc. vaticanum verbis modo allegatis. Sed etiam *abstrahendo ab hac authentica declaratione* sententia hujusmodi intolerabilis est; *etenim* certe inspiratio *sive* in se *sive* ex testimonio omnium fontium revelationis concipi nequit sine influxu extraordinario divino circa ipsam scriptionem librorum sacrorum; talis autem in hac sententia non habetur.

Neque dici potest, divinum influxum haberi eo, quod agitur de veritatibus revelatis. Certe cum quis sensa et dicta v. g. Napoleontis in librum contulerit, Napoleon nullum exercuit positivum influxum in existentiam talis libri neque merito auctor ejusmodi libri dicitur; a pari Deus non erit ullatenus auctor libri, quem quis ex revelationibus divinis utcunque cognitis proprio tamen marte composuerit. — In plurimis *denique* libris ea narrantur, quae ab hagiographis sine ulla revelatione divina proprie dicta cognita sunt, quae auctores sacri sive ipsi viderint vel audierint, sive ex fontibus et documentis historicis hauserint. Hi libri, cum et ipsi inspirati credi debeant, rationem inspirationis formalem certissime eo non inveniunt, quod revelationem sine errore contineant.

Hoc errore igitur praetermisso, statuemus: A veritate aberrant ii, qui inspirationem in mera ponunt assistentia, qua Deus ab homine scribente errorem averterit.

Sententia sic enuntiata ad errorem, quem modo praetermisimus, addit peculiarem assistentiam, aliquem

igitur influxum divinum, qui scriptionem libri respiciat, ideoque non sicut ille expressis verbis vel directe per conc. vaticanum rejecta est, neque de re definita vel fide tenenda in asserto nostro agitur. Res tamen theologice omnino certa est.

1. Ex notione auctoris. — a) Deus *nimirum* ex unanimi testificatione omnium sacrorum fontium ita s. Scripturam inspirat, ut inde vero et proprio sensu ejusdem auctor existat. *Atqui* per meram assistentiam, quae de se et habitualiter negative se habet, Deus nullatenus auctor libri existit: neque enim nihil agendo quisquam causa efficiens seu auctor unquam fiet.

Id quod De San hoc illustrat exemplo: „Deus mere assistendo scriptori alicujus libri nihil aliud praestat concomitanter, quam quod homo corrigendo librum praestat consequenter: sed homo, qui corrigendo librum delet errores in eo contentos, dicitur quidem corrector et emendator libri, non vero dicitur auctor libri“ *(de trad. et Scriptura n. 295);* neque praeceptor, qui elucubrationem discipuli invigilando ab erroribus praeservat, hujus elucubrationis auctor evadet.

b) Et hucusque de mera assistentia egimus; ast eadem assistentia ne tunc quidem sufficiet, si jam ex opinione Bonfrèrii addideris generalem quandam motionem praeviam ad scribendum; et si cogitaveris de directione concomitante, quae hinc inde etiam positive se exerat: „sicubi nimirum sibi relicti hagiographi essent aberraturi a vero“. — *Neque enim* vel sic Deus vere auctor vel conscriptor Scripturae constitueretur, qualis in omnibus fontibus fidei praedicatur; ut enim Deus fiat auctor libri, prorsus necesse est, ut quae in libro contineantur, determinate ab ipso procedant.

Qua in re cogita de dissertationibus, quas discipuli sub manuductione magistorum suorum in seminariis scientificis exarare solent. Ad has dissertationes recipiunt praevium impulsum generaliorem, hinc inde etiam specialiorem eum, quo ipsum thema seu argumentum proponitur vel fontes indicantur a magistro; in iis dissertationibus elaborandis magister etiam istum in modum assistere poterit, ut positive errores corrigat, res deteriores emendet; imo et ideas particulares insinuare poterit magister . . tamen nemo merito

dixerit, magistrum his omnibus praestitis dissertationis ejusmodi proprium scriptorem evadere. — Ratio autem hujus rei interna in eo esse intellegitur, quod auctor proprius ille isque solus est, qui summam eorum, quae in libro continentur, ipse concipit et scribendo ad alios dirigit.

2. *Altera ratio* desumitur ex comparatione Scripturae ad definitiones infallibiles magisterii ecclesiastici. Si *enim* in assistentia ista, qua homo scribens divinitus ab erroribus tantum praecaveatur, inspiratio consisteret: tunc decreta quoque conciliorum oecumenicorum et ipsae definitiones summorum pontificum omnes inspiratae jure merito dicerentur; hae enim per assistentiam Spiritus Sancti ab omni errore quoad revelationem et ipsae immunes redduntur neque directio positiva in iis prorsus excluditur. *Atqui* modus iste loquendi communiter intra ecclesiam Christi respuitur; et respui debet eo, quod alias ipsum verbum Dei formale ideoque et revelatio divina continuo per eas definitiones objective augeretur et post mortem apostolorum continuo aucta esset. *Ergo* sententia, quae inspirationem formaliter in ipsa assistentia absolvi praesumit et ita notiones prorsus distinctas, inspirationem nimirum et infallibilitatem, confundit, admitti nequit.

3. *Neque obstat,* quod Leo M. decreta *concilii chalcedonensis* ex divina inspiratione prodiisse declarat, quod Pius IV patres *concilii tridentini* divinitus inspiratos vocavit, quod s. Augustinus asserit, s. Hieronymum non tantum donante, sed etiam dictante Spiritu Sancto scripsisse . . — *Etenim* a) vox „inspirare" potest in textibus illis etiam latiori sensu intellegi. Sed etsi sumeretur in sensu illo speciali, quo dicimus Scripturam inspiratam — b) ad summum inde sequeretur, patres illos censuisse in singulis quibusdam casibus Spiritum Sanctum se habuisse eodem vel simili modo, quo operatus est in inspiratione s. Scripturae. Nullatenus autem iidem patres asserere voluerunt, concilia in universum et qua talia in suis definitionibus ad Spiritum Sanctum se habere eo modo quo Scripturam. — Certe istae declarationes summorum pontificum Leonis, Pii non sunt definitiones ex cathedra pronuntiatae.

Sed quid? hi summi pontifices existimant saltem, revelationem fieri posse divinam etiam post mortem apostolorum! —

Revelatio fieri poterit certe privata; poterit etiam in publicis enuntiationibus inspiratio intercedere et revelatio formalis divina; attamen enuntiationes ejusmodi numquam qua tales i. e. ut proprium verbum Dei revelatum ecclesiae qua tali proponi possunt.

§ 3. De inspiratione quam adstruunt subsequente.

Certissime etiam illi a veritate catholica aberrant, qui inspirationem declarant nudam libri humanitus conscripti divinam vel hierarchicam approbationem.

I. Res facile evincitur. — 1. Primum argumentum desumimus ex definitione conc. vaticani. Ait concilium: „Eos [i. e. Scripturae libros] ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati". Unde evidenter inspirati non sunt ratione approbationis ecclesiae, et hoc saltem de fide est.

Pergit deinde concilium: „Sed propterea (sunt sacri et canonici), quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem"; unde instauratur argumentum ex termino auctoris, etiam contra hunc errorem. Concilium *enim* definiens, libros sacros nostros esse inspiratos eo, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti habeant Deum auctorem, certissime significat, inspirationem se habere ut veram causam librorum antecedentem (*„Deum habent auctorem"*) et ad ipsam actionem hagiographi scribentis se habere saltem concomitanter (*„inspirante Spiritu conscripti"*). *Atqui* approbatio tota quanta librum jam perfecte conscriptum consequitur ejusque existentiam prorsus supponit. *Ergo* in eadem approbatione inspiratio Scripturae consistere nequit.

2. Abstrahendo a definitione concilii, antiquitus inter patres et theologos constabat, librorum sacrorum rationem formalem in eo esse, ut causam efficientem habeant Deum, qui eorum auctor sit principalis et hominis tantum ministerio usus sit in libris illis conficiendis. *Atqui* nulla approbatione nullave actione subsequente

unquam id efficietur, ut liber ab initio humana tantum industria ideoque ut a causa principe confectus, de repente jam non hominem sed Deum principalem habeat auctorem.

Ratio igitur ista loquendi, qua ejusmodi approbatio diceretur inspiratio subsequens vel qua omnino de inspiratione subsequente loquereris, reapse contradictionem in terminis involvit, eo quod assumit librum in ipsa origine sua hominem habere auctorem principalem et simul negare debet eum esse talem (propter ejus inspirationem). Similiter quicunque volunt librum quendam de se mere humanum per simplicem receptionem in canonem fieri posse inspiratum, absurde loquuntur. — In qua re fas est respicere ad usum quotidianum; neque enim quisquam serio affirmabit, episcopum vel censorem, qui librum alicujus scriptoris approbet, per istam approbationem fieri librorum proprium et principalem auctorem, scriptorem vero ipsum ad ordinem deprimi ministri vel instrumenti.

II. **Exceptiones** quod attinet, adversarii frustra in subsidium vocant auctoritatem quorundam celebriorum theologorum. Certe immerito provocant ad Bellarminum, Cornelium a Lapide, Melch. Canum, Marianam, Dupin, Calmet, Frassen; hi *enim* omnes et singuli certissime influxum divinum saltem concomitantem, plerique et antecedentem postulant pro inspiratione. De singulis conferas Pesch locis in indice indicatis. — Lessius vero et Bonfrère quamvis cum Richardo Simon revera id docuissent, quod adversarii contendunt: contra argumenta tam evidentia nullam praebere possunt instantiam.

Accuratiore consideratione digna sunt, quae ex rationis analogia proferunt contra valorem argumentationis nostrae.

1. Nonne — ita excipiunt — verbum alterius a me adoptatum meum fieri potest? Ergo, ita inferunt, liber quoque integer idem pati potest et liber ab homine conscriptus per approbationem divinam verbum ipsius Dei fieri poterit.

Resp: a) Verbum ab alio pronuntiatum, meum fieri potest, si et ego illud pronuntio, et verbum ab alio scriptum, etiam a me scriptum haberi potest, si et ego illud scripsero; numquam vero a me scriptum vel pronun-

tiatum fieri poterit per meram approbationem. Ad summum per meam approbationem verbum illud constituitur meum, in quantum auctoritatis meae particeps redditur. Quare *dist. antec:* verbum alterius a me adoptatum meum fieri potest, sub ea ratione, sub qua adoptari potest *cc*; — sub alia ratione *ng*. Ita neque filius adoptatus unquam per adoptationem filius naturalis fieri potest; qua in re similis repugnantia in terminis invenitur.

b) Aliquid igitur hac in re concedi potest; *nimirum* ejusmodi liber per subsequentem Dei approbationem fieri potest verbum Dei objectivum, eo quod sua approbatione Deus ea, quae in libro continentur et dicuntur, sua auctoritate confirmat et quodammodo investit. Fit igitur liber ejusmodi verbum divinum et Dei, quia ratione auctoritatis, quae eidem antea non inerat et sub approbatione divina jam competit, peculiariter ad Deum tanquam aliquid Ejus proprium refertur. Sed nullatenus fieri potest verbum Dei formale eo sensu, quod sub ipsa ratione libri, quatenus olim scriptus est, nunc a Deo proprie processerit.

c) Concedimus igitur librum humanum approbatione Dei subsequente certo quodam sensu fieri verbum a Deo adoptatum; concedimus etiam, librum in hoc sensu veritatem exhibere posse divinitus revelatam, eo quod Deus ipsa approbatione implicite saltem revelat, quae approbaverit esse vera ideoque propter auctoritatem Dei admitti posse vel debere. *Tamen* nullo modo admittimus, librum sic divinitus approbatum ratione solius approbationis eo sensu fieri posse verbum Dei, ut liber ipse proprie inspiratus vocari possit vel, quatenus liber scriptus est, verbum Dei exhibeat formale.

2. Ex iisdem principiis respondeas, si quis dixerit: legem a ministro conceptam et regi in scriptis propositam per meram subscriptionem seu approbationem regis fieri legem ipsius regis.

Resp: In lege proxime non attenditur nisi vis obligationis; hanc autem revera a sola regis subscriptione habet. In hoc sensu igitur ejusmodi lex a rege signata ex ejus approbatione ipsius propria redditur in sensu objectivo. — Attendens *vero* ipsum librum seu codicem legis, quatenus scriptus est, nemo dicet regem eundem librum confecisse, nisi forte ipse, quae ibi

continentur, prius conceperit et, ut scribantur, aliquatenus saltem imperaverit.

Merito igitur lex scripta regi attribuitur sensu objectivo, in quantum nimirum scripta et subsignata auctoritatem legis propriam habet, non vero scriptura legis sub ipsa forma scripta tam facile regi attribuitur. Ita *Benedictus XV* legibus codice juris canonici nuper edito congestis nomen suum subscripsit et per approbationem suam illas leges objective suas fecit suaque auctoritate munivit; ipsum vero codicem qua talem potius esse Pii X declaravit, qui illum conficiendi mandatum dedit ejusque conscriptioni invigilavit.

3. Tamen rationem hanc ulterius urgent quoad res quoque doctrinales, quae simplicibus assertionibus seu doctrinis absolvuntur. Si papa, *inquiunt,* epistolam ab alio auctore proprio marte conscriptam suam fecerit eamque nomine suo proprio ad subditos direxerit, haec epistola non minus ei tribuitur, quam si ipse eam scripsisset propria manu ejusque proprius auctor esset; ita saepe summorum pontificum epistolae encyclicae confectae sunt. *Ergo* a pari libri pii ab homine conscripti, per approbationem divinam ita Dei fieri possunt, ut ad eum tanquam ad auctorem jam merito referantur.

Resp: Concedi nunc et hoc potest, ejusmodi epistolam superioris propriam fieri posse; tamen sub praesuppositionibus tantum quibusdam: si homo *nimirum* ut secretarius vel mandatarius, jussus sc. a superiore, epistolam vel documentum concipiens judiciis et placitis ejus plane sese subordinaverit, omnia ad beneplacitum superioris mutare paratus. Sub hac conditione, qui stat a mandatis, non ipse epistolam definitive elaboravit, sed schema tantum proposuit, quod qua forma definitiva demum ad subditos perveniat, superior determinabit. His suppositis minister auctor quidem schematis erit, non ita auctor ipsius encyclicae vel decreti; rex vero vel pontifex ipse epistolam sibi propositam menti suae prorsus adaptat, sensa, judicia, voluntatem suam in ea deponit, ejusque existentiam et valorem demum determinat, per ipsam suos subditos ipse alloquitur.

Sic totus procedendi modus non est sine aequivalente illustratione, voluntatis commotione, particulari omnino directione, quae ad veram et genuinam inspirationis rationem essentialiter requiruntur. — Si *vero* epistola ab aliquo homine prorsus independenter conscripta esset et papa eam inveniens per approbationem tantum suam faceret et a subditos dirigeret, ejusmodi epistola ejus fieret sub eo tantum respectu, quem per suam approbationem eidem tribueret, sensu quodam objectivo, ut antea distinximus, non tamen in sensu ipso formali.

Ergo iterum ratio auctoris non solum sensu quodam generico consideranda est, quando de inspiratione agitur, sed magis secundum sensum jam determinatum, quo Deus ut auctor illorum librorum in fontibus revelationis praedicatur, in quantum Deus dicitur auctor librorum sub ipsa ratione formali, quatenus scripti sunt. Neve ex iis, quae modo concessimus quoad epistolas summorum pontificum, quisquam inferat, ullum Scripturae librum de facto eadem vel simili ratione divinum et inspiratum esse; cum quoad sacras litteras jam ipsa scriptio a Deo processerit et ideo ipsa scriptio qua talis formaliter inspirata sit oportet.

4. *Adhuc excipiunt*: Sententiae reapse mere humanae per simplicem allegationem hagiographi in librum inspiratum receptae i. e. *per approbationem plane subsequentem* effectae sunt verba ipsius Scripturae v. g. verba poëtae cujusdam Arati: *„ipsius et genus sumus“*, et alia ejusmodi. *Ergo a pari* integri libri ex receptione in canonem Scripturae inspirati dici poterunt; „plus vel minus enim non mutat speciem“.

Distinguas: Sententiae ejusmodi factae sunt inspiratae, quatenus ab homine prius enuntiatae per Deum simpliciter approbatae sunt *ng.* quatenus ab hagiographo nomine Dei de novo dictae, quodammodo productae et assumptae sunt *cc.* — Alias Deus vel sacer scriptor non ipsam alienam sententiam suam facit, sed allegat tantum; quodsi fit, non ipsa sententia profana, sed earundem citatio inspirata est et haec Deum jam habet auctorem et verbum Dei erit formale. Hoc maxime prae oculis habeas, quando ut non raro accidit, dicta ejusmodi profana in Scriptura inveniuntur allegata, quae tamen approbationem divinitus factam nullatenus admittant; in his igitur citatio quidem Dei erit, non ipsum verbum citatum.

Caput IV.

De extensione inspirationis.

Si de extensione inspirationis sermo est, duplex quaestio exurgit. *Primo* quaeri potest, quinam libri isti sint, qui sub inspirationis charismate Deum habeant auctorem: et haec est quaestio de canone Scripturae, quae ut nunc est ordo studiorum, communiter in introductione absolvitur; cf. Franzelin *o. c. p. 400—507;* Hurter *th. 35 n. 170—76* vel, qui fusius de eadem re agit, De San *o. c. p. 329 sqq.*

Altera quaestio hanc priorem supponit solutam et libros ipsos in genere inspiratos jam admittit; et hoc supposito inquirit, quousque in ipsis hisce libris charismaticus inspirationis influxus se extendat.

Hoc sensu Pesch *n. 431:* „Quaerere, inquit, de extensione inspirationis est quaerere, utrum omnia, quae in Scriptura dicuntur, sint inspirata, an quaedam scripta sint spiritu pure humano; *dein* utrum inspiratio extendatur solum ad res [seu sententias et propositiones] in Scriptura dictas, an etiam ad modum dicendi, *seu* ut brevitatis causa loqui solent, *utrum* sola inspiratio realis admittenda sit, *an* etiam verbalis". — De his exinde nobis agendum erit; praemittamus tamen iterum ad statum quaestionis magis circumscribendum brevem adversariorum conspectum historicum.

Litteratura: In hac materia praeprimis consuli possunt: *quoad quaestiones historicas* Pesch *o. c. 315 sqq.; 332 sqq; quoad quaestiones theoreticas* praeter auctores supra laudatos imprimis Van Laak *de s. Script. inspir. atque inerr. pars II B.*

Articulus I.

Conspectus sententiarum historicus.

Si nunc eos exhibebimus, qui per decursum saeculorum diversa hac in quaestione senserint, videbimus simul, quomodo ipsa de inspiratione doctrina ex temporibus con-

cilii vaticani, quocum supra conspectum nostrum historicum interrupimus, inter catholicos ulterius se evolverit.

1. Jam antiquitus quidem gnostici (Marcion) et manichaei, sicut postea anomoei, facile integros libros vel eorundem partes, ne nimirum argumentis catholicorum inde arguentium succumberent, ex canone scripturarum canonicarum removebant, vel de singularibus quibusdam Scripturae verbis illud repetebant verbum: „Ista apostolus tanquam homo dixit". Tamen hi aut ipsum canonem restrinxerunt vel doctrinam nostram magis practice in discrimen vocarunt, quam ut de ipsis principiis disputaverint.

Temporibus concilii tridentini Erasmus tanquam probabile saltem admisit, „quod Spiritus ille divinus, mentium apostolicarum moderator, passus est suos ignorare quaedam et labi errareque alicubi judicio sive affectu, non solum nullo incommodo evangelii, sed hunc etiam ipsum errorem vertit in adjumentum nostrae fidei" *(in Matth 2, 7)*.[1]) Neque hic auctor rem nostram negando directe attingit; loquitur enim directe de fallibilitate s. scriptoris; consequenter tamen, ubi jam error esse potest, neque de inspiratione cogitari poterit. — Similes errores mox post apostasiam suam etiam inter lutheranos sat multi incipiebant fovere.

Inter catholicos dein Holden (et Chrismann) affirmabat, non omnia, quae in Scripturis extarent, fide divina credi posse. Uterque auctor necessaria quidem consequentia eo pervenire debuit, ut et inspirationem Scripturae certis limitibus circumscriberet et restringeret; quidquid *enim* inspiratum i. e. a Deo scriptum est, etiam a Deo revelatum est et sic fide divina admitti debet. Ipsis terminis tamen forsitan neuter hanc inspirationis limitationem adstruxit; nisi forte sic intellegas verba Holdenii, quae in ejusdem *divinae fidei analysi 1 c. 5 lect. 1* inveniuntur: „Quod auxilium speciale divinitus praestitum auctori cujuslibet scripti, quod pro Verbo Dei recipit ecclesia, ad ea solummodo se porrigat, vel quae sint pure doctrinalia, vel [quae] proximum aliquem aut necessarium habeant ad doctrinalia respectum. In iis vero, quae non sunt de instituto scriptoris vel ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum illi adfuisse judicamus,

[1]) Addit tamen hic auctor: „Atque haec dixerim, optime lector, non quod hujus sententiae velim vel auctor esse vel patronus; sed si qui forte sunt, qui putent hujusmodi nodos, quos aliquos nectit Hieronymus, explicari non posse, ne protinus sic interpretentur, ob unum aut alterum verbulum labefactandam totius Scripturae auctoritatem".

quod piissimis ceteris auctoribus commune sit". — His auctoribus saec. XIX assentit Bonaccorsi *Questioni bibliche p. 214—263.*[1])

2. Post concilium vaticanum inter catholicos controversiae hac in re magis effervuerunt animosque per aliquod tempus turbaverunt.

Praenotatio. — Ut tamen ipsae variae hac in re opiniones melius intellegantur, distinctio quaedam sententiarum seu judiciorum praemitti debet, qua distinguuntur sententiae religiosae et profanae. — Et veritas seu sententia religiosa ea est, qua aliquid de Deo vel de relatione creaturarum ad Deum enuntiatur; profana deinde ea erit, qua aliquid de rebus creatis absque respectu ad Deum enuntiatur.

Religiosae sententiae possunt esse mere doctrinales seu prorsus abstractae, quae factum historicum in se non continent; possunt tamen et ipsae ex ordine historico desumi, quando v. g. aliquod factum de ipso Deo, de ejus extraordinaria providentia traditur vel facta sive eventus historici, qui qua tales essentialem nexum ad salutem creaturae rationalis supernaturalem iniverint (incarnatio Verbi, mors Christi in cruce Ejusque resurrectio).

Profanae iterum sententiae (*sive* ordinis historici *sive* physici) duplicem ex sua parte cum religione connexionem inire possunt, *unam* magis directam et objectivam, *alteram* indirectam et subjectivam. Ita fata et gesta populi Israel, quae in Scriptura narrantur, per se ordinis historici sunt, qui creaturas respiciat; quia tamen illa fata eum in finem narrantur, ut sub divina dispositione ordinata divinam circa genus humanum providentiam salutarem illustrent, ex hac ipsa eorum objectiva connexione immediate ut religiosa apparent. — *Aliae sententiae* in scripturis traduntur profanae, quae ejusmodi objectivum nexum cum veritatibus religiosis non servent; quam enim religiosam relationem v. g. factum istud ineat, quod in reditu Tobiae „canis, qui simul fuerat in via et quasi nuntius adveniens, blandimento suae caudae gaudebat", vel illud, quod *2 Tim 4, 13*

[1]) Non est, cur arminianos, rationalistas omnesque fere recentiores protestantes hic enumeremus, qui ipsam notionem inspirationis jam pervertunt vel et simpliciter negant (cf. Rohnert *Was lehren die derzeitigen Professoren der ev. Theologie über die hl. Schrift und deren Inspiration 1892).* Pariter modernistas protestantium erroribus rationalisticis infectos silentio hic praetermittamus, qui ceteroquin, licet errores passim per totam s. Scripturam admittant, inspirationem nihilominus tam universalem sive integralem defendunt, ut eam ad ipsa vocabula extendant.

commemoratur? Nihilominus et tales enuntiationes indirectam quandam et quasi subjectivam connexionem admittere possunt; haec in eo invenietur, ut veritates religiosae *sive* a scriptore vividius exponantur, *sive* a nobis legentibus jucundius percipiantur. Sic haec connexio cum religione magis est ex parte subjecti scribentis vel legentis, non ex parte rei ipsius scriptae.

His praemissis sententiae adversariorum jam facile discernuntur. Omnes vero errores, ut olim in Erasmo, ex iis maxime enascebantur studiis, ut plurimae difficultates, quae contra s. Scripturae textum tunc urgebantur et insuperabiles laudabantur, facilius cum divina ejusdem scripturae origine componerentur. Hanc ipsam rationem jactabat inter alios d'Hulst: „Nous coupons court aux difficultés de demain, comme à celles d'aujourd'hui" *(la question biblique* in *Correspondant XXXIV (1893) p. 201 ss; Extrait p. 42).*

a) Celeberrimus inter hos auctores facile extitit card. Henr. Newman, qui sententiam suam largius evolvit in *the nineteenth Century Febr. 1884 p. 185 sqq* elucubratione *„on the inspiration of Scripture"*; eandem iterum exponit et defendit in *„Postscriptum": What is of obligation for a catholic to believe concerning the inspiration of the canonical scriptures, in answer to prof. Healy (1884).* — Existimat autem hic auctor, ab inspiratione eximi posse quae ipse „obiter dicta" nuncupavit. — Ejusmodi „obiter dicta" declarat esse enuntiationes, quae neque de rebus fidei vel morum agant, neque ullam cum iisdem connexionem ineant, ideoque spectato fine Scripturae nullius momenti sint.[1])

Ne tamen falso intellegamus sententiam cardinalis, quasi totam historiam ad ejusmodi obiter-dicta trahere voluerit: audiamus etiam,

[1]) „Par choses ‚dites en passant' — sunt ipsius cardinalis verba, quae in gallicam linguam versa inveniuntur in *Correspondant mai 1884 p. 677 sqq* — j'entends des assertions comme celles que nous trouvons dans le livre de Judith, que Nabuchodonosor était roi de Ninive. En ce qui concerne l'existence d'obiter dicta (auxquels ne s'étend pas la garantie de l'inspiration), on peut dire qu'à l'encontre de ce qui existe dans les déclarations dogmatiques des papes et des conciles, il n'y a pas dans l'ecriturê d'obiter dicta doctrinaux, mais que ce nom ne pouvait être donné qu'à des assertions de faits sans importance. Les paroles des papes et des conciles peuvent se rapporter à la foi et aux moeurs et être dites affirmations faites en passant, parce qu'elles sont sans relation avec le but de la définition formelle, et n'impliquent pas l'intention d'obliger la conscience des fidèles. Avec cette restriction, il ne paraît y avoir aucune difficulté à admettre l'existence d'obiter dicta relatifs à des faits dans l'écriture".

quod statim addit explicans, ad ejusmodi dicta nullatenus pertinere miracula vel alia facta supernaturalia; et quoad historiam in universum docet: „Quid est tota historia relata in Scriptura inde a Genesi usque ad Esdram et ab Esdra usque ad finem actuum apostolorum nisi manifestatio providentiae divinae, qua tum magna ex parte universalis explicatur historia, tum praeparatur, praefiguratur, praedicitur evangelica dispensatio? . . Sub hoc respectu Deum habet auctorem. Ideo historia biblica merito exigit, ut secundum substantialem plenitudinem accipiatur de fide ut vera. Sub hoc respectu Scriptura inspirata est, *non solum* in rebus fidei et morum, *sed* in omnibus partibus suis, quae cum fide nexae sunt inclusa materia factorum". — Neque eidem auctori arridet modus loquendi, Scripturam non esse in omnibus partibus inspiratam, sed spectato fine inspirationis potius dicendum esse contendit: Scripturam plene quidem et in omnibus partibus esse inspiratam, non vero sub omni respectu seu in omnibus rebus. Ceteroquin cf. Pesch *n. 336 sq.*

b) Multo longius jam ante hunc cardinalem progressi erant duo auctores, Franc. Lenormant et Aug. Rohling. Hic articulum scripsit *die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung für die freie Forschung* in periodico *Natur und Offenbarung XVIII (1872) p. 97 sqq.*, quo inspirationem simpliciter ad res fidei et morum restrinxit. Facta historica tunc tantum esse inspirata ait, quando fundamenta existant, sine quibus ipsa veritas religiosa consistere nequeat; quando igitur necessariam et essentialem nexum cum religiosis veritatibus habeant.[1])

Similiter Lenormant, laicus et in rebus orientalibus apprime doctus, inspirationem ad doctrinas supernaturales restrinxit. Ita nimirum in praefatione operis *„les origines de l'histoire d'après la Bible" (1880):* „Les décisions, inquit, de l'Église n'étendent l'inspiration qu'à ce qui intéresse la religion, touche à la foi et aux moeurs.

[1]) Contra dissertationem hujus auctoris card. Franzelin in tertia editione operis *de div. Trad. et Script.* adjecit: *Symbolen animadversionum in dissertationem inscriptam ‚de Bibliorum inspiratione ejusque valore ac vi pro libera scientia'.* Et ipse Rohling sententiam mox retractavit; aliis tamen eadem sententia nihilominus arrisit.

c'est-à-dire seulement aux enseignements surnaturels contenus dans les écritures"; et, ut accipias exemplum quo ipse sententiam illustraverit, addit: „Le tableau généalogique des peuples issus de Noah est un document purement humain dans son origine et son caractère"; et tale manere debet illud documentum, etiam in quantum in Scriptura invenitur *(II 324)*. — Opus hujus auctoris in indicem librorum prohibitorum relatum est.

c) Inter auctores, quibus sententia similis placebat, recensentur Feilmoser, Scholz, Loisy et ille, cujus jam memoriam fecimus, d'Hulst, qui rigorosam declarat sententiam seu opinionem, quae omnes et singulas s. Scripturae sententias ita inspiratas esse contendit, ut eo ipso, quod in Scripturis leguntur vel potius a Scriptura affirmantur, etiam a Deo affirmata et consequenter fide divina credenda sint. — Neque tamen hic auctor limitationem seu restrictionem inspirationis nudis verbis proclamare audet; mavult declarare, omnia quidem inspirata esse, inspirationem tamen stare posse cum errore. Sic cum hoc auctore quaestio transfertur in aliam materiam et in aliud stadium historicum, ad quod postea accedendum erit, quando de inerrantia Scripturarum erit sermo.

3. Videtur error de restrictione inspirationis ante encyclicam *„Providentissimus Deus"* per Leonem papam XIII emissam, maxime in Gallia „rapidos fecisse progressus"; ita ut d'Hulst in epistola quadam ad P. Brucker cum quadam superlatione affirmare potuerit: „La plupart de ceux qui ont manié les documents orientaux nouvellement découverts, s'accordent à trouver trop étroite et presque intenable la position prise par les théologiens; et ce ne sont pas seulement des laïques, ce sont des membres très autorisés du clergé séculier et régulier, qui entrent dans cette voie". Sed poterat etiam Brucker eidem auctori respondere: „Nous sommes encore, grâce à Dieu, en communauté de convictions avec d'autres savants catholiques, qui ne le cèdent à personne, ni pour la parfaite connaissance des découvertes historiques modernes, ni pour la

science des saintes écritures: tels en Allemagne . . à Louvain . . chez nous" *(Etudes LIX [1893 II] p. 168).*

His controversiis inter catholicos finem fere imposuit celeberrima encyclica Leonis XIII modo laudata, cujus doctrinam in ipsa rei demonstratione exponemus.

Articulus II.

Asseritur universalis inspiratio totius Scripturae.

Respicientes proxime ad inspirationem realem, ipsarum *nimirum* sententiarum ac judiciorum, tenemus assertum: Tota Scriptura inspirata est saltem eo sensu, quod omnia et singula Scripturae judicia divinitus inspirata sunt.

a) Haec assertio, si non formaliter de fide definita, tam certa tamen est, ut ejusdem contradictorium error sit exploratus in fide. Est porro notandum, quaestionem esse proxime de Scripturis originalibus, de apographis autem et versionibus eatenus tantum, quatenus cum originalibus concordabunt. Quod enim apographa vel versiones qua tales sub inspiratione facta non sunt, nunc inter omnes constat, vel quoad versionem LXX virorum, de qua sola olim inter patres controversia vigebat.

b) Quod methodum hac in re tenendam attinet, non poterit alia esse nisi dogmatica. Tota enim quaestio de inspiratione, quae in libera quadam operatione divina consistat et ideo ex sola revelatione cum certitudine cognosci possit, ab ipsis primordiis suis dogmatica est. Dogmatice igitur tractanda et ex fontibus revelationis demonstranda et illustranda est: nonnisi tanquam fontes secundarii ipsa natura rei et rationes ex scientiis naturalibus in considerationem vocari possunt. Quare primo loco videamus, quid Scriptura (quam jam in genere inspiratam esse demonstravimus) et traditio seu magisterium ecclesiae de hac quaestione doceat; his deinde finitis adjungamus, quid ex fontibus inferioribus proferri vel contra difficultates varias ex scientiis profanis desumptas reponi possit.

Quoad Scripturam ulterius nota. Dicimus nos inniti Scriptura, quam in genere inspiratam esse ostendimus. Unde aliquis

excipere poterit: si in genere tantum inspirata esse admittitur Scriptura — ergo de singulis textibus, etiam de iis, quos pro argumentatione invocabimus, eorumque inspiratione dubitare adhuc poteris! Ad hoc animadverte: a) Ipsa controversia, contra quam assertio nostra dirigitur, hos textus non attingit, cum iidem certe ordinis religiosi sint. — b) Si tamen eorundem inspirationem merito in dubium vocaveris, sumemus textus nostros saltem ut verba Christi vel apostolorum, contra quorum auctoritatem nihil iure excipere valebis.

§ 1. Doctrina s. Scripturae.

I. Praeprimis reassumi posse videtur hac quoque in quaestione textus ille celeber *2 Tim 3, 14 sqq:* „Tu vero permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi: sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia . .“ Argumentatio, ut intellexeris, maxime nititur in ultimis verbis, quae in textu originali graeco ita se habent: Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν κτλ'.

a) Quoad interpretationem textus iterum nota: nihil interesse, utrum vox inspirata intellegatur *praedicative* (textus graecus) an *attributive* (versio latina); in utraque enim suppositione, omnis Scriptura directe praedicatur inspirata. Neque sensu restrictivo vel conditionali textus intellegi potest, acsi diceretur: „Ex universa Scriptura, quae et inspirata et non inspirata discerni debet, ea quae inspirata sunt, omnia utilia sunt ad docendum . .“. *Etenim* Paulus heic ex ipsa ratione inspirationis Timotheum discipulum ad impigram lectionem Scripturae adhortatus est. Unde motivum admonitionis simpliciter valet; aut si non, simul norma adjungi debuit, unde inspiratae Scripturae a non inspiratis apte distingui possint. Talis *autem* norma neque hic a s. Paulo neque alibi in Scripturis neque in traditione apostolica exhibetur. Relegas, quae diximus *p. 36 sqq.*

b) Quinam *porro* sensus est termini complexi *„omnis scriptura“*, πᾶσα γραφή? — Utraque vox, et scriptura et omnis, ambiguitate quadam laborat.

α) Et *prior* quidem *vox* πᾶσα per se dupliciter supponere potest: *aut* distributive (jede Schrift) *aut* collective (die

ganze Schrift). In textu quidem nostro vox ista sine articulo adhibetur, et ideo, quae est indoles linguae graecae, suppositio distributiva saltem vehementer suadetur. — *Attamen* non prorsus excluditur, ne vox πᾶσα, vel sine articulo adhibita, assumat sensum collectivum. Ita v. g. Blass, cum significationem distributivam in casu nostro ut longe communiorem concesserit, nihilominus pergit: „πᾶς, totus [etiam collective] invenitur [sine articulo] apud conceptus, qui habent determinationem individualem . ., apud nomina urbium, quae articulum non admittunt, *Act 21, 31* ὅλη Ἰερουσαλήμ, uti πᾶσα Ἱεροσόλυμα *Mt 2, 3 (Gramm. des neutest. Griechisch² p. 163)*. Similiter Winer-Moulton eundem usum concedit „ante obiecta, quorum tantum unum existat, quae ideo nominibus propriis aequiperentur" *(Treatise on the grammar of New-Testament Greek³ p. 148)*. Sed ecce in nostra quaestione praecise agitur de re, quae una tantum existat et quasi per nomen proprium Scriptura vocetur. Unde in argumentatione melius ab hac quaestione abstrahitur. — Ceteroquin licet sensus distributivus primo intuitu rei nostrae magis favere videatur, re tamen propius inspecta, haec spes fallit; id quod clarius perspicitur, cum jam alterum terminum in trutinam vocabimus.

β) *De sensu vocis Scripturae in textu nostro.* — Scriptura proxime nomen appellativum est totius collectionis ss. librorum qua talis; in quo sensu necessario intellegitur, si vocem πᾶσα sensu collectivo intellexeris. — Sensu *vero* distributivo hujus vocis πᾶσα supposito, ipsa vox Scripturae iterum duplicem suppositionem admittit. Potest significare integrum aliquem librum sacrae collectionis, ita ut πᾶσα γραφὴ denotet omnes et singulos libros integros *(jedes Buch)*; et potest significare textum aliquem particularem *(Schriftstelle)*. *Si prius*, auctoritate apostoli textu nostro declaratum habebimus, quod omnes et singuli libri Scripturae, saltem qua tales, ut sunt totum quoddam, sint inspirati.[1]) Non tamen nunc hoc tantum volumus; plus contendimus, *nimirum* in ipsis libris etiam singula incisa, judicia, verba esse inspirata.

Numquid *igitur* per vocem γραφή, scriptura, etiam incisa et judicia singula denotantur? — Certe vox ista persaepe in usu loquendi biblico ejusmodi locos sive incisa singula significat; cf. ex. g. *Mc 12, 10; Io 19, 36; Act 8, 32 etc.* Unde etiam in textu praesente eadem vox hanc suppositionem admittere potest; neque vero ita facile defenditur, eandem hic neces-

[1]) Hoc sensu conc. trid. definit: „omnes libros tam V. quam N. testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, . . pari pietate suscipi" ab ecclesia.

sario hoc sensu intellegi, quod tamen pro argumento efficaci omnino requiritur. Intellexeris sic argumentationem nostram aliquatenus praepediri, etiam si vox πᾶσα sensu distributivo sumitur.

Videamus nunc ipsam argumentationem, quae ex textu varia a variis auctoribus instituitur.

1. Exempli gratia sit modus, quem observat Schiffini *Divinitas Scripturarum p. 54:* „Omnis in textu nostro sumitur *aut* distributive *aut* collective. In priore significatione inspiratio affirmatur immediate de singulis Scripturis sive textibus Bibliorum; in altera significatione inspiratio affirmatur de collectione totaliter accepta, atque adeo de singulis partibus in illa comprehensis; si enim aliqua hujus collectionis pars non esset inspirata, jam non tota collectio dici posset divinitus inspirata"; vel ut alii subsumunt: „ubi Paulus non distinguit, ex regula generali neque nos distinguere debemus" (Schmid *de inspiratione 24).*

Contra hunc modum argumentandi — a) haec opponit Nisius *Zeitschrift f. kath. Theol. XVIII (1894) 670:* Textus potest intellegi in sensu quoque moraliter tantum universali. Si enim appellas ad principium: ubi Paulus nihil distinguit, nec nobis distinguendum erit, mox in non paucis Scripturae textibus graviter offendes: „Ruft man mit Crets *(a. a. O. 278)* den Grundsatz an, ubi Paulus non distinguit . ., so läßt sich entgegen halten, daß man bei manchen sehr allgemein gehaltenen Aussprüchen der Schrift durch Anwendung dieses Grundsatzes nicht zur richtigen Auslegung gelangt. Viele derartige Sentenzen beanspruchen eben ihrer Natur und den allgemeinen Redegesetzen nach nur eine moralische Universalität (cf. v. g. *Matth 2, 3:* ‚audiens Herodes rex turbatus est et omnis Jerosolyma cum ipso')".

b) *Addunt:* vocem πᾶσα in textu nostro ejusmodi universalitatem stricte dictam etiam directe excludere. Ita v. g. Nisius *l. c. 670* arguit: „Von einer Ausführung bis in die kleinsten Abzweigungen des Textes profaner Natur scheinen uns die Worte des Apostels selbst abzuhalten, daß jegliche Schrift geeignet ist zur religiösen, christlichen Pädagogie". — Quemadmodum *nimirum* Scriptura hic declaratur inspirata, prorsus in eundem modum dicitur utilis ad docendum: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν κτλ. — *Atqui* certe utilis ad instructionem christianam non est Scriptura quoad omnes et singulos textus mathematice enumerandos; quae enim utilitas

talis invenitur v. g. *Num 15, 27: Et castrametati sunt juxta aquas.* vel *Tob 11, 9: Tunc praecurrit canis . . et quasi nuntius adveniens blandimento suae caudae gaudebat,* vel quae leguntur *2 Tim 4, 13,* vel in aliis multis similibus? — *Ergo* neque inspiratio tam stricte universalis est urgenda.

c) Ad exceptionem tolerabilius quidem reponit Schmid, terminum „omnis Scriptura" reapse etiam ad utilitatem in docendo referri, sed utilitatem deinde non necessario immediatam et directam intellegi, sed eam quae mediate et indirecte et ex conjunctione cum aliis sacrae doctrinae capitibus adsit. Minus bene card. Billot *de inspir. 99 in Nota* animadvertit: quod aliter atque aliter pro rei natura, duo haec praedicata (inspirata *nimirum* et utilis) subjectum suum afficiant. quod est „omnis Scriptura". — Sed utraque replicatio insufficiens esse invenitur. Et prius illud responsum in verbis apostoli et in ipso textu nostro pro se considerato nullum fundamentum invenit, et ideo nimis contortum et de longe quaesitum apparet. *Insuper* s. Paulus vix hanc indirectam utilitatem prae oculis habuisse videtur, cum similis utilitas in omnibus fere libris haberi possit. — *Tandem aliquando* haec responsio, sicut et distinctio in altera responsione adhibita, adplicari utique poterit, si jam constat, vocem „inspirata" ad omnem omnino Scripturam referri debere, non autem, quando et quamdiu hoc ipsum in quaestione et sub lite esse supponitur.

d) Nota tamen, quod haec responsio Schmid et distinctio card. Billot saltem id evincit, quod universalitas illa stricte dicta non omnino, ut Nisius vult, excluditur; sed quod vox πᾶσα in pleno vigore retineri potest, si hoc aliunde confirmatur.

2. His rationibus permoti non pauci auctores argumentationem istam contemnunt. Hi, ut infirmitati textus in se considerati succurrant, simul ad reliquam doctrinam provocare malunt, quae in s. Scriptura de inspiratione habetur. Ex quibus audiatur Pesch, qui citato *2 Tim 3* haec infert: „Ergo quidquid nomine Scripturae venit, divinitus inspiratum est: potest tamen dubitari, quousque illud πᾶσα premendum sit. Sed si addiderimus illud, quod in novo testamento indiscriminatim citantur libri legales, historici, poëtici, prophetici, didactici, ut quoad singula dicta habentes auctoritatem divinam, non difficulter concedemus illud πᾶσα extendendum esse ad omnes et singulas Scripturae sententias.

Nam hic valet argumentum inductionis: A primo capite Matthaei usque ad ultimum caput Apocalypsis pluries centeni loci proponuntur ut dicta absolute vera et summae auctoritatis, sive de rebus magnis, sive de rebus per se parvis agitur. Ratio vero, ob quam omnibus illis dictis tanta veritas et auctoritas attribuatur, semper una et eadem est: ‚Scriptum est'" *(n. 433).*

Ast ita modus argumentandi non procedit ex ipso textu nostro qua tali, sed novus modus novaque ratio procedendi habebitur, quam indirectam vocamus, de qua sub II distinctim agemus.

3. Si demum Nisius ipse ex sua parte ad auctoritatem traditionis provocat, quae textum nostrum semper ita interpretata sit, ut inde universalis inspiratio evidenter manifestetur: totam rem ad solam hanc traditionem remittit, ipse textus vero qua talis propria luce destituitur neque ut classicus pro re nostra considerari potest.

Sunt autem verba Nisii haec: „Gegen alle die Ausflüchte nun, welche mit mehr oder weniger Berechtigung ein nur der stringenten Beweisführung weichender Skeptiker anführen könnte, muß denn zuletzt das alles entscheidende Ansehen der in diesem Punkte unzweideutigen Traditionslehre eingeführt werden. Dadurch wird denn auch, gemäß der von den Konzilien festgestellten katholischen Interpretationsregel, der wahre Sinn der oben besprochenen Schrifttexte außer allen Zweifel gesetzt. Die Enzyklika selbst weist uns bedeutungsvoll auf diesen Weg, indem sie an die glänzenden Bekenntnisse der größten Kirchenväter erinnert, die jeden Irrtum oder Widerspruch in den hl. Schriften ausschließen, und auf ihre pietätsvolle Sorgfalt hinweist, gegen alle Angriffe der Freidenker und Irrlehrer ihrer Zeit, die Wahrhaftigkeit und Unfehlbarkeit des Gotteswortes im kleinsten zu verteidigen" *(l. c. p. 670).*

De hac unanimi patrum conspiratione postea ex professo agemus; prius tamen videamus, quae efficaciora forsitan ex ipsis Scripturis promi possint argumenta, quamvis indirecta.

II. Indirecta argumentatio desumitur ex modo et ratione, qua Christus ipse et apostoli sacram Scripturam allegant.

1. In hac argumentatione tanquam evidens et firmum principium (ex iis, quae supra audivimus) admittere pos-

sumus, quod ea dicta omnia ut inspirata admittenda sunt, quae tanquam irrefragabilis auctoritas a Christo ejusque discipulis allegantur, quae sub formula *Scriptum est, Scriptura dicit* in argumentum advocantur; haec enim dignitas et auctoritas verbis s. Scripturae praecise ratione ipsius inspirationis competit. — *Atqui* Christus Dominus et apostoli sub eadem formula sine ullo discrimine quemlibet Scripturae textum et quodvis ejus testimonium, verba quoque ejus minutissima allegant; omne qualecunque ipsius incisum tanquam argumentum omni exceptione majus et ut verbum Dei, quod usque ad ultimum apicem adimplendum sit *(Matth 5, 17),* in disputationem coram judaeis prius et postea coram christianis adferunt. — *Ergo* quodcunque s. Scripturae verbum, cujuscunque ordinis vel speciei, inspiratum teneri debet.

Ad minorem: a) Certe iste citandi modus non restringitur ad verba, quae formalem divinam revelationem contineant. Citantur enim isto modo verba quoque, quae in se considerata magis ex thesauris scientiae ipsius hagiographi proposita sunt; ita *Heb 12, 5:* „Et obliti estis consolationis, quae vobis tanquam filiis loquitur dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini; neque fatigeris, dum ab eo argueris". Haec verba sunt ipsius auctoris libri *Prov 3, 11,* certe non ex revelatione formali hausta; ab apostolo tamen ut verba Domini allegantur.

b) Neque modus iste citandi restringitur ad res proprie religiosas; citantur enim sic etiam textus, qui pertineant ad (religiosam) historiam. Ita enarrat Genesis ejusque auctor: „Credidit Abram Deo et reputatum est illi ad justitiam"; s. Paulus autem eadem verba sollemni formula allegat ad rem gravissimi momenti demonstrandam *Rom 4, 3:* „Quid enim dicit Scriptura". — *3 Reg 19, 10* de Elia propheta narratur, quomodo conquestus sit hisce verbis: „Domine, prophetas tuos occiderunt gladio, altaria tua destruxerunt, derelictus sum ego solus et quaerunt animam meam", et haec ipsa eaque plane historica

verba *Rom 11, 2 sq.* citantur: „An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel?" — Ipse vero Christus ad justificandos discipulos coram pharisaeis: „Non legistis, inquit, quid fecerit David, quando esuriit . . . quomodo intravit in domum Dei et panes propositionis comedit . .?" *(Mt. 12, 3).* — Cf. etiam *1 Cor 10, 7.*

c) Imo eodem modo allegantur etiam sententiae, quae ex sese et proxime nullum nexum cum rebus fidei vel morum ineant: ita s. Paulus *Gal 4, 32:* „Scriptum est, inquit, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla *(Gen 16, 16 coll. 3),* et unum de libera *(Gen 21, 2)*". De qua re cf. De San *o. c. n. 356.* — Alterum exemplum invenias *1 Cor 10, 7,* ubi ea, quae *Exod 32, 6* de populo Israel narrantur, hisce verbis adducuntur: „Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis; quemadmodum scriptum est: ‚sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere'"; et *1 Cor 9, 9* legimus: „Scriptum est enim in lege Moysis: ‚Non alligabis os bovi trituranti'".

Ergo in genere sub una eademque formula sollemnissima libri s. Scripturae citantur *et* legales *et* historici *et* poëtici *et* prophetici *et* didactici; non solum citantur testimonia et sententiae ordinis religiosi et doctrinalis, sed *et* ordinis historici *et* quae ex sese prorsus profana nullum de se cum religione nexum ineant. Omnia haec igitur ejusdem auctoritatis, ideoque pariter inspirata esse ostenduntur.

d) Quandoque *denique* apostoli unicum Scripturae verbulum adhibent, quo argumentum pro rebus gravissimis depromant, ut s. Paulus *Gal 3, 16* arguens inde: „Quod dictae sunt promissiones . . . semini ejus, non seminibus", et iterum *Heb 12, 27,* ubi ex verbis „adhuc semel" *(Agg 2, 7)* adstruit argumentationem. — Hic autem modus procedendi apertum est signum, ex sententia apostoli auctoritatem s. Scripturae propriam, quae utique ex inspiratione sit, se extendere ad res et verba vel minutissima et obiter fere dicta. Ergo et ad omnia; etenim si non ad omnia similiter, jam actum esset de argumento ex ipsis illis incisis tam simpliciter prolato. Quo *enim* jure

ad haec singula verba tanta confidentia provocari possit, si in aliquibus indeterminate perfecta auctoritas Scripturae deficere potuerit?

Insuper attende, quod Christus ejusque discipuli non solum in suis cum judaeis disputationibus, sed etiam in praedicatione doctrinae christianae ad fideles jam christianos, eodem modo argumentandi utebantur. Ergo iste modus non solum ut argumentum ad hominem judaeum in usum trahitur, sed ex vera et definita persuasione Christi et apostolorum provenit.

2. *Excipi potest:* Christus et apostoli adducunt quidem testimonia quoque de se indifferentia, sed quaecunque allegant, tandem aliquando ad res fidei et morum comprobandas referunt. *Ergo* ex eorundem modo citandi sequitur tantum, res fidei et morum in s. Scriptura esse inspiratas.

Duplex adhiberi potest responsum: a) Possumus *transmittere antecedentem* et *negare consequentiam. Etenim* non ideo allegantur textus illi ut scripta et inspirata dicta, quia ordinis religiosi sunt, sed ideo ad religiosas demonstrationes adsumuntur, quia scripta inveniuntur. Ita vero ratio formalis, sub qua argumentum istud valet, in eo eoque solo ponitur, quod principia argumentationis in Scriptura leguntur. *Atqui* ista formalitas non solum rebus religiosis adhaeret, sed simpliciter omnibus, quaecunque demum in Scriptura leguntur, de quacunque re agunt. *Ergo* omnia Scripturae verba de eadem dignitate et consequenter de inspiratione participent necesse est.

Si placet, poteris etiam ipsam consequentem *distinguere* propositionem: inspiratio restringeretur ad res fidei et morum, si ratio citandi esset non, ut veritates religiosae demonstrentur, sed quia, quae allegantur, de religiosis agunt, *cc. csq;* — si ratio citandi est prorsus alia, nimirum quia, quae allegantur, in Scriptura inveniuntur, *ng. csq*

b) Ad summum ex ista exceptione sequitur, quod omnes sententiae, quae in ss. Scripturis inveniuntur, ad religiosam institutionem adhiberi possunt, quamvis de sese prorsus profanae sint; de quarum ordine ex. g. ista historica veritas est, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, alterum de libera.

Non autem sequitur: ergo solum religiosae sententiae inspiratae sunt, sententiae vero ordinis profani non.

c) Quod ceteroquin Christus et apostoli longe frequentius textus allegabant, qui essent ordinis religiosi, nemo mirari debet, cum tota eorundem praedicatio de rebus fidei et morum, maxime de messianica Christi dignitate demonstranda sollicita fuerit.[1])

§ 2. De doctrina patrum et theologorum.

1. Quod attinet fidem ss. patrum, hi tam *theoretice* quam *practice* totam Scripturam singulasque ejusdem partes seu particulas inspiratas esse profitentur.

1. Practica patrum professio his illustrari potest.

a) Eorum idem erat modus citandi Scripturam, qui fuerat Christi et apostolorum; et ipsi ad argumentationes instituendas textus omnis generis, ordinis de se etiam profani et historici proferunt. Hoc autem non fecissent, neque facere potuerunt, nisi persuasum eis fuisset, textus promiscue omnes eadem auctoritate frui, omnes pariter esse inspiratos. Ab exemplis adferendis facile abstinere possumus in re plana.

b) Practica patrum fides manifestatur inde, quod summo conatu et diligentissima sollicitudine conabantur, antilogias vel in rebus minimis, ordinis ipsius profani, in harmoniam redigere. *Atqui* ratio hujusmodi studii non habetur, nisi quod patribus omnino persuasum erat, etiam his rebus substare summam veritatem, Deum inspiratorem.

[1]) De tota hac quaestione cf. Van Laak *o. c. n. 527*, ubi et aliam difficultatem propositam inveneris, cujus hic fere sensus est: Ut in re theologica et dogmatica peremptoriam habeant rationem, theologi principium assumunt: hoc vel illud protulit concilium aliquod oecumenicum. Neque tamen inde affirmare intendunt theologi, omnia quae in conciliis eorumque definitionibus proferantur, eadem frui peremptoria auctoritate. Ergo a pari ista phrasi Scriptum est, non omnia s. Scripturae dicta sub inspiratione esse declarantur.

Responsum ad hoc facile invenitur. Negatur paritas in modo citandi utrimque adhibito; „etenim cum agitur de citandis decretis conciliorum ad conciliandam absolutam auctoritatem, subintellegitur semper aliquid additum: ‚invenitur in conciliorum decretis ut definitum'". Aliunde simul notum est inter theologos, in decretis conciliorum inveniri quoque, quae definita non sint; de s. Scriptura vero ejusmodi doctrina nuspiam traditur.

Certe si patres existimassent, inspirationem ad ejusmodi res profanas, ad haec obiter dicta non extendi, facillima iisdem in omnibus fere casibus praesto erat via adversarios repellendi: poterant iisdem respondere, negandum esse ipsum eorum suppositum, ejusmodi res sub inspiratione cadere. Hanc autem viam numquam inierunt; sed semper et pro omni casu, hinc inde difficillimo conatu ostendebant, nullam vel ad summum apparentem tantum oppositionem inter dicta Scripturae et certas scientiae conclusiones esse. Pro nullo igitur textu patres exemptionem ab inspiratione agnovisse videntur.

Illa facilior via vero etiam omnino obvia fuisset in suppositione, quod patres inspirationis restrictionem cognovissent: et ita certo illam invenissent et iniissent. Sed et inire debebant pro sua erga veritatem christianam sollicitudine et amore et pro munere, quod ipsis adjacebat defendendi veritatem aptissimo quo fieri potuit modo.

Pro hoc patrum studio infinita fere exempla adferri possunt ex libris, quibus s. Scripturam defendebant contra inimicos veritatis christianae, Celsum, Porphyrium et impium illum Julianum apostatam: qui omnes ejus divinam dignitatem maxime inde impugnabant, quod complura ejusdem testimonia historiae vel aliis scientiis profanis adversarentur. — Ut habeas exemplum, Origenes descriptionem arcae Noae defendens sic apologiam suam concludit: „Haec quantum ad historiae pertinet rationem, adversus eos dicta sint, qui impugnare scripturas veteris testamenti nituntur, tanquam impossibilia quaedam et irrationabilia continentes". — Idem modus integros ss. patrum pervagatur libros, ut s. Augustini libros *de consensu evangelistarum* ejusque libros *de Genesi contra manich.* et postea *de Gen ad lit.*, ubi etiam principium ipsum enuntiat: „Ut quidquid ipsi [i. e. Scripturae adversarii] de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris i. e. catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua facultate etiam ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum" *(I 21, 41)*. Simile principium jam Justinus in *dial. cum Tryph. n. 65* enuntiavit.

c) Pratica ss. patrum fides etiam ex ratione manifesta fit, qua singulos, vel minimos textus in interpretatione sua tractant. *Etenim* in omnibus

Scripturae sententiis, quibuscumque de rebus proxime agunt, sublimes prorsus atque mysticos et divinos sensus inveniunt. *Atqui* hoc praesumere omnino non poterant, nisi ob earundem omnium divinam originem et inspirationem.

Id hisce verbis pronuntiat Chrysostomus: „In scripturis sacris nihil scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt; ideo, utpote a Spiritu scriptae, ingentem in se continent thesaurum" *(in Gen hom 21, 1)*. Cum ipso autem vix non omnes patres hac in re aperta professione conspirant; ita v. g. Ambrosius *de Spiritu Sancto I 14, 150;* Hieronymus *in Eph 5, 6*: Origenes *in Jer hom 21, 2.*

2. Theoretica *porro* persuasio ss. patrum testimoniis eorum magis disertis palam fit. — Ita jam inter vetustissimos Clemens ille romanus Scripturas „a Spiritu Sancto datas esse declarat, nihilque in eis injustum, nihil perversum inveniri"; eo autem quod asserit nihil perversum inveniri, rem nostram enuntiat, cum hujus rei rationem addiderit, quod „a Spiritu S. datae" i. e. inspiratae sint *(n. 45)*. — Simili modo auctor *cohort. ad graecos,* quem ferunt Justinum mart. esse: „Nihil, inquit, proprio marte excogitatum nos docuerunt [prophetae, utique, ut ex contextu patet, *qua scriptores Scripturae*]; sed . . scientiam a Deo acceperunt eamque nos edocuerunt" *(n. 8)*. — Sicut Clemens romanus, ita et Irenaeus docet: „Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae". Et hoc statim ulterius illustrat hisce verbis: „Universis Scripturis spiritualibus existentibus"; quae verba iterum distributive intellegenda sunt, cum ipse distinxerit „*quaedam* eorum, quae Deo adjacent, *quaedam* autem, quae et in nostram scientiam venerunt" *(adv. haer. II 28, 2 sq)*. — Eodem modo Hippolytus ait, „nihil omnino mentiri scripturas" — addens quoque rationem: „neque Spiritum Sanctum decipere servos suos prophetas".

Clarissima doctrina Origenis est, qui *in Ps 1 n. 4* docet: „Exquisitissima cura et studio Spiritus Sanctus per ministros Verbi ista subjecit, ne unquam nobis latere possit ratio, secundum quam

divina sapientia omnem scripturam divinitus datam vel ad unam usque litterulam attigit". Ex eodem principio *in Num hom 27, 1* deducit: „Non possumus hoc dicere de Sancti Spiritus litteris, quod aliquid in iis otiosum sit aut superfluum, etiamsi aliquibus videantur obscura"; et *in Jer hom 21, 2*: „Nihil est sive in prophetis sive in Lege sive in Evangelio sive in Apostolo, quod non a plenitudine divinae majestatis descendat".

Prorsus in rem nostram cadunt verba, quibus Hilarius pict. fideles ad scripturas legendas exhortatur *in Ps. 135, 1 sq*: „Non est otiosus propheticus sermo . .; si enim in viris prudentibus expectari id maxime solet, ut ea, quae loquuntur, gravitate eorum doctrinaque digna sint: quanto magis id de coelestibus eloquiis opinandum est, ut, quidquid in his est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur. Sed plerumque, imo semper, vitio nostro accidit, ut quae legi in ecclesia audimus, auribus atque animis nostris longe ab his peregrinantibus negligamus . . Omnia autem, quae in libris propheticis sunt, maximum humanae et salutis et doctrinae profectum in se habent nostrique causa universa scripta sunt, ut nunc institutionem vitae innocentis afferrent, nunc scientiam Dei intimarent, nunc originis naturaeque nostrae cognitionem tribuerent, nunc futurorum intellegentiam non spe tantum, sed ratione praestarent, nunc causas universitatis hujus ortusque proferrent".

Eodem modo: „dilligentiam Spiritus usque ad apicem et litteram se extendere", asserit Gregorius naz.; et ideo „nefas esse addit, admittere vel minima facta temere a scriptoribus enarrari (*or. apol. II 104*). Et Basilius, amicus ejus, „intolerandam declarat et gravem esse blasphemiam, vel unum verbum otiosum" in sacris litteris admittere *(hom 10 in hexaëm)*; qui et alias contra immodicas Origenis allegorias vehementer inculcat, omnia in Scripturis, ut dicta sint, esse intellegenda, ea ratione, „ne sapientiorem te esse existimes dictis Spiritus Sancti" *(cf. Zeitschr. fKTh. 1906 p. 688 sqq)*.

Ut adhuc pauca praelibemus eorum, qui maximi hac in re praedicantur doctores: Chrysostomus valde breviter rem nostram comprehendit dicens: „Prophetarum ora sunt Dei os: tale vero os nihil dixerit obiter et extra rem". Et post pauca pergit: „Haec autem mihi non temere dicta sunt neque fortuito produxi sermonem, sed quia sunt homines quidam opifices, qui posteaquam sacros libros in manus sumpserint, deinde reppererint vel annorum numerum positum vel nominum recensionem, illico praetercurrunt et incusantibus respondent: nomina tantum sunt, neque quidquam habent utilitatis. Quid ais? Deus

loquitur, et tu audes dicere, nulla est dictorum utilitas?" *(hom 2 in Vidi Dominum n. 2).* Et eodem modo *ad populum antiochenum hom 1, 1 ad 1 Tim 5, 23:* „Igitur, inquit, ne illas quidem, quae exiguae videntur, scripturarum sententias praetercurramus; nam et ipsae de Spiritus gratia sunt". Cf. Haidacher *Die Lehre des hl. Chrysostomus über die Schriftinsp. p. 101.*

Luculenta plane sunt verba s. Hieronymi *in Eph 5, 6* dicentis: „Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis scripturis porsus sunt sensibus", cujus rei rationem statim aperit, quia omnia a Spiritu Sancto dicta sunt. Unde et respondens *(ep. 27)* detrahentibus ipsi propter emendationem evangeliorum scribit: „Non adeo se hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverit aut non divinitus inspiratum". — S. Augustini vero plane eximia hac in re extant testimonia; notissima sunt ejusdem verba ad Hieronymum *(ep. 82):* „Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam . . De quorum (prophetarum vel apostolorum) scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est" *(n. 3).* Eadem principia exponit *contra Faustum XI 5.*

Sed s. Augustinum quod attinet, proponunt et hanc exceptionem. Clarissime hic doctor declarat: „Spiritum Sanctum, qui per hagiographos loquebatur, noluisse ista [documenta ordinis profani] docere homines, nulli saluti profutura" *(de Gen. ad litt. II 9, 20;* item *de actis c. Felice manich. I 10). Atqui* quod noluit docere, certe neque inspiravit. — *Responsum* non erit difficile; neque *enim* quidquam aliud Augustinus istis verbis inculcat, nisi quod Spiritus Sanctus completam de ejusmodi rebus profanis instructionem hominibus quasi ex professo tradere non voluit; neque tamen inde negat, ejusmodi dictum seu scriptum inspiratum esse, si jam in Scripturis legitur. In eodem enim textu *de Gen. ad lit.,* unde exceptionem promunt, de ipsis rebus profanis quoque praefracte inculcat: „Sit sane contrarium, si falsum est, quod illi dicunt; hoc enim verum est, quod divina dicit auctoritas". Cf. *Zeitschrift fkTh 1911 p. 426.*

3. Adferuntur tamen et difficiliora quaedam verba ss. patrum vel scriptorum ecclesiasticorum, quibus inspirationem certis limitibus submittere videantur.

a) Origenes ex. g. *hom 16 super Num n. 4:* „Sermo, inquit, qui apud Jonam scriptus est et non factus, a Jona potius quam a Deo prolatus esse videtur . . . Non enim semper ea, quae per prophetam dicuntur, quas a Deo dicta suscipiantur oportet".

Similiter et s. Ambrosius *in Lc VIII 8* agens de libello repudii declarat: „Ostendit hic locus, quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta"; item s. Basilius, qui, postquam textus enumeravit, quibus hagiographi se a Deo distinguentes proprios affectus suos promunt, pergit: „Spiritus autem non sic; non enim modo sua, modo quae Dei sunt loquitur (id namque creaturae est); verum omnia Spiritus verba, Dei verba sunt"; et prorsus similiter Chrysostomus in *Act. 23, 6 sqq hom 49, 1:* „Rursum, inquit, (Paulus) humano modo disserit, nec semper gratia fruitur; sed etiam aliquid a seipso permittitur afferre, id quod sane fecit; et in hoc et in sequenti rationem reddit, ut scindat multitudinem contra se male conjunctam". — Sic patres in Scripturis ponere videntur, quae non a Deo scripta, sed ad ipso homine allata sint.

Resp: Ad haec magis in genere nunc reponimus ea, quae viam indicent, qua hac in re progrediendum sit. Ad accuratius respondendum, singula testimonia in se et in integro contextu consideranda sunt; quae tamen accuratior inquisitio genericum responsum in singulis casibus approbabit. Cf. Van Laak *o. c. n. 438 sqq.*

Notare igitur debes, hagiographum res duplicis ordinis scribere: scribit ea, quae Dei virtute et ut divina cognoverat et ut talia hominibus manifestanda sunt; scribit etiam, quae sua propria sunt, proprias affectiones, judicia, sensa constituunt. In *altero* casu inspirata sola scriptio est; ipsae res in se, quando non ut scripta considerantur, divinitus ei non erant indita et ideo ut talia divinis judiciis opponi poterant. Secundum haec facile respondebis ad exceptiones modo factas.

Ut rem in exemplo illustremus, dicit Chrysostomus loco citato: „Rursum Paulus humano modo disserit, nec semper gratia fruitur". His sanctus ille insinuare vult ea, quae apostolus ibi scripserit, ipsius esse propria sensa et judicia, eo modo quo alias verba aliarum personarum rettulerit; neque tamen

inde contendit, Paulum in ipsa horum iudiciorum suorum scriptione inspirationis charismate caruisse. — Et similiter de aliis locis iudicabis; ita de loco ex Ambrosio prolato Suarez haec animadverit: „Adverto aliud esse scriptores statuere aliquid spiritu suo humano seu voluntate propria, aliud vero scribere statutum illud spiritu humano . . Certum esse debet, scriptionem semper esse a Spiritu Sancto, etiamsi factum vel statutum vel aliud simile non sit ita specialiter a Spiritu Sancto". Et hac ratione, quod ibi dicitur *„non a Deo scripta"*, idem est ac *„non a Deo lege scripta statutum"*.[1])

b) Alio loco *in 1 Cor hom 32, 1* Chrysostomus dicit: „qui spiritu omnia loquitur, non laborat". Atqui scimus hagiographos hinc inde valde laborasse in scribendis libris. — *Ast* ibi de prophetis sensu strictiore loquitur i. e. de iis, qui revelationes divinas accipiunt easque hominibus communicant *(Matth 10, 19 sq; Lc 12, 11 sq)*.

Eundem in sensum interpretaberis, quae Gregorius M. *in Ez 1 hom 1 n. 16* disserit: „Sciendum quoque est, quod aliquando prophetae sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur". Loquitur *nimirum* et ipse non de prophetis latiore sensu seu ut sunt praecise hagiographi, sed de prophetis proprie talibus, qui vaticinia et mandata divina proferunt idque generatim saltem ore.

II. Praedicationi ss. patrum concordat suffragium theologorum. — 1. Audiatur statim princeps eorum s. Thomas.

[1]) Eadem responsio adhiberi poterit etiam in loco ceteroquin difficiliore, qui in *comm. in Joan. (prooem. n. 5)* apud Origenem invenitur, ubi eorum mentem approbat, qui „sapientiae quidem plena et credibilia et vehementer sancita apostolica [scripta] esse dicant, sed iis neutiquam similia [de quibus affirmatur]: ‚haec dicit Dominus omnipotens'. Et hanc ob causam, ait, inspice, num complectatur Paulus epistolas suas, cum dicit: ‚omnis Scriptura afflatu prodita utilis est', an non [huc referas] quod dicit: ‚dico ego, non Dominus' et illud: ‚sic in omnibus ecclesiis ordino' . . et his similia interdum ab ipso scripta potestatem quidem (habeant) apostolicam, non tamen accuratam rationem eorum sermonum, qui sunt ex divina inspiratione — τὴν μὲν ἐξουσίαν . . . ἀποστολικὴν . . ., οὐ μὴν τὸ εἰλικρινὲς τῶν ἐκ θείας ἐπιπνοίας λόγων". — *Etenim* hoc quoque loco Origenes inculcare videtur, quod evangelia aliis Scripturis praeferenda sunt ratione materiae, quae in evangeliis magis similis inveniatur ei, quam Paulus indicat verbis: „haec dicit Dominus omnipotens", quae in evangeliis *non solum* ratione scriptionis divina sit, *sed etiam* ratione ipsius revelationis. — Ceteroquin cf. Van Laak *o. c. n. 440*.

„Hoc tenendum est, ait, quod quidquid in sacra Scriptura continetur, verum est; alias qui contra hoc sentiret, esset haereticus" *(Quodlib. 12 a. 26)*. Rationem autem, cur omnia necessario vera sint, addit *de potentia q. 4 a. 1:* „Scripturae enim divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei quae per eam docetur". — Similiter s. Bonaventura: „Nihil, inquit, (in Scriptura) contemnendum tanquam inutile, nihil respuendum tanquam falsum, nihil repudiandum tanquam iniquum pro eo, quod Spiritus Sanctus, ejus auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum" *(prol. ad Brevil. § 5)*. — Et ut alios ex prioribus illis temporibus omittamus, Gerson ita mentem suam aperit: „Si propositio aliqua sacrae Scripturae, posita assertive per auctorem suum, qui est Spiritus Sanctus, esset falsa, tota sacrae Scripturae sicut dicit Augustinus vacillaret auctoritas" *(contra haer. de communione laicorum, ed. Antv. 1706 col. 457)*; similiter in *tr. Declaratio veritatum quae credendae sunt, ib. col. 22.*

2. Cum jam refloruerit theologia scholastica, magistraliter hanc totam rem exponit Melch. Canus *de loc. theol. II 16,* ubi quaestionem proponit: „an auctores sacri in libris canonicis spiritu interdum humano, sine divina et supernaturali revelatione loquantur". Respondet: „Ipsi vero fateamur singula quaeque sive magna sive parva a sacris auctoribus Spiritu Sancto dictante esse dicta; id a patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est, id itaque et nos et ecclesia, praesertim ipsa magistra et duce, retinere debemus"; et *c. 18* declarationis causa addit: „Fateor non singulas Scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus Sancti instinctu afflatuque vere et jure contendo".

a) Consentit Bannez, qui hac de re agit *in I q. 1 a. 8 in locum 1 conclus. 1 dubit. 3* ibique asserit: „in omnibus illis (Scripturae) rebus partim revelatione partim investigatione et assistentia

effecit Spiritus, ne aliqua via scriptor a veritate deviaret". Cujus rei rationem statim adjungit: „blasphemum esset dicere, quod Deus in aliquo etiam levissimo mentitur; ergo si Spiritus Sanctus locutus est per prophetarum scripta, sequitur, quod ipse Spiritus Sanctus in aliquo fallit aut fallitur, aut certe quod propheta in nullo".

b) Eadem persuasio alteram coaemulam scholam dominabatur. Et Suarez quidem *de fide disp. 5 a. 3* quaestionem ponit: „an in divina scriptura sit aliquid, quod Spiritu divino scriptum non sit et consequenter quod non sit Scriptura divina". „Ad quod — ita pergit — breviter respondeo scriptorem canonicum nihil scribere humano et proprio spiritu, sed et omnia et singula ex directione Spiritus Sancti . .", quibus verbis comprehendit particulas quoque minimi momenti, salutationes etc. *l. c. n. 2.*

c) De Erasmi autem sententia hoc acre fert judicium Bellarminus *de Verbo Dei I 6:* „Postrema eorum haeresis est, qui in ipsis b. Pauli epistolis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce. Quocirca totam epistolam ad Philemonem ut more humano scriptam contempserunt. Laborabant olim hoc errore tum anomoei apud Epiphanium *haer. 76,* tum etiam alii quidam apud Hieronymum *in caput 5 Michaeae* et *praef. comment. epistolae ad Philemonem* et apud Augustinum *l. II contra adversarium legis et prophetarum c. 2.* Nostro saeculo Erasmus eandem haeresim renovavit: siquidem in annotationibus suis ad 2. et 27. caput Matthaei non obscure scripsit non esse metuendum, ne totius Scripturae corruat auctoritas, si levis aliquis error in ea deprehendatur, praesertim cum evangelistas interdum memoria lapsos Augustinus concedat *l. III de consensu evangel. c. 7* et negari nullo modo posse videatur." — Lessius autem: „Nos, inquit, dicimus, omnes Scripturae partes esse infallibilis veritatis et esse a Spiritu Sancto vel nova revelatione inspirante vel peculiari instinctu excitante et assistente ad singula verba et sententias, et nec minimum quidem posse esse errorem, quia redundaret in Spiritum Sanctum"; cf. Schneemann *controversiarum de div. gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus p. 474 sq.*

d) De Holden porro, qui similem protulit errorem ac Erasmus, Du Plessis d'Argentré haec judicat: „Dissertis verbis negat, omnia, quae per modum historiae in sacris litteris referuntur, esse proprie divinae fidei in eodemque ordine ponit veritatem hanc ab omnibus recognitam, nempe ipsammet Scripturam esse Verbum Dei. O paradoxa in scholis christianis inaudita! Con-

stat enim Deum esse praecipuum auctorem totius Scripturae, ita ut quidquid in Scriptura continetur, sit proprie Dei verbum. At si Deus eo tantum subsidio ss. scriptoribus in rebus historicis plerumque versetur, maxima Scripturae pars non erit verbum Dei, sed verbum piorum hominum Dei auxilio adjutorum. Praeterea si res historicae in ss. litteris expressae, quae ad fidei dogmata haud necessario referuntur, non sunt de fide divina, incertum erit, an pleraque facta, quae in ss. codicibus commemorantur, ad fidem divinam pertineant . ., praesertim cum Holdenius ipsa Christi gesta in evangelio relata pro veritatibus catholicis, quae tamen minime sint de fide divina, eo quod scilicet non Deo revelante scripta sint, traducat. In refellendis istis erroribus non diutius immorabor" *(Disput. theol. in 4 p. 211)*.

Similiter et alii theologi, ut Billuart, doctrinam istam „*omnes Scripturae sententias esse a Spiritu Sancto inspiratas et dictatas*", tam exploratam reputant, ut eam expressius probandam esse non existiment. — Superfluum vero existimaverim, in re manifesta plura addere testimonia; cum integer fere contexendus esset catalogus omnium theologorum.

III. Ex ipsis testimoniis allegatis simul patet, testes nostros maxime theologos doctrinam hanc ut eam considerare, quae cum fide catholica connexa sit; cf. v. g. testimonium s. Thomae, Cani, Bannesii, Bellarmini, d'Argentré. — Videamus aliquantulum accuratius, quae ss. patrum hac in re fuerit persuasio.

1. Et in genere res ipsa in sese videtur manifesta: *etenim* ss. patres certo certius Scripturam ut fontem revelationis publicae et fidei divinae considerabant, eamque ut talem constitui existimabant maxime ratione inspirationis singularum sententiarum; alias non ad singulas sententias eo ipso, quod in Scriptura inveniebantur, tanquam ad certissima argumenta recurrissent, de quocumque ceteroquin objecto sive materia egerint. Certissime *autem* fons ipse divinae fidei aliquid est, quod intime cum rebus fidei, cum ipsa fide connectatur. *Ergo* etiam ratio illa, qua iste fons praecise ut talis in sua propria ratione constituitur.

Eodem modo absolutam Scripturae inerrantiam, de qua postea nobis agendum erit, ut rem cum fide connexam patres considerabant. *Ergo* etiam universalem Scripturae inspirationem,

quae tanquam proxima et unica ratio istius inerrantiae ab eisdem patribus continuo adducitur.

Solum inde, quod rem ut doctrinam fidei consideraverint, accidit, ut in hac disputatione tam saepe etiam ad traditionem apostolicam seu majorum provocaverint et eos, qui aliter sentirent, ut infideles notarent; *cf. Zeitschrift fkTh. XXXI (1907) 254 sqq.* — Exempli gratia audiamus Gregorium nyss., *contra Eunomium VII (M PG 45, 743)* disserentem: „Sic nos, qui omnium maxime miserandi dicimur, ab apostolo instituti ex littera, quae occidit, ad spiritum vivificatorem transimus, edocti ab eo, qui in paradiso arcana ineffabilia dicit: quod quaecunque sacra Scriptura dicit, Spiritus Sancti sint voces sive effata".

2. Patres insuper, quemadmodum et theologos, plena advertentia hac in re processisse, per se intellegitur maxime in iis testimoniis, ubi rem cum accentuatione quadam disertissimis verbis proferunt.

Merito De San et haec considerare attentius monet: „Propter impugnationem gentilium philosophorum, contendentium auctores nostrorum librorum errasse sive in referendis factis historiae profanae sive in attingendo res inquisitioni scientiarum profanarum subjectas, patribus non defuit occasio, sed incubuit omnimoda necessitas ex instituta diligenti in regulam fidei objectivam inquisitione examinandi ac decernendi, utrum ad res praedictas sese extenderet Scripturarum inspiratio. Et quia vi inquisitionis a se institutae patres unanimitate saltem morali venerunt in sententiam asserentem inspirationem scripturarum esse illimitatam, propterea contendimus, hanc sententiam esse proxime definibilem" (De San *de trad. et Script. n. 373 p. 296*).

§ 3. Quid hac in re ecclesiae magisterium tradiderit.

I. Multi auctores etiam hac in re ad statuta et definitiones quorundam conciliorum, maxime tridentini et vaticani, provocant; et ideo nos quoque prius videamus, quo jure hoc fieri possit.

Et in *statutis quidem illis antiquis* (cf. *supra p. 43*) legebatur: „Novi et veteris testamenti unum eundemque credendum esse auctorem et Deum"; idem accuratius dein a concilio florentino exhibebatur et postea a concilio tridentino hoc circumscribebatur canone: „S. Q. autem

libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . ., A. S." — Hanc definitionem deinde suam fecit concilium vaticanum, omissis tantum verbis „prout in ecclesia catholica legi consueverunt".

a) In hac declaratione inprimis notandum est, verba „sacri et canonici" non quidem ipsa ratione formali seu vi vocis idem significare ac „inspirati"[1]); „in concreto tamen, sicut nos loquimur, nullum dari discrimen inter libros canonicos et inter libros inspiratos seu sacros" (Relator in concilio vaticano *Coll. Lac. VII col. 239 sq*). — Et hoc evidens esse videtur quoad terminum „sacri", cum ex usu ecclesiae iste terminus Scripturae veteris et novi testamenti applicatus libros sacros appellet ratione originis, quae est praecise haec inspiratio. — Quoad terminum vero complexum „sacri et canonici" idem manifestum est, si non ex ipso usu loquendi ecclesiastico, certe ex verbis concilii vaticani, quae reassumptae declarationi concilii tridentini statim addit: „eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet . . . propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt".

b) Dicuntur sic libri Scripturae sacri et canonici i. e. inspirati, iique „integri cum omnibus suis partibus". Videtur sic universalitas inspirationis, quae omnes et singulas partes librorum pervadat, immediate et expressis verbis enuntiari. Res tamen accuratius consideranda est.

1. Si negative tantum inquirimus — a) cum omni certitudine affirmare et statuere possumus: „Statuta illa ecclesiae antiqua", necnon et tria illa concilia in nostra quaestione celebriora, florentinum, tridentinum, vaticanum, inspirationem Scripturae non restringere ad revelationes divinas. Deus *enim* ratione inspirationis ibi dicitur auctor omnium librorum veteris et novi testamenti; quos „integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina continentur, pro sacris et canonicis esse recipiendos", conc. tridentinum et vaticanum etiam accuratius definivit. — *Atqui*

[1]) „Sacer" enim vox per se anceps est; „canonicus" vi vocis librum significat, qui canonem seu regulam fidei catholicae statuit.

inter illos libros sunt, qui nullas fere formales revelationes divinas contineant; certissime ibi multae partes inveniuntur, quae prorsus in objectis formaliter non revelatis tradendis versentur. — *Ergo* certe inspiratio etiam ad res formaliter non revelatas se extendit.

b) Ex eadem ratione prorsus evidens est, secundum easdem auctoritates inspirationem ad res proprie religiosas restringi non debere: cum major pars Scripturae, id quod d'Argentré jam contra Holden premit, „in rebus historicis plerumque versetur".

c) Neque ex iisdem fontibus inspiratio ad res proxime cum rebus fidei et morum connexas restringitur, sed etiam ad res de se mere profanas extendenda erit: *etenim* partes quoque eae, quae in rebus ejusmodi mere profanis versentur, sat extensae in Scripturis inveniuntur, ita ut hae necessario sub inciso „cum omnibus partibus" comprehendantur. Cogita v. g. de quibusdam genealogiis iis maxime, quae ad originem et familiam Salvatoris non spectent, de censu et catalogo filiorum Israel *Num 26, 12—51;* de catalogo mansionum seu stationum populi Israel in deserto *Num 33* . . .

d) *Neque juvat excipere,* quod definitiones istae proxime respiciant Scripturam, quatenus in „veteri Vulgata latina continentur". Est enim manifestum, quod libri non ideo canonici vel sacri vel inspirati dicuntur, quod ipsa versio Vulgata sub inspiratione peracta esset, sed ideo quia haec versio substantialiter conformis cum originali Scriptura esse invenitur. Ergo a fortiori libri originales seu partes originales, quorum immediate auctor est Deus, sub inspiratione esse intelleguntur.

2. Ex iis, quae hucusque ecclesia magistra didicimus, apparet, quod sententiae a Rohling, Holden aliisque prolatae definitive reprobatae sunt.[1]) Non tam dilucidum

[1]) Idem dixeris de his vel similibus assertionibus: „Veritas, propter quam inculcandam priora libri Geneseos capita conscripta sunt, haec est, quod *unus Deus hebraeorum, non vero dii gentium, omnia in hoc mundo aspectabili creavit* et omnia creavit propter hominem, qui omnia ad debitos fines adducere debebit; haec igitur veritas inspirata censeri debet, non ita ipsa concreta narratio"; — vel si quis diceret in libro Sap. inspiratam quidem esse sententiam:

argumentum eaedem conciliorum definitiones praebebunt, cum jam quaesiveris, quousque positive inspiratio se extenderit, num per easdem auctoritates omnes et singulae Scripturae sententiae eaeque etiam, quae obiter dictae dicuntur, inspiratae esse declarentur; *aliis verbis:* num etiam sententia card. Newman definitive rejecta sit.

Variae viae hac in quaestione a variis auctoribus initae sunt. Cardo rei in quaestione invenitur, quid concilium tridentinum et consequenter etiam vaticanum in inciso definitionis suae *„integros libros cum omnibus suis partibus“* nomine „partium“ intellexerit: numquid nomine partium directe significentur singulae sententiae, quamvis parvae et succinctae, an nomine isto majora tantum segmenta intellegantur oporteat.

Subest quidem et alia quaestiuncula in hac spinosa inquisitione, quid nimirum directe isto altero inciso „libros . . prout in Vulgata editione continentur“ intellegendum sit: num in definitione potius mere materialiter se habeat hoc incisum ad libros ipsos in concreto designandos ita, ut quoad inspirationem nihilominus directe libri intellegendi sint in sua originali forma, an definitio fiat directe de ipsa Vulgata etiam quoad rationem inspirationis.

Respondendum: Cum ipsa Vulgata qua talis non sit inspirata, illud incisum *„prout in Vulgata editione continentur“* magis materialiter libros denotare videtur, in quibus inspiratio inveniatur, ipsam inspirationem vero cadere in textum originalem. — *Urget dein quaestio:* num in originali eae partes tantum inspiratae dicendae sint vi definitionis concilii, quae etiam in Vulgata legantur, et de iis partibus, quae forsitan ex originali perierint, inspiratio abesse possit. — *Resp.:* Haec quaestio utilitate quidem caret; censendum tamen est, inspirationem ex parilitate rationis etiam ad has partes se extendere.

Quoad ipsam quaestionem vero, quid nomine partium intellegendum sit, remanent duae sententiae, sibi simpliciter et contradictorie oppositae.

„Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter“ *(8, 1)*, non ita ea, quae in capitibus ibi sequentibus 10—19 ad hanc divinam providentiam in concreto ex historia israelitica illustrandam proponuntur. Cf. Van Laak *o. c. n. 478.*

Prior sententia contendit, quod nomine „*partium*“ directe sententias quoque singulas vel minimas particulas concilium comprehenderit. Et in hac sententia utique res nostra definita fere esset per concilium, *sive* directe de ipso textu originali (Billot), *sive* eo saltem sensu, quod omnis particula Vulgatae, quae simul in textu originali inveniatur, inspirata tenenda sit (Schiffini).

Altera sententia prorsus contraria (praeterquam quod definitionem proxime refert ad ipsam Vulgatam, prout in concreto inter nos existit) terminum „*partium*“ directe singulas vel minimas particulas sacri textus respicere negat; et affirmat isto termino potius ex se majora quaedam segmenta designari. Unde ex textibus conciliorum argumentum saltem peremptorium fieri non posset. — Hanc sententiam tenent Nisius *Zeitschrift fkTh XVIII (1894) p. 659—63;* in eandem inclinare videntur Fonck *Der Kampf um die Wahrheit der h. Schrift p. 41—50;* Pesch *n. 275;* Crets *o. c. p. 268—70;* De San *n. 344.*

Audiamus rationes praecipuas horum auctorum:

a) *Prior ratio* desumitur ex ipsis verbis definitionis. Terminus nimirum „*partis*“ ex communi usu loquendi, imo fere ex ipsa natura sua non videtur necessario significare statim omnes vel minimas particulas. — *Ergo* cum definitiones strictae sint interpretationis, decretum in hunc sensum urgeri nequit.

„Non enim — ita De San *n. 344* — singuli sacrorum librorum textus atque adeo singula hosce textus constituentia incisa vere et proprie possunt vocari partes horum librorum. Licet enim sint eorum partes secundum considerationem pure mathematicam, non tamen sunt eorum partes secundum aestimationem moralem, cui tamen uni innititur communis usus loquendi; sicuti secundum communem hominum aestimationem singuli lapides, qui intrant structuram domus, non possunt dici esse partes domus. Et ratio, cur, attenta morali hominum aestimatione, componentia ejusmodi dici nequeant partes totius, quod ex iis constituitur, est, quod partes alicujus totius censentur esse ea solummodo, quae et aliqualem servent homogeneitatem cum toto, quod ex iis constituitur, et totius sint proxima constituentia. Non autem singularia incisa neque adeo singulares textus.

sed solummodo contexturae textuum servant aliqualem homogeneitatem cum libro, qui ex iis constituitur, suntque hujus proxima constituentia. Nulla ergo ratione fieri potest, ut attenta communi hominum aestimatione, singularia incisa vel singulares textus librorum sacrorum habeantur ut partes horum librorum".

b) *Altera ratio* sumitur ex adjunctis historicis, quibus decretum istud originem suam debet. Ad tuendas *enim* quasdam longiores pericopas evangeliorum, de quibus tunc dubitatum est, decretum illud cum inciso suo „cum omnibus suis partibus" editum esse videtur. Et ideo vox partis majus quoddam segmentum inferre videtur, qualia pericopae istiusmodi erant, non autem nomine partium necessario intelleguntur vel minimae particulae, quales ista „obiter dicta" cardinalis Newman forent. Neve tamen id intellegas, quasi nunc solae illae pericopae verbis nostris intenderentur, sed certe id admittendum esse videtur, quod partes tantum eis similes intellegendae sunt.

„Was den Zusatz *integri cum omnibus suis partibus* angeht, ita hanc rationem exponit Nisius *l. c.*, so hat man mit Recht wenigstens den letzten Teil desselben historisch aus dem mehrfach in den Kongregationen geäußerten Wunsch der Väter erklärt, es möchten gewisse von den Häretikern verworfene Perikopen der Evangelien, wie *Lc 22, 43 ff; Marc 16, 9 ff; Joh 8, 1 ff* namentlich hervorgehoben werden (Theiner *I 72 b*) . . Die Redaktoren erachteten aber schließlich die (um jenes Wunsches willen beigefügten) näheren Bestimmungen (integri cum omnibus suis partibus) nicht nur für die Evangelien, sondern für alle Bücher für angezeigt; ähnliche Zweifel wie bei den Evangelien konnten ja auch bei anderen Büchern erhoben werden. Deshalb setzten sie unsere Klausel nicht zu den Evangelien insbesondere, sondern dehnten sie auf alle Bücher aus.

So steht aber mit hoher Wahrscheinlichkeit historisch fest, welchen Sinn die Worte integri cum omnibus suis partibus nach der Meinung der Konzilsväter hatten: Alle Bücher sollten vollständig, so wie sie immer im Gebrauch der Kirche gewesen (legi consueverunt) und in der Vulgata enthalten waren, als heilig und kanonisch gelten, so daß es vollkommen unstatthaft wäre, irgend einen bedeutenderen, im Hinblick auf den Endzweck des Dekretes wichtigen Teil der Vulgata zurückzuweisen. Namentlich aber sollten einige von den Häretikern verworfene Abschnitte (d. h. par-

tes), betreffs derer auch bei den Katholiken sich Zweifel äußerten, wie die genannten Evangelienperikopen ausdrücklich in Schutz genommem werden. Die Formel cum omnibus suis partibus hat also höchst wahrscheinlich, trotz ihrer allgemeinen Natur, die angeführte engere Bedeutung; es ist historisch nicht begründet, ihr eine weitere oder gar unbegrenzte Ausdehnung zu geben" *(Zeitschrift fkTh XVIII 659 f)*.

c) Hae rationes certe spernendae non sunt, et argumentationem in contrariam partem ex verbis conciliorum pro se sumptis institutam certitudine et evidentia privant. Quare Hurter quoque: „Praeferenda, inquit, est sententia, quae censet, intellegi (partium nomine) majora librorum inspiratorum vel capitum segmenta" *(Comp. 1 n. 157 nota ad calcem)*.

3. Hac igitur directa argumentatione ut dubia jam derelicta, aliae quoque viae magis indirectae ab auctoribus initae sunt v. g. quod in textibus nostris sermo sit de „conscriptione Scripturae per Spiritum simpliciter" facta (Franzelin) vel quod Deus auctor horum librorum vocatur simpliciter etc. Quae quid valeant, postea melius intellegemus, ubi de ratione hujus rei theologica agendum erit.

II. Habemus tamen et aliud documentum summae sane dignitatis et auctoritatis, quamvis ex sese non plane peremptoriae; desumitur hoc ex encyclica *„Providentissimus Deus"*, quam Leo XIII d. 18. Nov. 1893 de re biblica ad universum orbem christianum emisit.

1. Inprimis respicit doctrinam eorum, qui tunc existimabant res et veritates ordinis profani ab inspirationis ambitu eximi posse; et contra ejusmodi doctrinam prius negative inculcat: „Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum s. Scripturae partes coangustare, aut concedere ipsum errasse auctorem" *(n. 30; ed. Cornely in ejus comp. introd. append. I)*.

Simul horum auctorum rationem reprobat: „Nec enim, inquiens, toleranda est eorum ratio, qui ex (istis) difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit" *(ib)*. — Unde simul intellegas, nomine partium a pontifice sententias sive assertiones intellegi.

Pro hac sua sententia s. pontifex dein ad eadem concilia provocat, quorum verba et nos modo perpendimus et quae nunc utique nova luce illustrantur: „Etenim, inquit, libri omnes atque in-

tegri, quos ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum summam veritatem nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides ecclesiae, sollemni etiam sententia in conciliis definita florentino et tridentino, confirmata atque expressius declarata in concilio vaticano, a quo absolute edictum: ‚Veteris et novi testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem concilii decreto recensentur et in veteri Vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt etc. . .“ *(ib)*.

2. His vero s. pontifex rem et quaestionem nostram jam positive attigit, quam pergens etiam magis evolvit et majore luce declarat: „Supernaturali Spiritus Sanctus virtute sacros auctores ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae“. Si igitur sub ejusmodi influxu divino omnia, quae voluit, eaque sola ab hagiographis conscripta sunt, nihil omnino jam in Scripturis inveniri potest, quod sub eodem influxu non sit conscriptum. Influxus autem ille divinus evidenter influxus ipsius inspirationis est.

Idem inculcat summus pontifex, quando abominabilem consequentiam sententiae adversae reprehendit hisce verbis: „Consequitur [ex adversariorum nimirum sententia], ut qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem“. Haec enim declaratio et ipsa necessario supponit, cum catholica inspirationis notione omnino cohaerere, Deum omnia omnino, in quibus veritas vel falsitas subesse possit, inspirasse et sic omnium omnino judiciorum sacrae Scripturae esse auctorem.

Pro hac *denique* doctrina summus pontifex sicut antea ad concilia, ita nunc etiam ad doctrinam ss. patrum provocat: „Atque adeo patribus omnibus et doctoribus persuasissimum fuit, divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur adferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc objiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse". — Quae ratio ss. patrum ex mente pontificis sic breviter comprehendi potest: Nihil erroris in sacris scripturis. *Atqui* ratio inerrantiae ipsa inspiratio est. *Ergo* nihil quoque in Scripturis invenitur, quod non sit inspiratum.

3. Doctrina de universali inspirationis extensione his luculenter omnino exposita et asserta est; et quamvis ejusmodi litteris encyclicis per se non insit vis omnino definitiva, tamen nullum dubium subesse potest, catholicos ad hanc doctrinam admittendam in conscientia obligari.

Hanc obligationem ipse pontifex Leo XIII non semel inculcavit. Ita *ad generalem ministrum fratrum minorum* scripsit d. 25. Nov 1898: „Nec silebimus, Nos ipsos per litteras ‚*Providentissimus Deus*', quid hac de re sentiat, quid velit ecclesia, dedita opera docuisse; praecepta vero et documenta pontificis maximi negligere, catholico homini licet nemini" *(Acta s. Sedis XXXI 264)*. Et iterum in *litteris apostolicis* d. d. 30. Oct. 1902: „Vigilantiae studiique memores, quo depositum fidei Nos quidem longe ante alios sartum tectumque praestare pro officio debemus, litteras encyclicas ‚*Providentissimus Deus*' anno 1893 dedimus"; quibus litteris finem imposuit hisce verbis: „Ceterum confidimus fore ut . . . apostolicae Sedis in hac re praescriptionibus catholici, qui sacris litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant" *(Acta s. Sedis XXXV 234 sqq)*.

Voluit autem idem s. pontifex hanc nostram rem in particulari sua declaratione comprehendere. Nam ab initio epistolae declarat se obsistere velle iis, „qui in Scripturam s. sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterque moliuntur". Inter hos autem praeprimis merito reputantur ii, qui tunc contra inspirationem integram Scripturae se opponebant.

4. Huc denique etiam referas ex Pii X decreto *„Lamentabili sane exitu" prop. 11:* „Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas ejus partes ab

omni errore praemuniat". — Ratione igitur inspirationis omnis error a Scriptura excluditur; quare inspiratio tam late extenditur, quam possibilitas erroris. — Atqui in omni judicio error de se possibilis est. — Ergo inspiratio omnia plane judicia comprehendit.

§ 4. Ratio theologica.

I. Merito hac in re ratio urgetur ista: Adversariorum opinio semel permissa ipsam inspirationem quoad singula Scripturae documenta reddit incertam et divina industria hac in re impensa ex interno ejusdem defectu frustraretur. — *Atqui* nemo prudens admittet unquam, divina opera ita ex sese esse instituta, ut intrinsecus inepta appareant ad finem ipsis propositum.

1. Qua in re merito ad s. Augustinum provocare licet, qui in re affini ita argumentatur: „Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio [et idem dicas omnino, si admitteretur aliquis error], nulla illorum librorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur" *(ad Hier. ep. 29 n. 3)*.

Quamvis autem Augustinus proxime de mendacio vel de errore loquatur [id quod per se non est idem ac inspiratio], tamen ejus argumentum facile etiam in quaestione nostra valet jam eo, quod ratio infallibilitatis neque ipsi est alia atque inspiratio.

2. Idem magis patebit inde, quod s. Scriptura documentum publicum et fundamentale est, quo Deus revelationem suam ad publicam instructionem direxit; pro ejusmodi autem documento simul certa et determinata et infallibilis norma adesse debet, qua ea, quae Dei propria et ab ipso tradita sint, tuto ab iis, quae forsitan admixta reperiuntur, discernantur; secus ipsum instrumentum valore necessario destitueretur. *Atqui* si semel admiseris, non omnia in istis divinis documentis esse divinitus tradita seu inspirata, ejusmodi norma, qua inspirata a non inspiratis apte distinguantur et secernantur, non habetur. *Ergo* ne corruat integra divini documenti auctoritas, omnia necessario inspirata esse admittes.

Ad minorem: a) Certe neque per traditionem neque per ipsam Scripturam ejusmodi norma praebetur. Uterque fons potius contrarium tenet, omnia esse inspirata. Quaerenda igitur esset ejusmodi norma ex ipsa rerum natura.

b) Quae autem ex ipsa rei natura proferuntur criteria, satis inania apparent. Dicunt quidem: Res minimae . . profanae . . obiter dictae non sunt inspiratae; res, quae cum religione non sunt connexae ab inspiratione tuto excipi possunt. — *Attamen* ejusmodi criteria *praeprimis* arbitrarie omnino statuuntur, si non prius ex divinis fontibus ostenduntur. *Deinde* praejudiciis subjectivis nimis favent: magnum enim videtur uni, quod ab alio minimis rebus accensetur; ad religionem trahit unus, quod alteri prorsus profanum apparebit; praesertim cum Scriptura ipsa et ss. patres vel in minimis rebus magna hinc inde mysteria invenerint. Luther autem ex sua parte integram epistolam tanquam nullius momenti (ut stramineam) rejecerit. His ipsis autem normae jactatae jam non solum arbitrariae, sed et ambiguae inveniuntur.

Sunt autem *insuper* periculosae: cum magnam Scripturae partem judicio subjectivo singulorum fidelium committant: hoc autem spectatis perversis hominum inclinationibus et ipsius Scripturae obscuritatibus non admittitur sine gravissimo in re religiosa periculo.

c) Adhuc habent, quod excipiant: Adest ecclesia ejusque infallibile magisterium, quod inter inspirata et non inspirata facillime discernat. — *Ast* ecclesia sibi praesto esse ejusmodi normam seu facultatem numquam contendit, neque ipsa sic unquam distinxit, sed aperte potius declarat omnia in ss. Scripturis ejusdem esse auctoritatis et universam Scripturam cum omnibus suis partibus inspiratam esse non semel proclamavit.

II. Ab aliis modis rem hanc ex ratione illustrandi potius abstineamus, utpote quae minus efficaces sint. Ita v. g. vel inde rem nostram ostendere conantur, quod Deus per inspirationem simpliciter auctor sit s. Scripturae. Ad eum *autem* ita — subsumunt — qui auctor alicujus libri proprie et simpliciter sit, pertinet ut omnes plane res et sententias, quae in libro contineantur, sive per se sive per scribam ipse consignet. — *Attamen* difficulter ostenditur conceptum auctoris semper tam rigide esse accipiendum, ut vel minutissimae particulae, etiam obiter dictae, ei attribuendae sint. Cogita de casu, quo aliquis demortui auctoris opus demum edat; quamvis pauca addat vel modificet editor, opus tamen videtur esse demortui amici.

Magis infirma erit ratio altera: Pars major librorum illorum certe inspirata est — *ergo* jam libri cum omnibus par-

tibus et sententiis suis integri inspirati sint oportet; *etenim* divinae sapientiae parum conveniens erit, quod libros condere voluerit, in quibus propria sua sensa cum privatis hominum judiciis permisceantur. — *Ast* eodem jure excluderes hominum cooperationem et defectus in suorum aliorumque sanctificatione. Cf. de his rationibus *Van Laak o. c. n. 491 sqq.*

III. Merito autem notat Hurter *o. c. n. 160*: „Eadem fides de universali inspiratione Scripturae indirecte ex agendi ratione adversariorum colligitur, qui putant sufficere ad negandam alicujus libri sacri inspirationem, ut ostendatur aliquid falsi, etsi in re minoris momenti, in eodem inveniri." — Certe ex sententia horum quoque adversariorum ad inspirationem quodammodo necessarium est, ut integra Scriptura in omnibus et singulis suis particulis inspirata existimetur.

Articulus III.

Doctrina proposita de extensione inspirationis largius illustratur.

§ 1. De enuntiationibus narrativis vel doctrinalibus.

Ut recte doctrinam de extensione universali inspirationis intellegas, attendere te oportet, quomodo inspiratio singula afficiat sive quomodo singula sub inspiratione exhibeantur. Et quoad enuntiationes, quae simpliciter aliquid asserere videntur, factum narrant vel doctrinam proponunt, apprime notare debes, omnia quidem in ss. litteris ex divina inspiratione scripta esse, non tamen eo ipso omnia ex mente divina esse dicta sive verba formaliter divina. Ex hac consideratione multa dubia, quae contra inspirationem proferuntur, solvi possunt; unde paulo accuratius eam examinemus.

I. Dicimus non omnia quae in Scripturis propter inspirationem divinitus scripta inveniuntur, esse etiam sensa sive dicta divina. Et res haec manifesta est. Quemadmodum *enim* ipsi profani auctores persaepe verba allegant aliorum, ita etiam Deus voluit, ut scriptores inspirati sub motione divina subinde referrent verba et sensa ab aliis iisque hinc inde impiis vel stultis prolata.

Facile intellegas, quid quoad haec proprie inspiratum sit. — In genere *nimirum* et per se eodem prorsus modo de his sentiendum est, quo de scriptis auctorum profanorum. Verba, quae ex scriptis vel mente aliorum ut talia in Scripturis proferuntur, manent horum propria neque per se sive directe ratione inspirationis fiunt verba vel sensa propria ipsius Dei, ac si hic nomine proprio ista protulerit. Scribuntur tamen jussu divino; et ita per se et directe ad Deum, auctorem Scripturae, non pertinet nisi haec scriptio externa sive citatio, quae ideo immediate sub auctoritate Dei ponitur, cum ejusmodi citatio certe Spiritu Sancto suggerente facta sit. Ideo hanc scriptionem sive allegationem apposite et opportune factam esse, sic immediate patet; qua enim prudentia et sapientia Spiritus S. excellit, non debemus credere eum absque ratione vel praeter rationem dicta aliorum adduxisse.

II. Quaeritur nunc, quomodo haec auctoritas divina, ex qua sensa et verba aliena divinitus saltem scripta inveniuntur, ipsas ejusmodi enuntiationes afficiat, vel quid de auctoritate ipsa interna eorum tenendum sit, quae sub inspiratione afferuntur. Et haec quaestio in genere saltem non ita difficulter dirimitur.

In genere *enim* et per se citata ejusmodi eorumque auctoritas iis relinquitur, quorum per s. scriptorem ipsum esse dicuntur. — Per accidens *tamen* ratione modi, quo proferuntur, et aliud teneri debet. Ita, ut quaestionem jam magis in specie ingrediamur, triplex potest esse modus, quo aliorum sensa per Scripturam allegantur: *aut* cum approbatione *aut* cum improbatione *aut* mere narrative sive historice. De singulis pauca dicemus. Et attende, quod his simul principia indicantur, secundum quae de veritate eorum, quae in Scripturis leguntur, judicandum erit.

1. Verba aliorum, quae a Scriptura ejusque divino auctore cum approbatione referuntur, sub ejusdem auctoritate ponuntur; ideoque, licet de se non inspirata,

tamen necessario et infallibiliter vera sunt. Qua in re distinctius considerabis:

a) Ejusmodi approbatio *vel* implicite *vel* explicite fieri potest. Ita s. Petrus *Mtth 16, 16* professus est: „Tu es Christus filius Dei vivi"; haec ejus verba a Scriptura allegantur seu narrantur, sed statim etiam audis Christum explicitis verbis eadem approbantem: „Beatus es Simon . ., quia Pater meus, qui in coelis est, revelavit tibi". Ita per s. Paulum *Tit 1, 12* dictum Epimenidis citatur: „Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri", et statim addit: „Testimonium hoc verum est".

Implicita vero approbatio, ut fere per se intellegitur, multis modis fieri potest. Ita implicita approbatio habetur, quando verba per Scripturam semel allegata, postea ab ipsa Scriptura inducuntur sub formula *„Scriptum est, Scriptura dicit"* (ex. g. *1 Cor 3, 19*). Implicita approbatio habebitur, quando ex circumstantiis apparet, Scripturam verba allegata sua facere, quando v. g. in confirmationem alicujus asserti proferuntur vel, nisi vera essent, inepte allegarentur: vel quando dictis fontium historia enarrata contexitur.

b) Secundo notandum est, quod verba aliorum hinc inde approbantur quidem, sed non in eodem omnino sensu, quo a proprio eorundem auctore prolata sunt. Proclamaverat Caiphas apud *Jo 11, 50*: „expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat"; approbantur illa verba, de quibus evangelista addit: „cum esset pontifex anni illius, prophetavit [i. e. nomine Dei enuntiavit], quod Jesus moriturus erat pro gente . ." *Attamen* per hanc approbationem divina declarantur non praecise eo sensu, quo ipse Caiphas odio in Jesum flagrans eadem pronuntiaverat, sed sensu longe sublimiore et universaliore, *tum* quoad ipsam salutem, quam Christus adlaturus erat aeternam, non ut Caiphas intellexit temporalem, *tum* etiam quoad gentem, quam Christus redempturus erat; additur enim: „et non tantum pro gente [judaica quae erat mens Caiphae], sed

ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum“ [1]). — Idem dicas de verbis graeci cujusdam poëtae *„ipsius et genus sumus“*, quae allegantur *Act 17, 28.*

c) Hinc inde longior discursus alicujus personae adfertur et laudatur seu approbatur; quemadmodum factum est cum sermonibus Job, de quibus in fine libri audis ex ore Dei sententiam ferentis: „Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job“. Numquid in hoc casu integri sermones Job, etiam quoad singulas enuntiationes sub auctoritate Dei constituuntur?

Si ejusmodi longior discursus in genere approbatur, utique generalis et fundamentalis idea et intentio, illud quod toto isto discursu intenditur et affirmatur, certe approbatur; et ideo in casu nostro principalis quaestio, de qua disceptatio inter Job et amicos ejus contentioque erat, recte soluta est a Job, non ita ab amicis ejus.

Neque tamen ideo omnia et singula dicta, quae in sermone occurrunt et ad directam ejusdem intentionem indifferenter se habent, merito divinitus approbari dicuntur. Ita de facto ipse Job in casu nostro confitetur coram Domino: „Insipienter locutus sum et quae ultra modum excederent scientiam meam“; et similiter Deus etiam reprehendit eum, quod „involverit sententias sermonibus imperitis“ *(38, 1).* — Simile exemplum habes orationem illam, quam s. Stephanus, teste Scriptura „plenus Spiritu Sancto“ *(Act 6, 10; 7, 55)*, coram synedrio habuit. Neque ibi omnia et singula necessario approbari, merito tenetur. Et si ibi quid inveneris, quod rei alibi a Scriptura enarratae contrarium esse invenitur, non ipsa Scriptura sibi contradicit, sed Stephanus erravit. Cf. Pesch *n. 438.*

Ratio hujus rei desumitur ex usu communi humano, secundum quem generalis sermonis vel libri approbatio non infert approbationem etiam singularum ejusdem assertionum.

d) Aliis locis occurrit, ut certae personae impense in Scriptura laudentur, sive ob praeclara facta, sive ob egregiam doctrinam vel sapientiam in genere. Ex iis, quae modo diximus fere patet, quod non eo ipso omnia earum dicta vel facta divinitus approbentur,

[1]) Cf. de hoc textu Pesch *n. 553.*

ne illa quidem, quae in ipsa Scriptura exhibentur. Ad rem Augustinus: „Constat, inquit, quod non omnia, quae a sanctis vel justis viris (in Scriptura) legimus facta, transferre debemus ad mores“ *(ep. 204 ad Dulcit. n. 6)*.

Ratio etiam hac in parte ex communi more loquendi desumitur, cum inter homines homo jam bonus et laudabilis appareat, si generatim praeceptis divinis et normis perfectionis respondeat, quamvis lapsus occurrant. Ita Judith vehementer laudatur ob probitatem vitae, tamen idcirco per se non necessario laudandus esset modus, quo Holofernem circumvenerit (si tamen quidquam inhonesti ibi reperiatur). Ita quamvis patriarchae populi Israel summis laudibus efferantur, non tamen modus erit approbandus, quo Jacob benedictionem patris aucupatus sit.

Nota tamen: Nonnumquam in Scripturis verba inducuntur quasi ex persona aliena dicta, quae tamen persona in ordine historico non subsistit, neque unquam determinate in se substitit. His dein inducitur persona quaedam idealis ad repraesentandas certas doctrinas, quae inter homines feruntur. — Cum hoc accidit, non poterit sermo esse de citationibus proprie dictis, sed habetur directa ipsius hagiographi expositio, qui speciali utitur genere loquendi ad doctrinam abstractam vividius proponendam. Unde ex sensu ipsius auctoris inspirati prolati, directe Deo adscribendi sunt et immediate ejusmodi sermones dijudicari debent, aut directe ut veri, si affirmative proponuntur, aut ut falsi et reprobandi, si cum reprobatione exhibentur. Huc pertinent v. g. libri Sap. cc. 1—5.

2. Ex analogia cum iis, quae modo protulimus de approbatione, judicium feras de iis, quae cum improbatione in Scriptura allegantur. Quae ab hagiographo qua tali seu a Spiritu Dei inspirante improbantur, hoc sensu sub auctoritate divina ponuntur, et ideo infallibiliter tanquam falsa et reprobanda considerari debent, *sive* haec improbatio explicite fit *(Jo 8, 49: „Ego daemonium non habeo“), sive* implicite. Haec enim improbatio ipsius Dei verbum formale erit. Attende tamen!

a) Etiam hic valet quod antea notavimus. Cum alicujus sermo in genere reprobatur, non sequitur singula illius verba vel asserta esse falsa, sed iterum generalis tantum idea et intentio directe reprobatur.

Ita sermo Eliphae in libro Job per Deum „non rectus“ declaratur *(42, 7)*; tamen de aliquo ejusdem verbo dicitur *1 Cor 3, 19*: „Scriptum est: comprehendam sapientes in astutia eorum“. De his iterum Augustinus: „Quod non ideo, inquit, dixerim, quia illi amici, a Domino reprobati et ab ipso sancto Dei servo merito culpati, nihil veri loqui potuerunt, sed quia non omnia, quae locuti sunt, vera putanda sunt; quamvis enim adversum Job nihil verum dixerunt, potest tamen etiam ex eorum verbis aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere“ *(ad Orosium contra Priscill. 9)*.

b) Pariter per generale aliquorum hominum vituperium non omnia et singula eorundem facta vel dicta ut mala vel falsa reprobantur.

c) Animadverti etiam potest, quod reprehensio Scripturae saepe non in ipsa verba ut falsa cadit, sed potius in affectum, unde processerunt. Ita Christus verba discipulorum in via ad Emaus reprehendit ut stulta, eo quod a fide et fiducia defecerint, cum tamen verissima essent eo sensu, quo tunc ea, quae facta sunt Jerosolymis, coram Domino enarraverint.

3. Distinctius consideranda est quaestio, quando verba aliorum in Scripturis allegantur mere historice sine ulla approbatione vel reprobatione.

a) De his imprimis generale illud principium valet: Ex ipsa allegatione qua tali verba ejusmodi in ea dignitate et auctoritate relinquuntur, quae eis ratione ipsorum independenter a scriptione inspirata competit. *Neque enim* quidquam aliud Spiritus Sanctus per allegationem suam asserit per se, nisi quod verba ejusmodi reapse ab aliis dicta sunt; hoc autem fieri potest, sive verba de se vera sive falsa sunt. Id attendendum est ex. g. in epistolis, quae ab initio libri 2. Mach. inveniuntur. — Idem plane valet, cum hagiographus propria sua verba alibi prolata allegat.

Num *igitur* ejusmodi verba vel sermones fidem mereantur, num fidem exigant humanam an etiam divinam, aliunde dijudicandum erit. In qua re attendas, num ejusmodi personae, quarum sermones inferuntur, veraces sint, num forsitan etiam nomine ipsius Dei locutae esse merito ex circumstantiis praesumi possint. Hoc autem in singulis casibus ostendere ad exegesin spectat, cujus est principia hermeneutica recte applicare. Cf. Pesch *n. 441 alin 2.*

b) Sunt tamen certae personae, quarum verba in Scriptura

relata ex lege quadam generali divina auctoritate fulciantur, et ideo ut infallibiliter vera admitti debeant (licet non ratione inspirationis). De his pauca addenda sunt.

α) De sanctis angelis legitur in ipsa Scriptura: „sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis" *(Heb 1, 14)*. Ideo quando in Scripturis apparent non suo, sed Dei nomine proferre sermones, tanquam praecones Dei considerandi eorumque verba tanquam infallibiliter vera admittenda sunt. — Hoc autem tenendum est non eo, quod eorundem verba qua talia inspirata in se essent, sed quia per inspirationem exhibentur ut verba per angelos nomine Dei prolata.

Et communiter loquendo angeli simpliciter tanquam Dei nuntii considerari debent, ubicunque per Scripturam loquentes inducuntur. Si *enim* semel admitteremus angelos potuisse pro arbitrio ad homines etiam ea loqui, quae divina fide credenda non essent, maxima confusio et dubitatio oreretur, inprimis quoad revelationem divinam veteris testamenti, quae fere universa „in dispositione angelorum" *(Act 7, 53; Jud 2, 1 sq)* facta et „per angelos ordinata" *(Gal 3, 19)* erat; cf. Pesch *n. 443*.

β) Idem fere repetendum erit de dictis prophetarum et apostolorum. Quando *nimirum* verba eorum allegantur qua talium, qui prophetico vel apostolico munere fungantur, doctrina eorum in rebus fidei et morum credenda est; et hoc iterum non ideo quia ab auctore inspirato exhibentur, sed quia in munere suo exercendo auctoritate divina vel dono infallibilitatis instructi erant. — Si ergo Lucas v. g. in Actibus sermones s. Petri vel s. Pauli refert, apostolos istos sermones protulisse Lucae immediate credendum est ratione inspirationis; doctrinam vero ab apostolis propositam veram esse, tenendum est deinde propter auctoritatem eorundem apostolicam; cf. Pesch *n. 442*.

Sed hic considerandum est, apostolos non semper ex munere apostolico locutos esse; ut notum est ex *Act 20, 25*, ubi Paulus ad presbyteros: „Et nunc, inquit, ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei." Si hoc accidit, eorum dicta non sunt necessario ut vera admittenda. — Quod autem de apostolis valet, idem repetas de prophetis. Ea quae ut prophetae ratione muneris proferunt, vera teneas; cessante porro motione divina ut homines loqui et falli possunt, ut iterum constat ex ipsa Scriptura, quae *2 Reg 7* narrat, annuntiationem quandam Nathan prophetae divinitus correctam esse.

γ) Prophetis autem accensebis eas personas sive sanctas sive ceteroqui minime sanctas, quae in s. Scriptura certos sermones ex

divino instinctu protulisse exhibentur, ut v. g. Balaam *(Num 23, 24)*, Zacharias pater Joannis *(Luc 1, 69 sqq)*, Caiphas *(Jo 11, 49)*, Jacob patriarcha *(Gen 49)* aliique. A fortiori idem valet de enuntiationibus B. V. Mariae, quam salutamus omnium prophetarum apostolorumque reginam.

§ 2. De affectibus et dubiis hagiographorum.

I. Saepissime sacri scriptores proprios suos affectus scriptis suis inserunt. Ita s. Paulus scribit ad romanos: „Desidero videre vos" *(1, 11)*; idem ad corinthios: „Os nostrum patet ad vos, o corinthii, cor nostrum dilatatum est" *(2 Cor 6, 11)*; iterum ad galatas: „O insensati galatae!" *(3, 1)*.

1. De his *imprimis* quaeri potest: qua ratione possunt esse inspirati i. e. verba ipsius Dei, cum ejusmodi affectus creaturae proprii immerito Deo adscribi videantur ut causae vel auctori suo. Numquid quia hagiographus scribit: *„desidero vos videre"*, et Deus ipse haec principaliter scribere et consequenter talem affectum tanquam proprium manifestare censendus est?

Facile respondebis. Inspirantur per se non ut eliciantur, sed ut eorum existentia in sacro scriptore testimonio Scripturae ostendatur: eorum scriptio igitur inspiratur, et hujus scriptionis Deus absque dubio auctor principalis esse potest, sicut et homo alterius hominis affectus scripto designare potest.[1]) Et hoc fere quoad ipsam inspirationem eorundem affectuum tenebis.

2. Ulterius quaeritur, quid de ejusmodi affectibus ratione inspirationis tenendum sit, numquid propter inspirationem v. g. ut laudabiles necessario adprobandi sint?

[1]) Idem dicas de orationibus ad Deum fusis. Has Deus utique ut auctor principalis non fundit; poterit tamen earundem conscriptor principalis esse, imo etiam earum *auctor*, qui ejusmodi orationes sive precandi formulas composuerit hominibusque tradat; cf. *Mt 6, 9; Lc 11, 2; Rom 8, 15.*

a) Per se hac in re idem dicendum erit quod de verbis, quae hagiographi ut propria sua verba allegant. Quare cum hagiographi affectus referunt, quos olim habuerunt, qui sic mere historice referuntur, horum consignatio eaque sola inspirata est; et ideo infallibili testimonio divino constabit, hagiographos affectus illos habuisse. De eorundem autem bonitate vel malitia morali nihil per se ex inspiratione deduci potest.

b) Si agitur de affectibus, qui ut in ipso actu scribendi praesentes exhibentur, quibus hagiographi se hic et nunc, cum scribunt, adfectos esse ostendunt, accuratius attendendum est.

α) Possunt etiam ejusmodi affectus, quos praesentialiter habent, tractare ut objectum non quod, sed circa quod scribunt et de quo scriptione sua solum testimonium ferunt, ut fit *Rom 9, 1sqq:* „Veritatem dico in Christo, non mentior . ., quoniam tristitia magna est et continuus dolor cordi meo" [de infidelitate nimirum populi Israel], vel *Ps 30, 10:* „Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus". In his igitur scriptio proxime intendit testificationem, et mediate tantum ipsum objectum testimonii. Et cum hoc fit, non videtur per se aliud dicendum esse ac de affectibus, quos olim se habuisse hagiographi testantur; *neque enim* ulla ratio discriminis apparet, sive hagiographus se in praesenti affectum habere testatur, sive olim se habuisse affirmat. In his ipsa testificatio sive citatio proxime scriptione exhibetur: affectus vero potius ut materia se habet, circa quam testificatio et inspirata scriptio versatur.

β) Possunt autem ejusmodi affectus etiam immediatum objectum esse, quod scribitur, quod in ipsam scriptionem ejusque intentionem magis intrinsecus intret tanquam directum objectum communicationis et scriptionis. In hoc casu affectus, sicut ipsa verba, quae ex proprio impulsu inspirantis Dei scribuntur, propriae causalitati divinae subesse videntur, ideoque necessario boni dicendi sunt et honesti. Tales affectus haben-

tur, v. g. quando Paulus increpat: „O insensati galatae", vel iisdem galatis blanditur: „Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis . ." Neque enim solum dicit se esse indignatum, sed directe ipsum affectum hunc scripto suo consignat. Idem frequenter omnino occurrit in psalmis.

Necessario boni dicendi sunt ejusmodi affectus; ratio vero manifesta est. *Neque enim* in hoc casu expressio affectus, si quidem de affectu deliberato agitur, mere historica vel theoretica ejusdem narratio est, sed potius ipsa affectio, ut alibi sensa et judicia, directum objectum scriptionis et communicationis divinae constituit. Haec vero scriptio jam inspirata, utpote divina operatio, non poterit habere objectum internum moraliter malum; unde neque affectus sub his adjunctis malus esse potest. — *Insuper* in hoc casu tota ratio inspirationis in eo est, ut affectus hagiographi non solum manifesti reddantur, sed quoad ipsam existentiam fiant illis, ad quos sermo dirigitur; vult enim Deus, ut hominibus ipsi tales affectus exhibeantur. *Quare* in ejusmodi circumstantiis sicut ad scribendos, ita etiam ad eliciendos affectus Deus ipse impulsum et motionem tribuit; sed iterum ad affectus inhonestos Deus positive impellere vel movere non potest. Hinc est, ut affectus, qui in psalmis tam immediate exhibentur, ex quibus integri fere psalmi constituuntur, sine quibus integri psalmi jam nihil enuntiarent, necessario tanquam boni et laudabiles aestimentur; ex inspiratione enim divina cum ipsa scriptione etiam concipiebantur.

Quod nihil contra hoc ex psalmis imprecatoriis excipi possit, supra jam disquisivimus; cf. *p. 74 sq.* — Aliae difficultates facile solvuntur, si ad distinctionem modo expositam attendas.

II. Quid porro dicemus de iis, quibus hagiographi dubia, ignorantiam aliaque hujusmodi exprimunt? De his *nimirum* omnibus semper eadem difficultas recurrit: *atqui* Deus dubiis, ignorantia, indeterminata scientia, insipientia *(2 Cor 11, 1)* laborare nequit. *Ergo* saltem in his nulla inspiratio subesse potest, et inspiratio prorsus universalis esse nequit.

1. Certissime scriptores sacri aliquando ignorantiam suam vel dubia vel et insipientiam fateri videntur. Sic v. g. Paulus se nescire ait, utrum praeter Stephanae domum alium hominem Corinthi baptizaverit (*1 Cor 1, 15*); ita et propheta Joel *2, 14:* „Quis scit, inquit, si conver-

tatur Deus et ignoscat et relinquat post se benedictionem?" ita auctor libri *Prov 30, 18 sqq:* „Tria sunt difficilia mihi et quartum penitus ignoro". Paulus apostolus etiam petit indulgentiam insipientiae suae dicens: „Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae" (*2 Cor 11, 1*). Cf. etiam *2 Cor 12, 2sqq; Jo 2, 6; 6, 19; Act 25, 6; 2 Cor 11, 17. 21. 23.*

a) Quid hac in re tenendum sit, ex iis quae jam exposuimus, facile aperitur. Neque enim ipsa dubia, ipsa ignorantia vel insipientia inspirata sunt, sed conscriptio eorum. Neque quidquam inconveniens esse invenitur, quod Deus per hagiographos scribit, hos ipsos hagiographos aliquid nescire vel de aliqua re dubitare. — Ratione autem inspirationis nihil aliud requiritur, nisi ut ista dubitatio vel nescientia eo tempore reapse in hagiographis inerat, quo eadem in Scripturis consignata sunt.

b) Testificatio porro de ejusmodi rebus divinitus facta neque inutilis dici potest neque Deo indigna. „Ex eo enim — ita Schmid *l. c. n. 164* — quod Paulus ipse nescierit, an raptus ille in corpore an extra corpus ei contigerit, plura *tum* de natura raptus, *tum* de statu animae, quae raptum patitur, *tum* de ratione, qua Deus cum sanctis interdum agere solet, aliaque ad theologiam mysticam pertinentia inferri poterunt, quae nequaquam inutilia videntur. Idem dic de exemplo altero; ex eo enim quod Paulus, cum corinthiis scriberet, non recordaretur, an praeter Stephanae domum alios baptizaverit, clare perspicitur Paulum baptizandi ministerium generatim aliis demandasse; jam vero haec notitia Pauli tunc temporis pro statu ecclesiae corinthiorum non spernendae utilitatis fuit." Similia vero de reliquis repetas.

c) *Nere dicas:* ergo Deus Paulum ad ipsam insipientiam in actu scriptionis adducere debebat, sicut paulo ante diximus de affectibus, quos homo hagiographus de se in praesentialiter manifestavit! — Ex duplici respectu neganda est paritas: a) non erat quidquam movendum divinitus ad ignorantiam habendam, quemadmodum ad affectus irae, paenitentiae hic et nunc eliciendos; b) ista ignorantia, dubitatio etc. non sunt privationes perfectionis debitae moralis in hagiographis; et ideo non repugnat divinae perfectioni, ut hagiographum de ipsa testificantem relinquat in ea, quaemadmodum ei repugnaret morales defectus positive provocare et causare. — c) Ceteroquin haec ignorantia communiter non tam est objectum quod scribatur, quam solum obiectum circa quod scriptio fit; ita Paulus ordinarie scribit se

nescire, dubitare, prorsus in eundem modum quo de aliis scribit, quid faciant vel egerint.

2. Ceteroquin animadvertendum est, quod hinc inde a Scriptura Deus ipse loquens ad instar dubitantis inducitur. Hac autem ratione per Scripturam non indicatur nisi rem non esse determinatam, in quantum ipsa in se a causis contingentibus et imprimis a libera hominis voluntate pendet in ordine ipsarum causarum creatarum: in quo nimirum in suis causis nondum determinata et a causis liberis dependens apparet. Ergo dubium se habet ex parte terminorum cognitionis divinae, non ex parte ipsius cognitionis divinae entitative consideratae.

Insuper non tam ad formam grammaticam attendere debes, quam ad ipsum sensum ejusmodi dictionum. Saepe *enim* interrogatio vel et dubitatio non est nisi figura rhetorica, quam αἴτωσιν vocant, qua res apodictice plane affirmatur vel negatur. Haec inservire possunt ad verum sensum dijudicandum eorum, quae traduntur *Matth 11, 23; Jo 8, 19; Joel 2, 14; Prov 30, 18.*

III. His respondeas simul de iis locis, in quibus hagiographi propria sua mandata et consilia intimant; in quibus etiam hoc occurrit, ut hagiographus vel explicite se suaque consilia a Deo divinisque mandatis discernat. Ita ex. g. Paulus *2 Tim 4, 13* discipulo mandat: „Penulam, quam reliqui Troade, veniens affer tecum"; ita *1 Tim 5, 23:* „Noli, inquit, adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes infirmitates". — *1 Cor 7, 10 sqq* autem declarat: „Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere . . Nam caeteris ego dico, non Dominus . .", et iterum *ib. 25, 6*: „De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do . ."

1. Scis, ni fallor, in his jam respondere; ejusmodi *nimirum* mandata per se volitiones ipsorum hagiographorum sunt et manent, vi inspirationis vero hae ipsae in scriptis exhibentur.

Quid igitur de auctoritate ejusmodi mandatorum sive consiliorum tenendum erit? — Ejusmodi mandata eo, quod ex divina inspiratione scriptis consignantur, non necessario juris

divini fiunt vel ex jure immediate divino obligare incipiunt; sed remanent in eo dignitatis et auctoritatis gradu, qui eisdem independenter ab inspiratione competit ratione auctoritatis, quae hagiographi propria est.

a) Quae vero species obligationis ex ejusmodi mandatis provenerit, cognoscitur *tum* e materia rei praeceptae, *tum* ex verbis enuntiationis, *tum* ex circumstantiis, quae personam, ex qua hagiographus loquitur, accuratius determinant. Si v. g. Paulus sub inspiratione scribit: „affer penulam", „vino utere", petit *aut* ut amicus *aut* suadet ea potestate dominativa, qua pollet superior in aliqua religiosa communitate. — Cum praeceptum dat de ratione Eucharistiam celebrandi, utitur jurisdictione sua ecclesiastica eadem, qua etiam hodie episcopi et romani pontifices pollent. — Cum dicit: „non ego dico, sed Dominus", mandatum immediate divinum enuntiat et loquitur qua apostolus, ea annuntians, quae divinae revelationis sunt.

b) Aliquando utique quaestio difficilius discernitur, qua auctoritate hagiographus in jubendo utatur, ut si agitur de privilegio, quod Paulus *1 Cor 7, 10. 12* annuntiat quoad solubilitatem matrimonii in gentilitate contracti. Quamquam *enim* ibi apostolus distinguit inter ea, quae a Domino, et ea, quae ab ipso dicuntur: per illa, intellegi possunt doctrinae ab ipso Christo Domino vivo vocis oraculo propositae et promulgatae; per haec autem doctrinae pariter quidem divinae, tamen non olim a Christo, sed nunc demum ab ipso apostolo promulgandae. Ad rem Theophilus: „Quia Dominus, inquit, legem disertis verbis sancivit, non debere fieri divortium nisi fornicationis causa, propterea ait: Non ego, sed dominus. Ea enim, quae antea dixerat, non erant a Domino expresse et verbotenus praecepta, etiamsi quaecunque Paulus dicat, Domini sunt et non humana" *(in h. locum)*. — *Ergo* inde, quod apostolus privilegium illud proclamans se distinguit contra Dominum, non necessario infertur, hoc privilegium factum esse humana tantum eaque apostolica auctoritate. De hac re tamen accuratius in jure canonico est agendum.

2. Fieri autem potest, ut etiam ejusmodi mandata et volitiones hagiographorum immediatum objectum sunt, quod in scriptione inspirata exhibetur (non tale, circa quod se solum ut testem habet scriptura), ex. g.: „affer penulam", „vino utere", in oppositione ad ea, quae hac forma leguntur: „praecipio tibi, ut serves mandatum . ." *(1 Tim 6, 13)*. Pro ejusmodi casu ea, quae supra de affectibus exposuimus, similiter tenemus: Praecepta et consilia illa

et rationabilia et honesta et salutaria esse vel saltem eo tempore fuisse, quo data sunt. Neque enim Deus ad praecepta vel consilia inhonesta scripto intimanda determinare i. e. inspirare potest, sicut neque ad ipsos affectus inhonestos excitare potuit, ut tanquam immediata scriptionis et communicationis objecta exhibeantur.

Ergo certum esse debet, scriptionem semper a Spiritu Sancto esse, etiamsi factum vel statutum vel aliud simile non ita specialiter a Spiritu Sancto sit; cf. Crets *p. 189*.

§ 3. De argumentationibus Scripturae.

Hagiographi saepissime doctrinam suam non simpliciter proponunt, sed eandem etiam argumentis et citationibus allegatis communiunt. Et ita breviter inquirendum erit, qua ratione ejusmodi argumenta vel citationes eorum per inspirationem afficiantur.

I. Argumentationes Scripturae propter ipsa asserta et ratione eorum ab hagiographis adferuntur; ideoque sicut ipsa asserta Deo inspiratori adscribendae sunt. Quare argumenta Scripturae falsa vel de se inefficacia esse nequeunt. Qui enim ad sententiam aliquam confirmandam argumentum profert, implicite saltem affirmat, illud ad finem assequendum aptum et efficax esse; et ideo falsum vel ineptum argumentum in Scriptura allatum implicite errorem contineret. Deus autem errare non potest. — Porro ut argumentum sibi constet, praemissae quoque verae esse omnino debent.

Intellexeris, hic differentiam intercedere inter Scripturas et concilia. Neque *enim* in conciliorum decretis (secundum communiorem theologorum sententiam) ipsa argumenta de infallibilitate definitionum participant.

Addamus pauca: a) Dubitant nonnulli, num Deus convenienter argumenta adferre possit pro doctrina ab ipso prolata; hoc aiunt majestati divinae adversari. — *Ast* immerito ita argumentantur. Id vel eo patet, quod Deus in genere homines per homines instruere vult, etiam in ordine ad aeternam salutem. Homines vero alios homines

humano modo instruere nequeunt, nisi argumentis rationes rerum manifestant. Et hoc insuper eo modo fieri debet, qui ab hominibus capi potest.

b) Unde sine ullo dignitatis detrimento Deus illam quoque, quam vocant argumentationem ad hominem, adhibere potest, quae quamvis ratione sui non pro omnibus hominibus efficax sit, in certis tamen adjunctis rem evincat. Modus iste hisce fere exhiberi potest: Vos ipsi haec vel illa principia admittitis; his autem admissis, necessario jam et illa alia admittenda sunt, cum haec inter se necessario nexu cohaereant. Nihil, ut vides, in toto hoc procedendi modo invenitur, quod Deum dedeceat. Id Pesch in exemplo illustrat ex *1 Cor 15, 1 sqq* desumpto; cf. *o. c. n. 448.* — Si tamen Deus argumentum adhibet objective in se non consistens, ex modo, quo proponitur, apparebit de argumento agi accommodato.

c) Neque quidquam obest, quominus Scriptura etiam argumentum probabile tantum adhibeat, quod conclusionem suam probabilem tantum reddat. Sed et in hoc casu aliqua ratione apparere debet de re agi tantum probabili.

II. Hinc inde veritates in Scriptura etiam per citationes illustrantur; exemplum habes *Act 17, 28:* „In ipso vivimus, morimur et sumus, sicut et quidam vestrorum poëtarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus". — Quoad has citationes, quae ad res illustrandas in s. Scriptura adferuntur, similia tenenda sunt ac de argumentationibus in genere: *primo* textum citatum loco et libro, cui adscribitur, reapse legi; *secundo* textum quaestioni, pro qua invocetur, apte inservire. Utrumque *enim* ipsa citatione actu implicito seu exercito asseritur; omnis autem assertio, quae in Scripturis occurrit, Deo attribui ideoque vera esse debet. — Qua *insuper* prudentia et sapientia Spiritus S. excellit, non debemus credere, eum absque vel praeter rationem dicta aliorum afferre. Unde ejusmodi citationes apposite et opportune factas esse, merito tenemus.

Duo insuper hac in re notanda sunt:

1. Nihil repugnat, quominus Scriptura, ut consuetudo fert aliorum quoque auctorum, verba sive textus alleget in sensu accommodato; quemadmodum s. Paulus v. g. *Rom 10, 18* verba Psalmi 18: „in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum", a coelis visibilibus transfert et accommodat in apostolos Domini. — Imo ne illa quidem allegatio

in s. Scriptura de se repugnare videtur, qua verba ab auctore quodam prolata materialiter tantum eadem proferuntur iisque ab hagiographo nunc sensus prorsus diversus subiicitur; qualis et ista citatio Pauli ex psalmo facta esse videtur. Id tamen in ejusmodi procedendi modo provideri debet, ne, quae in sensu accommodato adhibeantur, in eodem sensu auctori primario attributa appareant. Eundem in modum idem apostolus *2 Cor 8, 14* allegat, quae *Ex 16, 18* leguntur; cf. Pesch *n. 450.*

2. Scriptores novi testamenti saepe argumentantur ex Scriptura veteris testamenti non secundum textum originalem, sed secundum versionem Septuaginta, quo in casu accidere potuit, ut testimonium allegatum a textu originali quoad sensum essentialiter differret. Quid pro ejusmodi casu dicendum erit?

Argumentatio *stante suppositione* certe stricte biblica non esset, sed esset argumentum ex textu recepto, cujus ultimum fundamentum traditio synagogae vel et priscae ecclesiae, non ipsa inspiratio divina esset. — Si ulterius quaeritur, num de facto ejusmodi allegationes ex versione Septuaginta habeantur, quae a textu originali sensum quod attinet essentialiter divergant, haec non tam facile dirimitur, cum de singulis disputari possit (cf. Pesch *n. 449 nota ad calcem*). Certo gravior difficultas facesseretur, si sub formula „*Scriptura dicit*“ vel „*Scriptum est*“ ea allegarentur, quae ad Scripturam non pertinerent nisi in sensu quodam valde improprio. De hac re sermo recurrit ad finem libri.

3. De citationibus vero proprie non loquimur, quando auctor sacer verbis fontium suorum historiam suam contexit. Tunc haec aliorum verba hagiographus simpliciter sua facit et ut sua propria ex inspiratione profert.

§ 4. Exceptionibus satisfit.

Restat, ut exceptiones consideremus, quas contra universalitatem inspirationis proferre solent. In genere saltem facile iis expediuntur, quae in decursu hujus articuli exposuimus; omnia autem et singula hic enarrare longum est. Ex gravioribus igitur disce distinguere.

I. Difficultatem contra divinam inspirationem inveniunt in quibusdam sententiis, quibus hagiographus de se ipse in prima persona loquens proprias suas enuntiationes vel volitiones et affectus proprios profert, ut quando David ingemiscit „Miserere mei Deus“. Videtur *nimirum* difficulter concipi posse, qua ratione ejus-

modi sermo directe et immediate ad Deum tanquam ad auctorem principalem reducatur. Et haec eadem difficultas etiam crescit, quando hagiographus in ejusmodi dictis data opera sese a Deo distinguit, quemadmodum hoc fit ex. c. *1 Cor 7,12:* „Ceteris ego dico, non Dominus".

Haec difficultas evanescit, si recolligas, quae supra *p. 185 sq.* diximus: non ipsum sermonem qua talem inspiratum esse, sed scriptionem sermonis; non judicia, ut prius distinximus, theoretica, sed sub practica ratione tantum, quatenus scribenda sunt. Et ut Deus impellere et commovere hominem potuit ad scribendos sermones et dicta et facta aliorum, ita excitare eum potest ad proprios sermones nomine Dei in scriptis exhibendos.

II. Ex iis, quae audivimus in paragrapho antecedente etiam explicabis, qua ratione hagiographi, ut dictis suis fidem concilient, *sive* ad revelationes antecedentes. *sive* ad auctoritatem humanam propriam vel alienam sub inspiratione provocare possint. Neque *enim* quidquam Deo inspiratore indignum in hoc cernitur, ut Ipse ad homines argumentans eorum fontibus et cognitionibus utatur, id quod et Christus olim homo inter homines degens fecit. Occurrunt tamen difficiliores quidam modi loquendi hac in re, quibus universalis inspiratio Scripturae majore apparentia impugnari posse videtur.

1. *Dicunt:* Hagiographi permittunt, ut ea, quae scribunt, ab hominibus libere dijudicentur; ita apostolus *1 Cor 10, 15:* „Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quid dico!" *Atqui* de divinis verbis homini non licet judicare. *Ergo* verba Scripturae saltem non omnia verba formaliter divina sunt.

Resp: In textu Paulus judicium hominum non provocat, quasi ex ipso demum veritas rei dijudicetur (judicativum), sed ut provocet judicium, quod vocant mere approbativum: ut nimirum ex propria deliberatione agnoscant, quam justum sit mandatum et praeceptum apostoli. Id quod et nos facimus, quando de divinis praeceptis

et de ipso decalogo deliberamus, quam convenientia vel utilia haec omnia pro hominibus sint.

Quodsi idem s. Paulus *1 Thessal 5, 10 sq* monet: „Prophetias nolite spernere; omnia autem probate; quod bonum est, tenete" — de judicio quidem discernente agit. Hoc tamen judicium ad res omnino alias referendum est, quae sub inspiratione non cadunt; agitur enim ibi, sicut et *1 Jo 4, 1 („probate spiritus, si ex Deo sint")*, de doctrinis, quae a variis doctoribus et magistris humanis proferebantur ex spiritu, ut ipsi gloriabantur, prophetico, in quibus utique cauta discretio necessaria est.

2. Peculiarem difficultatem inveniunt iis locis, quibus apostolus diserte declarat, in aliquibus se non ut instrumentum Dei loqui, pronuntians v. g. *1 Cor 11, 17:* „Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia . ."

Sed et in hoc loco attendenda est distinctio consueta. Neque *enim* incisum istud „non loquor secundum Deum" rationem intimam scriptionis respicit, num scilicet ipsa manifestatio conceptuum Pauli ad corinthios verbis scriptis ex motione divina facta sit; sed ad materiam locutionis refertur, ad ea, quae Paulus ipse de propriis suis sensibus profert, in quibus prima fronte non secundum consilia Dei agere cuipiam videri potuit, sed ex vana gloria et insipientia humana. Secundum hunc respectum et alias Paulus infirmitates suas et defectus profert, ita et olim David psalmista peccata et ignorantias suas professus est. Cf. Cornely *in 2 Cor (1892) p. 297 sq.*

Locus vero, quo sacer auctor sive explicite sive implicite affirmet, se id, quod scribit, non sub inspiratione scribere, non invenitur.

III. Saepissime contra universalem inspirationem ex fine Scripturae argumentantur. Finis Scripturae, ajunt, in quantum a Deo procedit, non est nisi propagatio cultus et gloriae Dei aeternaeque hominum salutis: ideoque Scriptura in tantum inspirari merito tenetur, in quantum huic fini inservit. *Atqui* ad hunc finem conferunt res et veritates religiosae, non autem res profanae. *Ergo* hae res profanae vel si quae aliae sunt ad finem religiosum indifferentes, non necessario sub charismate inspirationis promuntur. — Videamus breviter quid de hac re dicendum sit.

a) Absque dubio proprius Scripturae finis religionem spectat. Id ex ipsa rei natura manifestum est, cum omnis actio supernaturalis divina huic fini subsit; idem etiam ex verbis apostoli probatur, qui *Rom 15, 4* expresse declarat: „Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus". Huc referas verba quoque, quibus idem apostolus Timotheum ad diligens Scripturae studium admonet *2 Tim 3, 15.*

b) Quod cum ita sit, illatio tamen non conceditur et negatur ejus suppositum, quod factum inspirationis ex ejusdem fine demonstrandum sit. Hoc *nimirum* factum ejusque extensio ex aliis prorsus fontibus ostenduntur, non ex ejusmodi rationibus internis hac in re minus efficacibus. Probantur ex directa Dei revelatione quoad hanc rem facta.

Sed et ipsa ratio ex fine desumpta sive propositio minor in argumentatione apte distingui potest. Neque *enim* res profanae, quae in Scripturis continentur, sine utilitate respectu finis supernaturalis proferuntur; id quod facile patet consideranti, res quoque profanas multiplicem nexum *sive* directum *sive* indirectum inire posse cum rebus religiosis; cf. supra *p. 144 sq.* „Dicendum est, ait s. Thomas *2. 2 q. 2 a. 5,* quod fidei objectum per se est id, per quod homo beatus efficitur, ut supra dictum est q. 1 a. 8. Per accidens autem sive secundario se habent ad objectum fidei omnia [alia], quae in sacra scriptura divinitus tradita continentur, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Isai et alia hujusmodi"; cf. *ib. q. 1 a. 6 ad 1.*

IV. Nonne dicimus communiter, Scripturam continere verbum Dei? *Atqui* continens latius patet ipso contento. *Ergo* non omnia in Scripturis verbum Dei formale exhibent seu inspirata sunt. — Si intellexeris Scripturam ipsum codicem materialem, qui componitur verbis et signis materialibus et insuper charta et atramento, optime dicitur hic codex continere verbum Dei. — Si Scripturam jam intellexeris non ipsum codicem materialem, sed Scripturam formaliter talem i. e. verba materialia cum ipsis veritatibus, quae his signis manifestantur, poterit vel sic dici, quod verba materialia continent verbum Dei formale, quemadmodum omne signum continet significatum. Tamen sic jam sine ulla restrictione omnia plane verba materialia per modum signorum sententias Dei significant et exhibent et continent; et omnia merito iterum inspirata tenentur. — Potest autem dictum istud ita etiam intellegi, ut nihil aliud significet, nisi quod Scriptura est verbum Dei.

Articulus IV.

De inspiratione verbali.

Audivimus hucusque, quid inspiratio sit et quousque per sacras Scripturas se extendat. Nunc ex altera parte negative quaeritur: quousque nimirum inspiratio non pertingat. Sic oritur quaestio de inspiratione verbali. De qua statuimus propositionem: Ad inspirationem, essentiam si spectaveris, non requiritur dictatio verborum seu determinatio verborum materialium in individuo facienda.

§ 1. Praenotanda.

Respicimus nunc theologos, qui per excessum a veritate deficere videntur et ipsa verba materialia inspirata esse contendunt. Termino isto *„verborum materialium“* vero intellegimus in oppositione ad verbum formale seu conceptum mentis ipsa signa externa, quibus conceptus, judicia, sensus interni ad extra exprimuntur, eorumque inter se connexionem et ordinem sive stilum.

I. Conspectus historicus. — 1. Erant olim rabbini[1]) et postea plurimi ex vetustioribus protestantibus, qui determinationem et electionem signorum quoque materialium ad divinam revelationem reducerent. „Communiter credunt, ita de theologis protestantibus suae aetatis Jo. Clericus disserit, et res ipsas historicis sacris fuisse inspiratas et simul terminos, quibus eas exprimebant, ita ut historia sacra verbotenus fuerit dictata per Spiritum Sanctum, et sacri scriptores, quorum nomina prae se fert, non fuerint nisi amanuenses, qui scribebant, in quantum ille dictabat“ i. e. formaliter revelabat per operationem in ipsos sensus externos (cf. Pesch *n. 256*). Omnia igitur et singula, si his auctoribus velis credere, in Scripturis verbotenus essent dictata; nonnulli deinde stulte utique eo usque progressi sunt, ut eundem modum ad ipsa signa et puncta massorethica extenderent.[2])

[1]) Cf. Weber, *Jüdische Theologie*[2] *p. 78—121.*

[2]) Non est cur de hac sententia particulariter disputemus; cum enim ne ipsa sententiarum quidem communicatio ad revelationem for-

Sat multi porro scholastici satis similem sententiam tenebant eam: quod Deus, inspirator et causa Scripturae principalis, sicut res et veritates exprimendas, ita etiam signa et verba materialia in individuo, si non revelavit, saltem praedeterminavit. Cogitabant fere, quod Deus per singularem et specialem influxum in phantasiam vel saltem per externam directionem rem eo deduxerit, ut hagiographi tandem aliquando ea vocabula et phrases elegerint, quibus veritates divinae jam hic et nunc in individuo exprimendae essent. Sic formalis quidem dictatio non haberetur, tamen ut res, ita et omnia vocabula per Deum ipsum eligerentur et determinarentur.

Hanc sententiam clare proposuit Bannez *in I. p. q. 1 a. 8 dubit. 3 concl. 2 et 3;* eumque, ut solebant, ducem sequebantur omnes fere thomistae: „Probabilius, ait Billuart, videtur ad rationem Scripturae sacrae requiri, quod non solum sensus et sententiae, sed etiam singula verba sint a Spiritu Sancto dictata" *(de virtut. theol., de regulis fidei diss. 1 a. 2).* — Extra istam scholam in eandem sententiam inclinabant Gregorius a Valentia aliique etiam recentiores, ut Mendive *(Instit. theol. dogm. I 432 sq)* Schiffini *(l. c. p. 241 sq),* Billot *(l. c. p. 60 sq).*

Ad rem hanc luculentius illustrandam analogiam quandam invenerunt, quae inter auctores hujus viae in proverbium fere abiverit; adinvenisse eam videtur Dausch, dicens: „Die Scheidung von inspirierten und nicht inspirierten Bestandteilen der Schrift ist wie die Unterscheidung einer Verbal- und Realinspiration mehr oder minder eine Vivisektion lebendiger Geisteswirksamkeit" *(Die Schriftinspir. 240 sq).* Similiter loquuntur Billot *(p. 56)* et Merisi *le fonti dei libri sacri (1903) 12.* Loisy quoque illud facete dictum grato animo repetit in *Etudes bibl. 35.*

2. Superata fere erat sententia ista, cum in schola neothomistica ad novam vitam refloruit. Neque tamen eam tam crude concipere volunt, quasi Spiritus Sanctus de verbo ad verbum cum hagiographis communicaverit quae scribenda sint, sed ad psychologiam quandam proclamantes inspirationem illustrationem supernaturalem ipsius intellectus declarabant, cujus effectus sit recta et adaequata expressio scripturalis rerum scribendarum, cum qua cohaereat dein etiam apprehensio ipsorum vocabulorum; cf. Pesch *n. 454.* Re nullum intercedit discrimen inter hanc et priorem sententiam.

Gravioris momenti est, quod his auctoribus dein accesserunt, qui rei per se innocuae perversam, ut videtur, et nocivam inten-

malem reducenda sit, de simili vocabulorum manifestatione cogitari non debet. Ceteroquin a fortiori repudiandam esse hanc sententiam, ex iis, quae dicemus, facile patebit.

tionem admiscuerint; ex qua intentione etiam vehementius propagatur sententia ista inter theologos rerum novarum cupidos, ut Loisy aliosque.[1]) — Horum auctorum assertio principalis et fundamentalis potius negativa est, cum declarant: Sensa et judicia in ss. Scripturis non plus sunt inspirata quam verba materialia, et vocabula non minus quam ipsae veritates: cum enim Deus hominem semel elegerit instrumentum suum, totum hominem sibi usurpavit, intellectum ejus et voluntatem eundem prorsus in modum quo et facultates ejus executivas et mechanicas. Sed — et hic jam periculosiora immiscent — omnino manifestum est, ita concludunt, quod quoad externum hoc elementum Scripturae, quod a facultatibus externis dependet, quoad stilum nimirum, ordinem, dispositionem, ornatum dictionis externae, instrumentum humanum cum propria sua indole etiam defectibilitatem sub inspiratione retinuerit. Ergo et quoad alterum elementum, profluens ex applicatione facultatum spiritualium creaturae, defectus in Scripturis fieri et inveniri possunt, quoad ipsas nimirum sententias et veritates.

„Neque igitur — ita Pesch *n. 468* eorum sensum exhibet — dicenda sunt dogmatica inspirata, historica non inspirata; sententiae inspiratae, verba non inspirata, vel alia hujusmodi; sed quaecunque ab hagiographo scripta sunt, ab eo ut supernaturaliter elevato et moto scripta sunt; ergo et inspirata . . Totum opus est a Deo, totum est ab homine, neutro separatim operante sed ambobus simul effectum producentibus; sic sine materiali dictatione non res tantum, sed etiam verba a Deo inspirata sunt et Deum auctorem habent." „Quia [tamen] voluit Deus ad homines per homines humano modo loqui, ut sic condescenderet ad homines, voluit modum scribendi et scripta, quibuscum varii defectus litterarii [etiam errores] naturaliter nectuntur. Hi igitur defectus reducendi sunt ad defectibilitatem causarum secundarum, quas Deus ad scribendum elegit et movit, non vero ad Deum, nisi ut ad causam per accidens, quatenus eos praevidit neque impedivit". „Voluitne ergo Deus defectus litterarios [quoad ipsum sensum et veritatem]? Di-

[1]) Lagrange sententiam et tendentiam hanc non obscure aperuit hisce verbis: „Pour nous, Dieu veut le livre, avec ses pensées et leur expression . . *Nous ne voulons pas nous montrer plus étroits que Franzelin, mais plus larges.* Il a renoncé à soutenir que les mots étaient des verba Dei, parcequ'il lui a paru difficile de leur reconnaître cette perfection des choses immédiatement divines. *Nous avons demandé la même liberté pour les pensées,* et ce n'est pas dès lors sans inconvénient qu'on les nommerait des sensa Dei, expression qui deviendrait facilement exclusive" *(Revue biblique 1904 p. 294);* similia exhibet abbas quidam *(Ford)* in *The Tablet 1905 p. 83 sq.* — Cf. Pesch *p. 463.*

stinguendum est: eos certe non per se intendit, sed eligens instrumentum defectivum praevidit defectus futuros et permisit seu, ut alii dicunt, per accidens eos voluit".[1])

II. Nos e contrario tenemus: per se et necessario ejusmodi verborum materialium in individuo determinationem ad inspirationem ejusque essentiam non pertinere. Qua in re sequimur Suaresium, Bellarminum, Lessium: sententiam eandem nostris temporibus fere communiorem tenent Franzelin, Mazzella *de virt. infus. n. 960 sqq*, Schmid *258 sqq*, Crets *204 sqq*, Pesch *444 sqq*, De San *303 sqq;* hic quoad quaestionem juris rem censet omnino esse certam.

Ad statum quaestionis. — 1. *Dicimus imprimis:* verborum materialium in individuo determinationem non esse de essentia inspirationis i. e. ad inspirationem s. Scripturae non esse necessarium, ut omnia et singula vocabula in ultima sua determinatione homini hagiographo divinitus suggerantur. Ad quod recte intellegendum nota:

a) Inspiratio certo certius aliquo modo etiam ad haec vocabula se extendit. Cum *enim* liber in eo sit, ut certa et determinata judicia seu sententiae *(verba formalia mentis)* vocabulis exprimantur materialibus et haec in ordine ad sensum et judicia exprimenda non sint plane indifferentia, ecce neque Deus prorsus indifferens esse potest, quibus vocabulis liber componatur; curare debet, ut saltem apta et idonea eligantur vocabula et signa externa.

Insuper inspiratio lumen quoddam charismaticum essentialiter infert, quo hagiographo determinata judicia seu sententiae scribendae qua scribendae illucescant. „Sicut autem — ita Pesch *n. 473* — homo, qui modo plane naturali librum componit, cum primum ideam libri vel sententiae hic et nunc scribendae perfectam

[1]) Quid de valore hujus sententiae sub respectu ad ipsam veritatem dicendum sit, postea audiemus. Intelliges autem vel nunc dilemma perspicuum: Horum errorum Deus *aut* est auctor principalis *aut* non; si non, sententiae istae, in quibus error vel defectus litterarius occurrit, neque inspiratae sunt: si est eorum errorum auctor principalis, blasphemia in promptu est contra Deum veritatis.

in mente habet, eo ipso aliqua ratione etiam determinatus est ad certa verba adhibenda, ita idea in mente hagiographi supernaturaliter producta non potest esse sine ulla efficacia circa determinationem verborum materialium; nam res vel sententia in individuo determinata non potest quibuscunque verbis exprimi. Ergo natura rei dicendae intra certos limites includit delectum verborum". Et ideo omnino requiritur, ut inspirator Deus sacrorum librorum auctor sit etiam aliquatenus quantum ad verba materialia, indeterminate nimirum et generice sive disjunctive.

b) Etsi vero sic cum ipsa inspiratione ipsarum veritatum psychologice cohaeret aliqua determinatio etiam vocabulorum, in quantum haec in genere apta et idonea inveniuntur ad eas exprimendas, non tamen cum ejusmodi generica determinatione necessario aderit selectio verborum materialium usque ad ultimas particularitates seu individua determinatio. Determinatio enim, quae psychologice cum inspiratione judiciorum et veritatum licet clarissime jam conceptarum cohaeret, aliquam adhuc liberam electionem admittit; neque enim cogitationes, quas aliquis in mente gerit, determinatum prorsus nexum ad fixa et determinata vocabula habent, ita ut uno tantum et non alio modo exprimi possint; neque veritas menti immediate exhibetur in ejusmodi vocabulis, sed potius per phantasma. Et ideo ratione istius inspirationis genericae et implicitae verborum materialium nondum tenere debemus, quod singula vocabula vel singulae constructiones grammaticae in individuo determinentur. — Quoad signa igitur ista eligenda libertas quaedam remanere potest, quamvis judicia ipsa exprimenda omnino jam divinitus determinata sint. Et hanc libertatem nos pro hagiographo retinebimus.

c) Verba igitur materialia in individuo per Deum inspirantem non necessario determinantur; *tamen* etiam in hac individua selectione verborum caveri debet, ne hagiographi sententias divinitus acceptas inepte exprimant vel detorqueant; ideo assistentia quaedam divina se adjungit, qua verborum electioni invigilatur. Verbis enim ineptis jam ipse sensus depravaretur; et ipsa sententia ejusmodi verbis expressa jam non esset illa, quam Deus voluit manifestare hominibus; cf. Pesch *n. 473 sqq.*

Inde eluditur *exceptio* ista, quod sacer scriptor errare possit in legitima expositione judiciorum Dei, si electio verborum ejus libero arbitrio relinqueretur. — Quod autem propter hanc assistentiam inspiratio cum infallibilitate magisterii ecclesiastici confundi nequeat, sufficienter jam olim expositum est. In infallibilitate nimirum sola haec assistentia essentialiter requiritur: inspiratio autem praeter eam positivum quoque Dei influxum in intellectum et voluntatem et externas facultates executivas essentialiter requirit et exigit.

2. *Dicimus alterius:* determinationem ipsorum vocabulorum per se non requiri; et ita permittimus, quod per accidens vel de facto in quodam casu peculiari ejusmodi determinatio divinitus fieri potuerit vel etiam fieri debuerit, quando nimirum in ipsis vocabulis speciale momentum habetur.

Talis determinatio fieri potest v. g. si quis ad poëma scribendum inspiratur, vel ad historiam ex certis fontibus conscribendam vel alia hujusmodi, quae determinatum scribendi genus inferant et circa determinatam omnino materiam versentur. Certe si quis unam tantum linguam calluerit, lingua ipsa pro libro scribendo determinata erat: si quis ad genealogiam describendam inspiratus est, nomina, quae in hac genealogia exhibenda erant, eorumque fere ordo determinata erant.

Attamen hoc non est repetendum ex ipsa ratione inspirationis qua talis, sed habetur ratione circumstantiarum peculiarium externarum et materiae scribendae. Et ideo ista determinatio ad essentiam inspirationis non magis pertinet quam suppeditatio v. g. chartae vel atramenti aliarumque rerum, quae necessariae sunt ad scribendum. Si igitur in ss. Scripturis textus inveniuntur, qui ejusmodi dictationem ipsorum vocabulorum pro particularibus locis ingerant, non labitur inde sententia nostra.

§ 2. Inspiratio verbalis excluditur.

1. Primum argumentum procedit ex notissimo principio, quod ea, quae sunt fidei, non praesumenda neque absque ratione necessaria vel certa asserenda sunt; inde sic argumentamur. — Id quod hucusque de sacra inspiratione ostendimus et quod solum cum certitudine probari potest, his fere comprehenditur: vi inspirationis Deus vere dicendus est auctor proprius Scripturae; auctor autem libri vere et proprie merito dicitur, qui ea, quae

in libro essentialia sunt, veritates nimirum conscribendas, eorumque scriptionem determinavit. *Atqui* selectio vocabulorum in individuo facienda, modus dicendi, in quantum veritates enuntiandas quoad sensum non modificat vel alterat, ad essentiam libri non pertinet. *Unde* ex iis, quae hucusque ex fontibus revelationis audivimus, necessitas inspirationis ipsorum in individuo verborum materialium probata non est, neque probari potest. Deus enim manet auctor s. Scripturae quoad essentiam vel simpliciter loquendo, etsi non omnia verba omnesque phrases in individuo suppeditaverit, dummodo curaverit, ut res et veritates in eo sensu, quem ipse intendit, convenienter conscripta sint.

Quia *porro* neque aliunde hucusque sufficiens argumentum pro hac re prolatum est, merito illa notio inspirationis nimis coarctata relinquitur, quae et ipsam dictationem verborum materialium requirat.

II. Ex ipsis *porro* Scripturis etiam contrarium ostendi potest: auctores humanos *nimirum* in modo scribendi plerumque non ad unum modum determinatos fuisse, sed quadam libertate in seligendis vocabulis usos esse.

a) Ratio *prima* est ipsa elocutionis et stili diversitas in diversis hagiographis, diversae eorundem respondens indoli vel eruditioni. *Atqui* si Deus ipse etiam stilum directe et determinate rexisset, non jam apparet ulla ratio, cur alium apud alios scriptores elegisset stilum.

De ipsa stili diversitate audias s. Hieronymum disserentem: „De Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus est, quippe vir nobilis et urbanae eloquentiae, nec habens quidquam in sermone rusticitatis admixtum . . Jeremias sermone quidem apud hebraeos Isaia et Osea et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par etc. . .“ — Idem testatur s. Augustinus, qui et rationem, cur Deus ejusmodi diversitatem permiserit, exhibet *de consensu evangelist. III n. 28* hanc: „ut nimirum, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus, non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos qui non eadem locutione utuntur, cum

rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus".

b) Quam hucusque in genere quoad universam Scripturam assignavimus rationem, haec in specie urgeri potest etiam in concretis exemplis, quae ibi inveniuntur. Et nota hac in re satis esse, ut vel in uno libro sacro ostendatur ejusmodi verbalem inspirationem deesse: quae enim de essentia sunt, ubique debent verificari.

Ita evangelistae v. g. eosdem Christi sermones aliis atque aliis referunt verbis, id quod maxime apparet in quadruplici enarratione institutionis Eucharistiae: aliud exemplum invenias quoad unum et eundem psalmum, qui magna cum differentia verbali refertur *2 Reg 22* et *Ps. 17* etc. — Haec autem diversitas non explicabitur in sententia, quae dictationem ipsorum verborum retinere vult; aptam vero invenit rationem, si hagiographi libertate usi sunt in dispositione et selectione vocabulorum.

Excipiunt, rem inde explicari posse, quod Spiritus Sanctus in omnibus sese ingeniis hagiographorum accommodaverit iisque eas voces suggesserit, quas ipsi electuri fuissent, si proprio marte scripsissent. Attamen si haec est intentio divina, eundem effectum facilius Deus obtinere potuit, cum sacros scriptores hac in re simpliciter propriae indoli reliquit; et cum entia non sint multiplicanda sine ratione, huic potius modo standum erit. — De instantiis ulterioribus cf. Pesch *n. 458.*

c) Ipsi sacri scriptores modum loquendi sibi expressius quoque attribuunt ejusque defectus excusant, quemadmodum s. Paulus facit dicens: „Etsi imperitus sermone, sed non scientia" *(2 Cor 11, 6);* et auctor *2 Mach,* qui in fine capitis 15 scribit: „Ipse hic finiam sermonem: et si quidem bene et ut historiae convenit, hoc et ipse volui; sin tenuiter et mediocriter, hoc est quod assequi potui". Cum autem hagiographi non bene loco Dei se excusare dicantur, ipsi totidem verbis vestitum litterarium sibi adscribere videntur.

Tandem defectus stilistici, anacolutha, menda grammatica et alia hujusmodi non bene conveniunt cum dignitate divina. De industria enim Deus in adversa sententia ejusmodi defectus elegisset; id quod nemo cordatus homo unquam faceret. Neque ulla ratio sufficiens inveniri potest, cur S. Spiritus tales defectus a priori determinaverit, prae-

sertim cum inde non raro ipse sensus et intellectus impediatur.

Neve *exceperis:* 1. Patres de inspiratione saepissime verba psalmi 44 inculcant: „Lingua mea calamus scribae velociter scribentis", quibus hagiographus calamus declaretur, inserviens auctori Spiritui Sancto. *Atqui* calami non est determinare verba, ne materialia quidem. — *Resp:* Vi scripturae ipsius verba ista urgeri nequeunt, nisi forsitan de ipso psalmo particulari, unde depromuntur; quae autem de uno psalmo (mere affirmative) proferrentur, immerito statim ad integram extenderes Scripturam. — Neque tamen in ipso illo psalmo comparatio illa nimis premi debet; secus homo ad ordinem instrumenti irrationalis deprimeretur, id quod certo certius nimium et falsum est. — Unde illa verba aptius his exponuntur: quod psalmista tunc adeo commotus fuerit, ut lingua ejus quasi calamus scribae expedite et sine offensione sensus occurrentes exprimeret, tamen suo modo suisque vocabulis.

2. Quodsi rem suam textibus stipare conantur, quibus hagiographi in Scriptura interdum jubentur scribere „verba Dei", manifesto verba formalia seu sensus divinos cum verbis ipsis materialibus confundunt; „sicut enim ‚loqui verba Dei' non significat repetere materiales sonos a Deo productos, ita ‚scribere verba Dei' non significat chartae commendare materialia signa a Deo electa et determinata" (Pesch *n. 456*). — Et cum iterum verbis insistunt, quae leguntur *Jer 36, 18:* „ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos", immerito ex particulari casu, qui tunc huic prophetae accidit, concludunt: ergo ipsa inspiratio quoad scripturam integram istum in modum facta est.

3. Immerito *denique* verba Christi Domini in disputationem ingerunt: „donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant" *(Matth 5, 18)*, dicentes et argumentantes: Divina inspiratio eousque extenditur, quousque necessitas et auctoritas Scripturae propria se porrigit. *Atqui* haec ex verbis Christi extenditur etiam ad apices et minimum quodque, quale „jota unum" est. *Ergo* etiam haec per inspirationem determinata sunt. — Neque *enim* Christus illis verbis aliud insinuare voluit, nisi quod minimum quodque mandatum in Scripturis contentum observandum sit; nam statim pergit: Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis". Ideo merito *distingues*: ista verba Christi urgentur quoad rem legis *cc.* quoad modum ipsum leges exprimendi *subd.* in quantum hic modus necessario ad rem exprimendam requiritur *cc.* in quantum de se indifferens est *ng.*

Largiora hac de re argumenta et rationes videas Pesch *n. 457 sqq.*

III. Quid hac in re ss. patres nos edocent?

1. Patres diserte vel explicite de nostra quaestione nuspiam disputaverunt; ea vero, quae hinc inde disputationibus suis immiscent, aut obscuriora sunt, quam ut inde efficax pro sententia adversa argumentum depromas, aut eidem etiam contraria apparent.

a) Interdum quidem data occasione ea verba immiscent, quae, si doctrina eorundem integra non bene perpenditur, facile ab adversariis in suum sensum convertantur. Huc in genere referas, quas adhibent analogias et similitudines, quibus hagiographos cum lyra, cithara, plectro, calamo comparant, quibus „Spiritum Sanctum scribenda dictasse" pronuntiant. „Dictare autem, ita Gregorius M., verba ipsa determinare significat". — Emphatice etiam patres inculcant, a Spiritu Sancto omnes et singulas voces, apices etc. esse: „Neque enim syllaba, ita Chrysostomus *in Gen hom 21, 1,* neque unus apex est in Scriptura, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus". Alia recollige apud Pesch *n. 462 sqq.*

Certe si tales modi loquendi urgentur, verbalis inspiratio facile infertur; attamen — et in hoc jam infirmatur illatio - simul inferretur inspiratio quaedam mechanica vel mantica, quam nemo theologus cordatus admittet. Ideoque vel sic cogimur, ut locutiones istas considerenus accuratius easque illustremus ex iis, quae alibi de eadem re iidem patres docuerunt.

Ita, ut exemplum tibi sumas, auctor *cohortationis ad graecos* et ipse analogiis illis utitur (cf. supra *p. 55*); sed etiam laudat hagiographos, „quibus nec verborum artificio opus fuit nec pugnaciter quidquam et rixandi studio dicere". Laudi vero libera quaedam determinatio ex parte scriptoris respondeat oportet.

Similes observationes apud omnes fere et singulos auctores repeti possunt, qui pro inspiratione verbali communiter invocantur. Ita Origenes magnopere inculcare videtur, Spiritum Sanctum operatione sua non voces tantum, sed etiam singulos characteres attigisse, iisque tantum sensus indidisse, quantum sin-

guli capere possint . . . Nihilominus idem Origenes in epistulis s. Pauli „elocutiones etiam confusas et minus explicitas" invenit et monet in legenda Scriptura non multum de nominibus et sermonibus curandum esse, quae per singulas gentes diversa sint, magisque attendendum esse, quid significetur, quam quibus verbis. — Audiamus, qua ratione de stili indole judicet quoad epistulam ad hebraeos: „Stilum, inquit, epistulae quae inscribitur ad hebraeos carere illa sermonis rusticitate, quae propria est apostoli, quippe qui rudem atque imperitum sese confitetur in sermone i. e. in forma ac ratione dicendi; verum epistula illa in verborum compositione majorem praefert graeci sermonis elegantiam . . Ego vero ita censeo sententias quidem apostoli esse, dictionem autem et compositionem verborum esse alterius cujusdam" (Euseb. *H. E. VI 25*).

Similiter Ambrosius ex singulis quibusvis vocabulis altissima eruere conatur mysteria. Tamen et ipse: „In divinis, inquit, Scripturis non verborum seriem, sed rerum pondus examinare debemus"; et scit in Scriptura, qua utitur, verba saepe esse mutata; quare potius quam verba „sensus nobis spectandus est semper".

Eadem valent de Chrysostomo, et facile de omnibus, qui ab adversariis testes inducuntur. Quare absque periculo erroris iis subscribas, quibus Pesch suam hac de re disputationem concludit: „Si (patrum horum effata) cum aliis eorum dictis comparantur, emphatice tantum efferunt omnium verborum formalium i. e. rerum et sententiarum inspirationem; saepe enim verba materialia non ex electione Spiritus Sancti, sed ex electione et propria indole scriptorum humanorum explicant" *(n. 465)*.

b) Inspirationem verbalem autem certo certius denegant Hieronymus,[1]) Theodoretus, Augustinus, de quibus cf. Pesch *l. c.* Unde argumentatio ex consensu ss. patrum pro inspiratione istiusmodi institui non potest.

Ut saltem unum adferamus exemplum, animadverterat s. Augustinus, quod evangelistae eadem aliorum dicta non iisdem verbis retulissent, et: „nullo modo, inquit, hinc laborandum esse judicat, qui prudenter intellegit ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae. . . Ut enim quisque (ex evangelistis) meminerat et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est" *(de consensu ev. II 12, 27 sqq)*.

2. Idem dixeris de temporibus posterioribus, maxime iis, quibus theologi jam diserte et ex professo hanc quae-

[1]) C. Schade *Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus § 5.*

stionem movere coeperunt. Id quod factum est saeculo fere nono, quando Fredegisus abbas haec „de prophetis et apostolis cogitabat, ut non solum sensum praedicationis et modos vel argumenta dictionum Spiritus Sanctus iis inspiraverit. sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ore illorum formaverit". Statim enim adversarium invenit Agobardum, qui istam opinionem ut absurdam reprobaverit.

De sensu s. Thomae dubitatur; apud plerosque vetustiores scholasticos altum silentium observatur. Postquam vero inter recentiores Bannez doctrinam de inspiratione verbali propugnavit, eam schola thomistarum quidem communiter tenet, sed ut probabiliorem tantum. Ex altera autem parte numquam deerant, qui se opponerent. Unde luce clarius constat, pro inspiratione verbali ad doctrinam traditionis formaliter talem provocari non posse.

§ 3. **Doctrina ab exceptionibus defenditur.**

1. Deus, ajunt, charisma inspirationis non tribuit ad concipiendas certas veritates mentaliter, sed praecise ad hoc, ut veritates scribantur. *Atqui* scribi nequeunt sine determinatis verbis ipsis materialibus. *Ergo* divina inspiratio etiam determinata verba respicit. — Facile jam distingues: Deus inspirationem tribuit ad scribendas determinatas veritates *cc.* ad has ipsas veritates etiam determinatis in individuo verbis et signis exhibendas *ng.* (saltem donec cum evidentia probetur).

Cum certitudine nempe probare possumus solum hoc: Deum esse Scripturae auctorem. Neque tamen Deus, ut esset librorum auctor, influxum suum necessario ad materialem scriptionem extendere debebat, quasi et ipsam manum scriptoris dirigere debuisset: sicut neque influxus auctoris humani, qui adhibet scribam, se extendere debet ad formationem ipsorum characterum. Si autem hoc a priori non est necessarium, neque a priori i. e. *ex notione auctoris libri* vel *instrumenti* Deo adscribi debet, quousque influxum suum extendere debeat in inspiratione librorum suorum; cf. Pesch *n. 471.*

Prorsus immerito autem instant excipientes: ex natura rei esse, ut uni cogitationi non possit respondere nisi una expressio. Hoc *enim* contra omnem experientiam est et contra factum, quod in omnibus linguis locutiones inter se plane synonymae inveniuntur. Potest igitur aliquis omnino perfecte et clare jam scire, quid dicendum sit, per phantasma nimirum, quod determinata verba non respicit; et tamen anceps haerere, quem ex modis

synonymis eligat, vel si plures calluerit linguas, quamnam linguam adhibeat etc. Cf. Pesch *n. 472.*

2. Attamen nonne Deus est auctor totius scripturae ita, ut de singulis libris repeti possit: Hic liber a Deo integre conscriptus est? *Atqui* ad integrum librum non solum res et veritates spectant, sed et verba materialia et constructiones grammaticae, et alia hujusmodi. *Ergo* etiam sub hoc respectu a Deo et ex ejus inspiratione determinari debet. — Et certe si in libro distinxeris elementum essentiale ab elemento materiali, hoc autem ab ipso directo influxu divino exemeris, liber jam secundum aliquid sui non esset a Deo.

Resp: a) Ut rite respondeas ad hanc exceptionem, recolligas, quae supra accuratius exposuimus:

α) Quod liber etiam in sua integritate spectatus ab aliquo auctore vario modo profluere potest. Potest auctor per semetipsum librum conficere; in hoc casu utique etiam literas et signa materialia omnia ipse consignare debebit. Potest auctor adhibere scribam; deinde certe signa materialia non per semet exhibebit. Potest denique adhibere etiam amanuensem, qui ideis per auctorem assignatis, vestitum tribuat litterarium. In omni casu auctor causa totius libri manere potest. Et ita etiam liber sacer triplici isto modo per se a Deo procedere potuit: sensu primo et strictiore, sed et sensu largiore. Solo sensu primo supposito exceptio adversariorum valeret, non in altero vel tertio. Quamdiu autem strictior sensus non probatur, in largiore remanere possumus.

β) Est autem etiam sic Deus vero et proprio sensu auctor librorum suorum idque in tota eorum amplitudine. Ad hoc enim ut Deus vere auctor libri totius sit, sufficit ut tanquam causa efficiens principalis omnia contribuerit, quae pertinent ad formale libri. Hoc per se manifestum est; uniuscujusque enim operis ille dicitur auctor, qui impressit operi formam, unde illud habet ut sit tale opus; quemadmodum sculptor, licet non sit auctor materiae proxime requisitae ad faciendam statuam, recte tamen dicitur esse auctor statuae, quia impressit ei formam statuae.

γ) *Porro* ad partem formalem cujuscunque libri manifeste pertinet omne id et id solum, quod ut finis operis ab auctore libri proxime et per se intenditur; ergo certe verbum formale h. e. omnes res et sententiae, cum omnis liber ex natura sua sit instrumentum destinatum ad talia manifestanda. Utrum vero etiam dispositio sive ordo sententiarum, verba materialia et stilus perti-

neant ad partem formalem libri, repetendum est, uti diximus, ex fine, ad quem pro peculiari sua indole destinatur liber. — Et loquendo de libris divinitus inspiratis, haec omnia plerumque pertinent ad partem materialem libri i. e. ad ea, quae, utrum hoc potius an alio modo ponantur, indifferenter se habent ad finem ab auctore per se intentum.

δ) Haec utique et ipsa aliquatenus per se intenduntur, sed solum sub generaliore respectu, quatenus nimirum apta sunt ad sensus auctoris recte exprimendos. Quando autem plura vocabula, plures rerum ordines pluraque genera dicendi per se idonea ad sensa divina vere et sincere exprimenda adsunt, ratione auctoris non requiritur, ut eorundem determinatio individua ab auctore procedat. Cf. De San *o. c. n 270; 303.*

b) Facile igitur *distingues:* Deus est auctor totius Scripturae, essentiam quod spectat et quantum ad illud, quod per se intentum est in conscriptione libri *cc.* etiam eorum, quae prorsus indifferenter se habent ad finem libri *subd:* auctor est etiam horum ex determinatione magis implicita et generica *cc.* quasi determinare deberet ejusmodi res in individuo *ng.* — Pariter distingues reliqua in argumentatione.

Ex iisdem principiis respondebis ad alterum incisum: *si materiale elementum distinxeris idque ab influxu inspirativo exemeris, Deus ex aliqua parte non erit auctor libri; distinguas*: non erit causa in individuo determinans hanc partem de se indifferenten *cc.* non erit causa sub generica ratione determinans eam *ng.* et *ng. suppositum*, auctorem plus quoad hoc elementum materiale praestare debere.

3. Ultimis temporibus nostris huic maxime insistunt exceptioni: a) Homo qua homo a Deo ut instrumentum ad Scripturam conscribendam adsumptus est; ergo quoad omnes facultates, quae ex parte hominis ad scribendum requiruntur. *Atqui* si scriptionem materialem exemeris ab inspiratione, homo ex hac parte, facultatem suam exerens mechanicam seu executivam, jam non esset instrumentum praecise qua homo.

Resp: tr. M. et illatio inde facta. — Dist. min: si ista materialia nullatenus determinata essent, neque sub generica ratione, cui additur specialis assistentia *cc.* vel *tr. m.;* si facultas hominis, generaliore determinatione recepta circa

haec quoque materialia, libertate quadam fruitur circa individuam tantum electionem eorum *ng. m.*

b) *Instant:* Ast instrumentum qua tale nihil agit nisi ex influxu causae principalis! — *Dist:* Si agitur de instrumento inanimi et mere passivo *tr.* si agitur de instrumento animato et libero *subd:* nihil ex propria determinatione aget eorum, quae necessario respiciunt ipsum finem operis vel ipsum opus ab auctore per se intentum *cc.* nihil eorum, quae sufficiente determinatione suppeditata prorsus indifferenter se habent ad hujusmodi finem *ng.*

Ad rem animadvertit Pesch *n. 471:* „Certe non est vis ejus [rationis ad adversariis allatae], ut a priori Deo praescribi possit, quantum extendere debeat influxum suum, si omnino inspirare velit hominem ab scribendum librum; sed eatenus tantum valet ratiocinium eorum, in quantum ex traditione, i. e. tandem aliquando ex revelatione divina, constat Deum voluisse facere sacros scriptores instrumenta sua non solum quoad veritates omnes communicandas, sed etiam quoad ipsa verba materialia. De hac autem disputatur. Est enim homo, etsi realiter unus, tamen virtualiter multiplex; ergo qui eo utitur ut instrumento, potest eo uti secundum unam virtutem et non secundum alteram. Ideo potest alter alterum inspirare et movere ad scribendum multipliciter. Idem valet de Deo, qui, si intellectum et voluntatem hominis movet, etiam physice, ad determinatas res scribendas, relinquens ei electionem verborum materialium, in quantum sunt indifferentia ad res apte exprimendas, vere est inspirator et principalis scriptor libri non minus, immo magis quam homo, qui eodem modo ageret, quia Deus intrinsecus movet intellectum et voluntatem scriptoris, cum homo solum possit extrinsecus in alterum agere. Si in intellectu et voluntate hominis totus motus ad has vel illas determinatas veritates literis consignandas est a charismatico Dei influxu, negari nequit hominem esse instrumtum Dei, quamquam Deus non in individuo verba materialia determinat".

Insuper si rigidiore modo rationem suam premunt, necessario ad absurdam vel saltem valde improbabilem illationem adducantur oportet: quod Deus positivo motu et influxu etiam modum et figuram ipsarum litterarum seu characterum dirigere et imprimere deberit, ut essent vel grandiores vel minores, hujus vel illius stili et modi et alia hujusmodi. Ratio igitur ista, quae sic nimium probat, merito spernitur.

Caput V.

De criteriis inspirationis.

Quaestio de criteriis est quaestio de modo cognoscendi inspirationem. Unde statim exurgit quaestiuncula methodica, num disputatio de criteriis apte hoc loco inferatur, et non melius toti tractatui praemitteretur. *Etenim* antequam de inspiratione ejusque natura et existentia omnino disputatur, necessario discussio instituenda esse videtur, unde argumentationes et media cognitionis depromantur.[1])

Rem paucis expediamus. — Inspiratio certe contingit in ordine historico idque ex providentia divina supernaturali. Apprime autem patet tale factum ex testimonio Dei seu ex divina revelatione cognosci posse, quemadmodum et alia fidei dogmata: id quod expressa probatione non eget. Quare merito nos omnes quaestiones, de quibus hucusque disputavimus, ex fontibus revelationis dilucidavimus, quin hanc de criteriis inspirationis disputationem praemiserimus.

Sed nonne nos ipsi etiam nunc quaeremus et hoc, num ejusmodi revelatio divina aptum exhibeat inspirationis criterium? (cf. *§ 2 sequentem).* — Utique; attamen nunc de revelatione, ut est inspirationis criterium, non tam anquirimus affirmative; sed exclusive potius hac in re solliciti erimus, num inspiratio sive ut simplex factum sive potius ut in concretis libris actuatur, ex sola revelatione an etiam ex aliis fontibus dijudicari possit. Si autem hunc in modum quaestio proponitur, inspirationis notionem quoad internam suam rationem, et consequenter quoad suam existentiam jam cognitam supponit; et ideo nonnisi postquam ex verbo Dei revelato naturam inspirationis cognovimus, quaestioncm aggredi possumus, num et quae alia ejusdem criteria inveniantur vel inveniri possint.

[1]) Crets *de inspiratione* 8.

Quare re in abstracto quidem considerata aliquis animadvertere potest, hoc caput de criteriis inspirationis totum tractatum inaugurare debere; si vero doctrinam in sua complicatione et connexione attenderis, methodus, quam nos tenuimus, si non ut unice legitimus pronuntiari debet, certe vitio caret. — Neque opus est, ut Pesch *n. 583* animadvertit, (in re evidenti) prius per doctam dissertationem statuere, quae affirmative hujus doctrinae criteria sint, dummodo nulla adhibeantur, contra quae validae exceptiones fieri possint. Talia vero non sunt fontes divinae revelationis.

§ 1. Praenotationes.

Criterium inspirationis, ut facile ex nomine intellegitur, id dicitur, quo liber inspiratus a non inspirato certo dignoscitur. Ejusmodi criteria diversa a diversis auctoribus statuta sunt, quorum complura certo falsa et inepta, alia sive ratione sui sive ratione finis saltem (ut v. g. omnes libri inspirati agnoscantur) insufficientia inveniuntur; de quibus ex ordine in sequenti tractatione agendum erit.

1. Dividi autem criterium potest in positivum et negativum. Negativum est illud, ex cujus praesentia certo cognoscam librum aliquem non esse inspiratum v. g. si quis liber manifestos errores continet aut pietati vel bonis moribus adversatur, si post tempora apostolica conscriptus est, si scriptor ejus homo plane perversus est et alia hujusmodi. Positivum criterium illud est, quod ex sese positive ipsam inspirationem libri manifestam reddit.

Positivum cr. iterum est *aut* internum *aut* externum. Internum criterium illud esset, quod desumeretur *aut* ex indole ipsius libri vel auctoris ejus *(int. objectivum) aut* ex interna experientia legentis (*int. subjectivum),* eo quod hic in legendo gustum aliumve suavem affectum in se sentiret. Ejusmodi interna criteria multum a protestantibus laudantur; de facto nullum quoad inspirationem probatur. — Externum *porro* criterium est, quod a ratione Scripturae per se externa desumitur v. g. ex traditione judaeorum, ex testimonio Christi et apostolorum, ex magisterio ecclesiae; hoc solum sufficere in re nostra, postea ostendemus.

2. De necessitate criterii non est multum disputandum. Ejusmodi criterium necessarium esse per se patet; cum enim libri inspirati non sunt soli in hoc mundo, cum in se sacri libri omnino simillimi appareant aliis, modum habere debes, quo inter illos discernas.

Hoc eo magis erit necessarium, quod jam a primis ecclesiae saeculis haeretici et ipsi „inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperam scripturarum, quas ipsi finxerunt", attulerunt (Irenaeus *adv. haer. I 20, 1). — Ex altera parte*, quemadmodum olim judaei multos libros genuinos reprobabant, ita similiter postea protestantes non paucos libros tam veteris quam novi testamenti ex canone expunxerunt; imo inter ipsos catholicos per aliquod tempus controversiae movebantur de admittendis quibusdam libris canonicis, ut de ep. Hebr. vel de Apocalypsi. — Sub his conditionibus media praesto esse debent, quibus librum genuinum a falso dijudicemus i. e. criterium.

3. Quale autem esse debet ejusmodi criterium? — Agitur de re proxime connexa cum revelatione divina, in qua non unus vel alter, sed fideles in communi cum certitudine saltem morali procedere debemus. Quare criterium inveniatur oportet, quo non aliqualiter vel probabiliter tantum, sed certo discernere possimus — non solum unum vel alterum librum, sed omnes, quos divina providentia ad publicam fidei aedificationem destinavit; — quo non solum doctissimus quisque, sed et simplices fideles non ita difficulter fontes saluberrimae instructionis inveniant.

4. Dupliciter haec quaestio de modo inspirationem agnoscendi institui potest. Quaeri potest, qua ratione a nobis haec cognitio acquiri possit, ad quos post tot saecula libri isti demum pervenerint. Quaeri etiam potest, quomodo ab initio vel origine, ubi primum libri ex inspiratione conscripti sunt, cognitio ista haurienda fuerit. De hac altera re statim agemus in paragrapho sequente.

§ 2. De originaria inspirationis manifestatione.

Certum est, inspirationem simpliciter a priori cognosci non posse. Est enim inspiratio factum quoddam et tale factum, quod a sola libera divinae voluntatis determinatione dependeat; quod autem ejusmodi est, a priori neque ex ipsa essentia divina in se considerata neque

ex ullo principio universaliori constare potest; imo non est medium nisi ipsa manifestatio divina. Sic tenemus: Originarie de inspiratione certorum librorum constare ut oportet non potest, nisi ex ipsa revelatione divina. — Dicimus *„ut oportet“* i. e. debita certitudine necessariaque universalitate et ex parte librorum et ex parte fidelium.

Demonstratio: Inspiratio ut factum concretum in sua origine *aut* cognoscitur per declarationem expressam Dei seu revelationem *aut* ex ipsa actione inspirationis; haec vero considerari potest *aut* active, ut est ipsa operatio divina ad extra, *aut* passive, in quantum ut motio divina in aliquo subjecto (hagiographo) recipitur, *aut* terminative, ut est ipse liber inspiratus, quasi liber semel divinitus inspiratus necessario hanc suam divinam indolem prodere deberet. — Ipsa actio nunc, sub nullo respectu in se ex formali ratione inspirationis dignosci potest.

a) Certe non in quantum active considerata ipsa operatio divina est; talis enim ex natura sua homini manifesto impermeabilis manet ut ipsa natura et entitas divina, quacum re idem est.

b) Neque ut passive considerata, inspiratio sufficiens et necessarium signum divinae originis secum fert. Ut talis *enim* inspiratio per se est motio quaedam supernaturalis divina in hagiographo recepta, quales sunt et motiones gratiae actualis *(illustrationis et inspirationis).* Hae autem certe non necessario divinam suam indolem cognoscibiliter manifestant, persaepe ne pro ipsa quidem persona, quae inde commovetur, multo minus pro hominibus extraneis, pro quibus totus actus plane insensibilis et incognoscibilis manet. Qua in re etiam attende, quomodo Deus in ipsa inspiratione naturae ita se accommodare potuerit, ut causis de se naturalibus uteretur. Cf. *supra p. 114* et *infra § 5.*

c) Adhuc cogitaveris de termino inspirationis, de libro nimirum, qui ex inspiratione divina procedit: quasi

hic saltem, divinitus semel inspiratus, hanc suam indolem et originem necessario prodere debeat. — *Attamen* per se et a priori neque hoc teneri potest. Ita neque actus illi supernaturales externi, qui ex gratia fiunt actuali (cogita v. g. de largitione eleemosynae salutari), in se inspecti ab actibus humanis naturalibus discerni possunt; neque qui mirabiliter olim sanati sunt per Christum, in corpore sanato notam distinctivam miraculosae sanationis qua talis circumferebant. — Et ut intellexeris paritatem, cogita, quod neque libri inspirati per solum Deum, sed mediante humano quodam instrumento mediis humanis iisdem, quibus et alii libri profani, in externa sua apparentia procedunt: scribuntur in eadem charta, eodem atramento, iisdem characteribus iisdemque notionibus, phrasibus, eademque lingua, quibus reliqui inter homines libri. Unde hi libri, externam habitudinem quod attinet, profanis prorsus similes apparent nec quidquam prae se ferunt, quod eos discernat.

d) Ne tamen falso quae dicimus intellegas, attende: Nos non dicimus, Deum inspirationem ita exercere non posse, ut non statim in se agnoscatur;[1]) contendimus tantum, divinam operationem inspirativam non necessario vel natura sua ut talem manifestam reddi, conceptum libri inspirati non qua talem seu ratione sui cognoscibilitatem sibi vindicare, quemadmodum ex. g. quod est album necessario dignoscitur. Negamus insuper libros nostros sacros, ut sunt in concreto, ejusmodi cognoscibilitatem prae se ferre, id quod mox ex professo disputabimus.

Ex dictis simul intellegis, immerito istam fieri argumentationem: Effectus naturam causae suae ex sese manifestat. *Atqui* libri inspirati effectus sunt inspirationis. *Ergo* hanc necessario per sese manifestant. — Haec omnia vera sint, si ipse effectus sub peculiari sua ratione, in nostro casu ut supernaturalis, necessario cognoscibiliter se praebeat; certe admitti nequit argumentatio illa, si cognoscibilitas quoad ipsos effectus jam deficit.

Actio igitur inspirativa nullum de se signum distinctivum exhibet. Ergo nihil restat, nisi ut quoad primam

[1]) Vidimus autem in tractatu de criteriis revelationis in genere, neque hoc fieri posse sine ullo supernaturali effectu ratione saltem ab ipsa scriptione inspirata (locutione divina) distincto; cf. *de religione rev. pars II c. 3 § 4.*

inspirationis manifestationem (originarie) Deus ipse nos instruat; neque enim alius fons hujus cognitionis superest.

Schollon: Nunc exoritur ulterior quaestio, qua ratione hoc ipsum testimonium divinum de inspiratione quorundam librorum inter homines divulgetur et propagetur; neque enim nos primitus libros istos a Deo accipimus. Res breviter his verbis enuntiari potest: divinum testimonium pro integro Scripturae catalogo seu canone sufficienter ex traditione tantum divina seu per magisterium ecclesiae authenticum a nobis cognoscitur. Antequam vero ad hanc conclusionem perveniamus, per partes inquiramus in singulas hypotheses, quae in re nostra excogitari possunt vel etiam excogitatae sunt.

Potest autem *imprimis* iterum cogitari de termino seu effectu, quasi ipsis libris inspiratis notae quaedam (non jam ipsius inspirationis, sed) hujus divini de inspiratione testimonii adhaereant; *vel* cogitari potest de charactere seu indole quadam particulari auctoris librorum, qua divina indoles operum et divina circa eam revelatio immediate nobis aperiatur; *vel* cogitatur iterum de formali testimonio externo, quod, ut ipsam inspirationem, ita etiam divinam circa hanc revelationem testificatur. Hoc *porro* poterit esse divinum in singulis hominibus repetendum, *vel* ipsius Scripturae (non secundum certas proprietates consideratae, sed) hanc rem jam formaliter enuntiantis, *vel* ipsius humani auctoris sive, cum de transmissione agatur, humanae traditionis, *vel* magisterii divina auctoritate instructi sive divinae traditionis. De singulis nobis deinceps agendum erit, ut demum assertum nostrum inconcussum stet.

§ 3. Quid valeat ad testificationem inspirationis Scriptura secundum certas proprietates considerata?

Occurrunt hic imprimis protestantes, qui magisterio authentico atque traditione divina spreta, medio sufficiente externo carent, quo libros inspiratos discernant. Necessitate igitur adacti ad criteria interna se recipiunt, quae ex ipsa Scripturae indole, ex characteribus libris sacris de facto inhaerentibus repetunt. Ejusmodi autem criteria nonnulli ad sexdexim conglobarunt (ex quibus tamen aliqua externa sunt). Praecipua haec fere sunt: historicum quod in miraculis et prophetiis ponunt, quae litteris divinis continentur et quibus earundem doctrina ostendatur divina;

dogmaticum quod exhibetur sanctitate, sublimitate, majestate, perpetua conformitate doctrinae; empiricum quod quaerunt in mira divinae Scripturae ad persuadendum et permovendum efficacia vel quod repetitur ex miris effectibus, quos legentes ex vi verbi Dei experiantur; quibus addi potest aestheticum quod habeas in sublimitate et simplicitate seu in singularitate sermonis (Hurter *I n. 165)*.

Agitur ergo de certis quibusdam objectivis Scripturae characteribus, qui ab adversariis adducuntur tanquam signa *sive* immediate ipsius inspirationis (de qua re in § 2) *sive* saltem revelationis divinae circa inspirationem factae; sub duplici hoc respectu isti characteres considerari possunt; nos tamen sub uno rem absolvemus, cum idem valeat de utroque respectu. — Ceteroquin Scriptura etiam expressum testimonium de sua inspiratione et divina revelatione ferre per se potest; de hoc non in hac quaestione, sed in sequente quodam paragrapho disputabimus. Est autem inter utrumque respectum quoad s. Scripturam distinctum similis fere diversitas, ac quae habetur inter filium regis in externo regio apparatu se praebentem, et eundem disertis verbis asserentem se esse filium regis.

Nos tenemus, inspirationem Scripturae ex characteribus sacris libris inhaerentibus cognosci non posse.

1. Primum argumentum desumitur ex natura ipsa criteriorum internorum. — Ut ejusmodi criteria proferunt ex. g. sanctitatem et sublimitatem doctrinae, gustum quem in legentibus excitant, vel quod miracula et prophetias enarrant. *Atqui* haec omnia ex natura sua indeterminata et vaga, subjectiva et arbitraria et incerta sunt; *ergo* nulla. Quis enim gradum v. g. sanctitatis, sublimitatis, suavitatis doctrinae . . determinabit, qui requiratur et sufficiat ad inspirationem vel divinam revelationem contestandam. Ideoque etiam subjectiva et plus minusve arbitraria esse cognoscuntur: unus enim sufficientem suavitatem vel sanctitatem inveniet, ubi alius sanctitatem prorsus communem, vel etiam stultitiam reperit (cf. *1 Cor 1, 23*).

Eadem criteria non sunt exclusiva; neque enim ex una parte omnes libri inspirati necessario miracula referunt, neque omnes exhibent prophetias, quibus adimpletis eorum inspiratio manifesta fiat, neque omnes

doctrinam sublimem et gustu plenam exponunt; imo neque omnes doctrinam extraordinario modo sanctam praebent, ut nonnulli libri historici veteris testamenti magna saltem ex parte. — *Ex altera parte* vero etiam alii libri, certissime non proprie inspirati, inveniuntur, qui aeque vel magis hisce characteribus exornati sint (v. g. Pastor Hermae, scripta s. Hildegardis vel Gertrudis, Imitatio Christi). Unde immediate ejusmodi criteria simul nimis incerta et ideo insufficientia apparent.

Tandem dato non concesso in ejusmodi characteribus criterium utcunque inveniri — id forsitan demonstrabit nobis divinam ipsius doctrinae indolem; numquid etiam doctrinam divinitus conscriptam esse arguet? Ad inspirationem vero hoc praecise pertinet, ut Deus ipsius libri qua talis auctor sit.

2. Quomodo porro fideles simplices et rudes ejusmodi criteria applicabunt? quaerimus autem criterium authenticum et certum omnibus accommodatum.

3. Haec omnia posteriores protestantes et ipsi perspexerunt et ideo ex internis criteriis unum fere retinuerunt asserentes: ‚Libri illi sunt inspirati, quatenus habent vim inspirandi hominibus sensus religiosos'. Ast contra hoc et ipsum rationes modo expositae plurimum valent. Unde iidem protestantes, „quia haec quoque vis valde diversa est in variis libris, diviserunt libros canonicos in plene inspiratos, semiinspiratos, vix inspiratos, et concesserunt in quibusdam libris non canonicis indolem istam magis inesse quam in nonnullis canonicis" (Pesch *n. 591*). Sed qua ratione deinde istinc criterium desumes?

Ceteroquin et hoc accidit, ut propter similia interna criteria doctiores protestantes rationem inspirationis aut ex integro aut ex parte quoad nonnulla scripta simpliciter etiam denegarent; apud quos facile hanc vel similem argumentationem inveneris: Hic vel ille liber doctrinam nimis sublimem (supernaturalem) vel miracula continet; atqui utrumque cum ratione pugnat; ergo libri isti divinitus inspirati esse non possunt. Hi practice criteria illa ad absurdum deducebant.

Scholion. I. *Excipiunt:* Etiam ss. patres ejusmodi criteriis usi sunt ad inspirationem demonstrandam.

Resp: Distg: utuntur similibus criteriis, ut criteriis negativis *cc.* ut positivis *subd:* ad factum inspirationis aliunde jam cognitum magis confirmandum *cc.* ad ipsam inspirationem primitus cognoscendam et demonstrandam *ng.*

Quamvis enim defendamus, criteria illa interna ad rem plene arguendam minime sufficere, non tamen contendimus eadem prorsus inutilia esse. Sic plurima eorum certe vim negativam sibi vindicant ita, ut, si quis liber doctrinam continet non sanctam, stultam, perversam, evidens sit eum inter libros divinitus conscriptos recenseri non posse. Hac ratione ex ejusmodi criteriis procedentes olim patres libros quosdam apocryphos reprobabant, ut Eusebius *H. E. III 25* argumentans: „Ipsum dicendi genus longe ab apostolica simplicitate discrepat; sensus quoque ipse et quae ibidem traditur fides, cum a veritate et catholica doctrina plurimum quantum aberret, haec haereticorum hominum figmenta esse manifeste coarguit. Quocirca ne inter spurios quidem collocandi sunt, sed tanquam absurdi et impii prorsus repudiandi". — Patet etiam istum procedendi modum aliqualem cognitionem scriptorum apostolicorum jam praesupponere; qua enim ratione secus „ab apostolica simplicitate" discerneret spurios? Et sic in eo de criterio primo et de se sufficiente sermo esse non potest.

Neque tamen vel hac negativa ratione ejusmodi criteria a nobis adhibenda sunt quoad libros, de quorum inspiratione ex divina revelatione et ecclesiastica traditione omnino constat. Optimo utique jure adhibebantur olim, cum de quorundam librorum inspiratione adhuc dubitabatur; canone autem jam concluso circa libros canonicos etiam ab ejusmodi negativo eorundem internorum criteriorum usu plane abstinendum est, nisi forte ad ostendendum quaedam scripta merito olim per ecclesiam a canone exclusa esse. Cf. Pesch *n. 592.*

II. Non negamus inspirationem divinam certas perfectiones inferre libris, qui sub ipsa conscripti sunt; ita v. g. immunitatem doctrinae ab omni errore, ita veritates et scientias, quae nonnisi divinitus cognosci possint, ita miram quandam potestatem in loquendo, et si quae alia hujusmodi sunt.

Speciatim de ista ultima Scripturae proprietate Salmeron *prolegomen I. (ed. colon. 1602) 5 sq:* „Modus, inquit, ipse ac forma,

quam Scriptura servat, plane indicat divinam existere a coeloque ad nos fuisse profectam. Nam cum res eminentissimas et, quae captum hominis effugiunt, interdum proponat, nulla tamen argumenta, nullas rationes ad faciendam fidem producit, sed sola ac simplici earum narratione contenta non dubitat fidem se apud omnes inventuram, quod signum est evidens Dei loquentis, adeo ut Scriptura, quanto minus probat, eo magis probet atque se divinam esse magis patefaciat . . . Praeter hoc solet Scriptura quaedam praecipere, quaedam vero prohibere, quibusdam aeterna supplicia comminari, quibusdam aeternae vitae praemia polliceri. At hic modus procedendi nihil terrenum sapit aut humanum, sed plane arguit divinam potentiam et superiorem imperandi virtutem ejus, qui possit universos homines in officio continere, malos percellere et bonos remunerare, ita ut ipsa Scriptura, si recte expendamus, totam se Dei omnipotentis ac legem ferentis non obscure videatur indicare"; hucusque Salmeron.

Quia tamen omnes istae proprietates in scriptura inveniri possunt aliqua, quae est simplex collectio quomodocunque facta eorum, quae a prophetis sive legatis Dei oretenus pronuntiata sunt, quin ipsa ut scripta formaliter a Deo procedat: neque ejusmodi criteria satis efficacia inveniuntur. Ideo merito animadvertit Crets: „Aliud profecto est luce praeeunte in sacris libris reperire vestigia quaedam divinitatis, aliud vero ex sola inspecta scribendi forma colligere hunc librum alium requirere auctorem, quam qui sit simpliciter homo" *(de inspirat. 16)*.

III. Tanquam criteria interna positiva protestantes maxime urgent librorum sacrorum perfectam unitatem quoad doctrinam, vel quod continent doctrinam revelatam absque errore.

a) Et quoad unitatem quidem et nos de Scriptura loquimur quasi de uno libro, eo quod unum habeat auctorem Deum, de uno argumento seu objecto principali agat Deo, ad unum finem etiam dirigatur, qui est salutaris instructio fidelium . . Haec omnia autem *aut* ipsam inspirationem perfecte demonstratam jam omnino supponunt (cogita de unitate auctoris), *aut* certe inspirationem sufficienter ostendere non possunt.

„Neque enim — ita Pesch *n. 593* — omnia, quae in Scriptura leguntur, ita indissolubilem unitatem ratione materiae efficiunt,

ut nihil possit removeri, quin haec unitas perturbetur; neque ex altera parte omnia, quae extra canonem leguntur, inimica essent unitati, si reciperentur. Sublatis omnibus libris veteris testamenti, qui in novo testamento non allegantur . . ., sublatis non paucis libris ipsius novi testamenti, non minor unitas appareret quam quae nunc est"; neque si v. g. librum quartum Esdrae [apocryphum] vel psalmos Salomonis vel epistolam Clementis ad corinthios adderes, unitas laederetur. Quare prorsus non intellegitur, quid ejusmodi unitas ad inspirationem arguendam valeat.

b) Quod alterum criterium a protestantibus laudatum attinet, posset v. g. et hodie aliquis proprio marte doctrinas revelatas colligere ex variis documentis authenticis ita plane, ut nullus error quoad revelationem ibi inveniretur nec inveniri possit; numquid liber ejusmodi inde inspiratus merito dici potest? Certe nemo enchiridion illud, quod Denzinger ex symbolis et definitionibus ecclesiae collegit, ut librum inspiratum inter canonicos connumerabit.

Ceteroquin unde protestantes sciunt, revelationem in libris Scripturae sine errore contineri, si nondum sciunt eos esse authenticum et infallibilem fontem ejusdem revelationis et divinitus inspiratos? Et ita eorum criterium rem dignoscendam jam cognitam supponit et inutile esse cognoscitur.

IV. Quae tandem protestantes addunt criteria, desumpta ex gustu interno vel ex testimonio quod dicunt Spiritus Sancti: sat insulsa sunt. Gustum enim illum neque omnes neque soli, neque in omnibus lectoribus neque in iisdem semper provocant libri inspirati.

Testimonium vero Spiritus expressum et formale, quod singulis fidelibus de inspiratione singulorum librorum fiat, gratis omnino asseritur; ad usum autem perductum et invocatum semper uberrimum seminarium haereseum et sectarum fuit et ruina pacis et ordinis intra coetum Christi fidelium.

§ 4. De criterio quod praesumunt ex indole hagiographi.

Praenotatio. — Etiam hoc criterium statuunt quidam ut tale, quod ipsam inspirationem originarie manifestet; communiter tamen sensus subest, quod ejusmodi indoles hagiographi indicium inspirationis praebet eo, quod aliqua revelatio de hac re divinitus facta sit. Neque aliter omnino hac in re cogitari potest. Neque enim ulla humana indoles ex sese ulla ratione ejusmodi criterium praebere potest, quin prius aliqua divina manifestatio praecognoscatur. Originarium igitur criterium hac in re inveniri omnino non potest.

I. *Declaratio.* — Petitur criterium istud inde, quod auctor libri humanus fuerit propheta vel apostolus.

1. Et ad apostolatum auctoris jam saeculo XVI nonnulli protestantes tanquam ad criterium inspirationis provocabant; deinceps saepe. — Inter catholicos ab antiquissimis temporibus traditio quidem apostolica tanquam certa inspirationis norma habebatur et hucusque habetur; numquam tamen ipse apostolatus ut ejusmodi criterium proclamabatur, nisi saeculo demum XIX.

Ansam dedit auctor quidam protestans, nomine Jo. David Michaelis, qui in opere *Einleitung in die göttlichen Schriften des NT*[4] omnia alia, quae protestantes excogitaverant criteria, rejecit et unicum positive et exclusive sufficiens criterium ad dignoscendos libros novi testamenti statuit munus apostolatus, quo scriptores instructi erant; et ipse consequenter negavit, evangelium Marci et Lucae hujusque actus apostolorum merito inter libros inspiratos admitti.

Contra hanc doctrinam praeeunte Perrone[1]) exsurrexit Franzelin, qui de hac re agit *de div. trad. et Script.*[3] *372 sqq.* Nihilominus sententia ista fautores mox invenit etiam inter doctores catholicos v. g. Ubaldi,[2]) quem impugnat Grets *de divina bibl. inspir. 20 sqq.* Postea ad eandem sententiam accesserunt Székely[3]) et praeprimis Schanz, qui eandem prius in *theol. Quartalschrift (1885) 666 sqq* et iterum in *Apologie des Christentums*[3] *II 608 sqq* defendit. — Largiora de hac re invenies Pesch *o. c. n. 621 sqq.*

2. Simile deinde criterium nonnulli auctores pro libris veteris testamenti admiserunt, statum *nimirum* propheticum eorum, qui illos conscripserunt. Nos in argumentatione directe apostolatum respiciemus, utpote qui majore apparatu propugnatur. Quae autem dicemus, ex parte saltem facile contra munus quoque propheticum diriguntur.

3. Ut melius et expeditius argumentationem contra hanc vanam assumptionem intellegas, addamus statim praecipuam rationem istorum auctorum. Redit fere semper eadem, quam Ubaldi *l. c. II 76 sq* hisce fere verbis exponit: Apostoli in munere praedicandi et propagandi doctrinam Christi Domini a Spiritu Sancto inspirati erant; ergo etiam in libris vel epistolis scribendis.

---

[1]) *Praelect. theolog. de locis theolog. II n. 143.*
[2]) *Introductio in s. Scripturam II (1878) 76 sqq.*
[3]) *Hermeneutica biblica (1902) 194 sq.*

Ad propositionem antecedentem uberius ostendendam provocant ad *Matth 28,* ubi apostolis mandatum evangelii annuntiandi factum est, et ad textus, quibus apostolis Spiritus Sanctus promittebatur, qui „apud eos maneret eosque doceret" *(Jo 14, 17. 26)*; eisque „suggereret omnem veritatem" *(ib. 26);* provocant ad testimonia, quibus apostoli ipsi ejusmodi inspirationem in se manifestaverint.[1]) Huc referunt etiam, quod Christus apostolis promiserit *Matth 10, 19 sq:* „Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis". — His, dicunt, apostoli ratione muneris motionem prius universaliorem prae intellectu et voluntate acceperunt, id quod colliges ex *Matth: „docete servare omnia quaecunque mandavi vobis"*, sed et specialem pro ipsis actibus singulis, quod enuntiatur v. g. *Jo 14, 26: „docebit vos omnia et suggeret vobis omnia"*. Ergo charisma inspirationis habituale ad loquendum et docendum semper in promptu habebant.

Et his antecedentem confirmari existimant; consequentiam vero in argumento inde illustrare conantur, quod valde inconvenienter admitteretur, apostolos loquentes quidem Spiritum Sanctum sibi assistentem et inspirantem habuisse, si vero calamum arriperent, Spiritum Sanctum ab iis recessisse; et tamen in scriptione, utpote ex qua doctrina semel proposita semper permaneret, magis necessarium ejusmodi adjutorium fuisse.

4. Ubaldi, cujus argumentationem modo exhibuimus, libenter concedit, criterium suum positivum quidem et affirmativum esse, non tamen exclusivum. Alii autem idem exclusivum ponunt, adjungentes vel ipsa scripta Lucae et Marci ea tantum ratione esse inspirata, quod doctrinam apostolorum Petri, resp. Pauli fideliter exhiberent. Alii ut Schanz criterium ipsum aliquatenus dilatant asserentes, etiam apostolorum adjutores et interpretes charismate Spiritus Sancti insignes fuisse in docendo, et consequenter scripta eorum quoque esse inspirata.[2])

II. *Argumentatio.* — 1. Ostenditur, munus apostolatus ne affirmativum quidem inspirationis criterium dici posse; id quod

a) *ex textibus allegatis certo non probatur.* — Ex fontibus *nimirum* revelationis ab adversariis allegatis cum cer-

[1]) Huc referunt *Act 15, 28:* „Visum est Spiritui Sancto et nobis"; *1 Cor 2, 13:* „Loquimur . . in doctrina Spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes"; *2 Cor 13, 3:* „An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus . .?" *1 Thess 2, 13:* „Quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) Dei".

[2]) *Apologie*[3] *II p. 618.*

titudine id tantum ostenditur: Apostoli mandatum generale doctrinam Christi praedicandi acceperunt, ad quod rite adimplendum duplici charismate instructi sunt: quod nimirum revelationem plenam et perfectam acceperunt vel continuo in promptu habebant (*„suggerit omnia"*), et quod post ascensionem Christi in praedicando assistentia Spiritus praemuniti ideoque infallibiles in docendo constituti erant; ad summum demonstratur apostolos in casibus prorsus particularibus tantum ejusmodi adjutorii Spiritus participes fuisse (*Mt 10, 19; Act 15, 28*). — *Atqui* his omnibus nondum probatur omnes et singulos apostolorum sermones ex speciali semper impulsu divino usque repetito processisse, multo minus eosdem apostolos in determinato libro conscribendo Deo ut instrumenta inservivisse vel ad libros in genere scribendos inspiratos fuisse seu mandatum divinum habuisse certa documenta etiam per litteras consignandi: id quod prorsus aliud quid est. Neque enim revelatio vel totius veritatis cum ipso mandato praedicandi jam inspiratio ad scribendum erit; assistentiam autem, qua error caveatur in doctrina, toto coelo a propria inspirationis ratione differre jam vidimus.[1]) — *Ergo* textibus et argumentis omnibus allatis, ex apostolatu auctoris nullius libri inspiratio unquam ostendetur, quamvis eisdem rationibus manifestum sit librum ab apostolo conscriptum summae et irrefragabilis auctoritatis esse propter charisma infallibilitatis, quod ei datum erat.

„Apostolis — ita Pesch *praelectiones dogmat. I n. 648* — accepta semel revelatione [et mandato divino] sufficiebat assistentia Spiritus Sancti munientis eos contra errores; sed nequaquam probari potest, eos numquam locutos esse de rebus fidei et multo minus de aliis rebus nisi ex speciali motione Spiritus Sancti, quae nomen inspirationis sensu stricto mereatur; apostolus

[1]) Facile res in exemplo illustratur: Omnis enim parochus ab episcopo suo mandatum accipit pueris catechismum explanandi, cujus doctrinam etiam ab episcopo traditam accipit; quodsi deinde catechismum scribit, numquid ejusmodi catechismus eo ipso ab episcopo inspiratus merito dicitur eo sensu, ut ejusmodi catechismus liber et opus ipsius episcopi declaretur?

enim interrogatus e. g. de re fidei, quam optime norat, non indigebat tali speciali motione; ergo censendus non est eam accepisse. Infallibiles quidem erant apostoli tum in loquendo tum in scribendo de rebus fidei; at infallibilitas non est idem atque inspiratio; non solum ut homines, sed etiam ut infallibiles homines poterant sua voluntate loqui et scribere", — et hoc vel suggerente Spiritu ea, quae annuntianda essent.

b) *Idem neque aliunde probari potest.* — Apostolos qua tales ratione muneris sibi impositi mandatum accepisse ad scribendum sive in genere et universim sive in particulari, hoc neque aliunde ulla ratione certa ex fontibus revelationis ostendi potest, cum nullibi hac de re neque in Scripturis neque in traditione sermo sit. — Contrarium potius videtur prorsus manifestum esse. Si *enim* apostoli qua tales ejusmodi mandatum accepissent, ergo omnes accepissent — ergo omnes quoque apostoli de facto etiam libros scripsissent, cum divinae voluntati fuerint obsequiosissimi. Sed paucissimi tantum ex apostolis scripserunt. Ergo de mandato scribendi, quod vi apostolatus eis factum esset, cogitari nequit.

c) Ex textibus autem, quos adversarii pro re sua allegant, prorsus praeter rem est *Matth 10, 19,*[1]) in quo non agitur de inspiratione ad scribendum, sed ad loquendum, idque certis peculiaribusque adjunctis et circumstantiis, iis nimirum quibus discipuli Christi vexationibus et persecutionibus ex parte potestatum saecularium expositi invenirentur. — Reliqua nihil ostendunt nisi charisma immediatae revelationis et infallibilitatis apostolis fuisse; quo etiam factum est, ut praedicatione apostolorum „verbum Dei" saltem objective exhiberetur *(1 Thess 2, 13).* Cf. Crets *20 sq.*

2. Quodsi manifestum est apostolatum non esse criterium affirmativum, multo minus probatur eundem criterium continere exclusivum, quo nimirum solo inspiratio pro libris novi testamenti ostendi queat vel debeat, ea conditione, ut eo ipso, quod aliquis liber ab apostolis non sit conscriptus, ad Scripturam jam non pertineat nec pertinere possit. Haec assumtio a priori satis suspecta esse videtur; Deus enim in concedendo ejusmodi charis-

[1]) „Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini".

mate omnino liber est. Ergo — saltem si non omnino firmiter ostenderis — immerito praesumpseris, Deum charisma illud solis apostolis concessisse vel concedere voluisse.

A posteriori autem facile contrarium apparet; de facto *enim* inter Scripturas novi testamenti libri inveniuntur ab iis conscripti, qui non erant apostoli. *Atqui* si apostolatus qua talis sensu exclusivo criterium inspirationis exhiberet, ejusmodi scripta *(evv. Marci et Lucae hujusque Actus)* ex canone expungi deberent: id quod contra sensum totius antiquitatis et contra expressam definitionem ecclesiae est.

Neque juvabit quidquam, quod excipiunt: hos auctores discipulos saltem fuisse apostolorum iisdemque intime unitos. Certum enim est, eos non fuisse apostolos; neque conjunctio eorum, qua apostolis adglutinati erant, efficit, ut conscriptio illorum librorum jam ad apostolos ipsos reduci possit vel debeat; ceterum cf. infra *p. 232 sq.*

3. Dato denique non concesso, cum munere apostolatus donum inspirationis aliquatenus connexum esse, ne ex hac quidem suppositione probatum est, omnia omnino, quae apostolus scripserit, esse inspirata. Certo certius apostolus facultatem retinuit etiam nomine proprio aliquid scribendi, etiam quoad res fidei vel revelationis; secus in ipso usu charismatis non fuit liber. *Atqui* si id, iterum pro singulis casibus et singulis apostolorum scriptis medium desideratur inspirationem discernendi.

Dicunt quidem, hoc medium inde sumendum esse, quod apostolus praecise qua apostolus, ex ipso munere apostolatus scripserit. Sed statim repones: qua ratione deinde manifestum mihi erit Paulum v. g. ea, quae in ep. ad Philemonem exponat, ubi Onesimum fugitivum misericordiae heri sui commendat, vi muneris apostolici litteris consignasse? Cf. Pesch *n. 632.*

4. Aliquo tamen respectu apostolatus rationem criterii inspirationis adsumere videtur. Audiamus Pesch hanc rem exponentem: „Inspiratio librorum canonicorum est dogma fidei catholicae" ideoque, quod hic vel ille liber inter inspiratos conumeretur, ad fidem pertinet. „*Atqui* non potest quidquam ad fidem catholicam pertinere, quod non est ab apostolis traditum. *Ergo* non potest ullius libri, qui ab apostolis ecclesiae non est traditus, inspiratio omnibus credenda proponi. Consequenter

nullus liber, qui post ultimi apostoli mortem editus est, potest eo sensu esse inspiratus quo libri canonici, ut sit objectum et regula fidei catholicae. Est igitur apostolatus criterium negativum ratione temporis, quo transacto liber inspiratus non potest esse ortus" *(n. 602)*.

In qua re attendas, quod idem auctor *n. 586* notavit: „Ecclesia non negat posse fieri revelationes privatas ultra tempora apostolica, sed negat eas pertinere posse ad depositum fidei et negat depositum fidei augeri posse; secus verum non esset totam revelationem catholicam ab apostolis esse traditam *(conc. vatic. s. 3 c. 2)*. Atqui sine revelatione divina — ut modo audivimus — non potest fieri liber canonicus. Ergo demortuis semel apostolis merito negatur possibilitas inspirationis ullius libri ad usum publicum ipsius ecclesiae".

Scholion I. Fautores sententiae oppositae saepe ad doctrinam ss. patrum provocant; quo igitur jure?

1. Vetustiores quidem patres, Papias apud Eusebium *H. E. III. 39,* Irenaeus, Clemens alex., Origenes, Tertullianus, fragmentum muratorianum, ad apostolos quidem aliquo modo provocabant in ordine ad vera et genuina scripta novi testamenti discernenda. Sed his nolunt aliud docere, nisi quod modo et ipsi concessimus: nimirum criterium canonicitatis et inspirationis esse traditionem apostolicam. Inculcant nullam scripturam ut canonicam esse agnoscendam, nisi quam apostoli nobis ut talem tradiderint, vel apostolos fuisse, qui certos quosdam libros sacros ipsi „sua auctoritate comprobaverint, ut deinceps in ecclesiis legerentur" (Euseb. *H. E. II 15)*.

Audiamus ex. g. verba Tertulliani, qui contra haereticos omnes et solos libros ab apostolis traditos canonicos esse hisce arguit verbis: „Percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitentur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque" *(de praescr. 36)*; et *adv. Marcion. IV 4 sq:* „Dico itaque apud illas, nec solas jam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, evangelium Lucae ab initio editionis suae stare . . . Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cujus interpres Marcus; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent".

Manifesto his traditio apostolorum de inspiratione, non autem apostolatus ipse ut criterium inspirationis praedicatur. — Alia aliorum vetustissimorum patrum hac in re testimonia lege apud Pesch *n. 604 sqq.*

Quod ratione muneris apostolici ipsius auctoris liber inter patres non agnoscebatur inspiratus sive canonicus, evidenter colligitur inde, quod scripta Marci et Lucae, qui non erant apostoli, pro inspiratis semper admittebantur, epistola vero Barnabae, qui erat et existimabatur apostolus, inter libros canonicos numquam connumeratus est.

Et certe tunc temporis Barnabas *aut* ut verus apostolus *aut* saltem ut apostolis conjunctissimus existimabatur: „Merito, ita Clemens alex., Barnabas apostolus" *(Strom II 6);* similiter Tertullianus, Origenes, Hieronymus de ipso loquuntur, de quibus cf. Pesch *n. 610 sq.* — Quamvis vero ita inter apostolos connumeraretur aut eodem modo quo Lucas et Marcus apostolicus reputaretur, ejus epistola numquam in canonem admittebatur. Ergo munus apostolicum qua tale legitimum inspirationis criterium non existimabatur, imo exclusum apparet.[1])

2. Maxime rem suam adversarii hunc in modum urgent: Patres non raro ita argumentantur: „hic vel ille liber ab apostolis conscriptus est; ergo sacer est et inspiratus"; *vel etiam:* „liber iste ab apostolis non est conscriptus; ergo inter canonicos non recipiendus". Hac autem argumentandi ratione proclamant, apostolicam libri originem vere esse inspirationis criterium.

Resp: Si haec tam simpliciter essent intellegenda, ut jacent, utique rem facile evincerent; inspicienda tamen res est aliquid diligentius.

a) *In genere* ad similes exceptiones respondere licet: Hoc argumentandi modo patres tunc utebantur, cum dubium de canonicitate alicujus libri praecise inde oriebatur, quod nonnulli existimabant eundem non fuisse ab apostolo

[1]) De fatis epistolae Barnabae, quomodo nemo ex antiquis patribus eam Barnabae esse negaverit, quin tamen ulla ecclesia eam in canonem receperit, cf. *Funk opp. patrum apostol. proleg. ad ep. Barn. n. II.* — Similia repetas de *Clemente romano* ejusque *epistola* ad corinthios. Et ipse tanquam „adjutor Pauli" in epistola hujus apostoli *ad Phil.* commemoratur; ipsius epistola in variis ecclesiis publice legebatur; inter inspiratos non est recepta.

conscriptum; ita v. g. Apocalypsin ad tempus ex canone removere conabantur, et ratio praecipua inde desumebant, quod eam Joanni denegabant et Cerintho haeretico adjudicabant; ita temporibus s. Hieronymi ep. ad Philemonem Paulo abjudicabant. Contra ejusmodi adversarios, ergo magis ad hominem, merito patres argumentum suum proferunt: vestra ratio nulla est, liber reapse apostoli est; ergo non estis audiendi et liber ut canonicus et inspiratus est retinendus. — Quare *in forma distinguas:* Patres ex munere apostolatus argumentum et criterium proferunt peremptorium et simpliciter tale *ng.* rem polemice tractantes et argumentantes ad hominem *tr.* vel *cc.*

b) Difficilior est alter modus negativus: *liber non est apostoli; ergo neque inspiratus.* Sed et hic modus loquendi ex adjunctis dijudicandus est. Sunt enim casus, in quibus haec ratio reapse criterium saltem negativum exhibet: tunc nimirum, quando, si non est apostoli, eo ipso ut opus fictitium apparet. Haec interpretatio, quae vel in antecessum se imponit — quid enim alias de scriptis Marci et Lucae sentiendum esset? — magis illustratur, cum jam ad singula quaedam verba ss. patrum in specie consideranda accedimus.

α) Ita ex. gr. Hieronymus in *comm. in ep. Philem. proleg.* adversariorum quorundum argumentum contra inspirationem ejusdem epistolae his complectitur: „His et ceteris ejusmodi volunt aut epistolam non esse Pauli, quae ad Philemonem scribitur, aut etiam, si Pauli sit, nihil habere, quod aedificare possit, et a plerisque veteribus repudiatam, dum commendandi tantum scribatur officio, non docendi". — Reponit et ipse Hieronymus: est apostoli; imo addit: „At e contrario, qui germanae auctoritatis eam esse defendunt, dicunt numquam in toto orbe a cunctis ecclesiis fuisse receptam, nisi Pauli apostoli crederetur". Sed cur? si enim Pauli non esset, cujus se esse aperte profitetur, jam alicujus impostoris sit oportet.

In fine autem argumentationis suae et ipse ad traditionem ecclesiarum remittit, ubi simul et alteram rationem respicit adversariorum dicens: „Inveniri plurima et ad romanos et ad ceteras ecclesias maximeque ad corinthios remissius et quotidiano paene sermone dictata . . . Quas et ipsas, quia aliquid tale habent, aut Pauli epistolas non putandas, aut si ista recipiuntur, recipiendam

esse et ad Philemonem ex praejudicio similium receptarum".

β) Similiter Augustinus *contra adversar. legis et prophetar. 20, 39* videtur argumentari: „Sane de apocryphis iste (adversarius) posuit testimonia, quae sub nominibus apostolorum Andreae Joannisque conscripta sunt. Quae si illorum essent, recepta essent ab ecclesia, quae ab illorum temporibus per episcoporum successiones certissimas usque ad nostra et deinceps tempora perseverat". Sed s. Augustinus certe proxime non agit de inspiratione, sed de valore testimoniorum ad rem aliquam de fide ostendendam. In his autem certissime verum est, quod, si apostoli quidquam docuissent sive oretenus sive in scriptis, hoc tenendum esset et ecclesia illud etiam ut doctrinam necessariam recepisset. Inde autem non sequitur, librum quendam ab apostolis conscriptum eo ipso inter canonicos esse recensendum; auctoritas enim doctrinae et libri inspiratio non sunt confundendae.

γ) Majorem difficultatem movent, quae leguntur apud eundem Augustinum in *ep. ad Hieronymum (ep. 72, 7)*. Agitur de celebri controversia quoad reprehensionem Petri per Paulum factam *(Gal 2, 14)*. Existimavit Hieronymus Paulum Petrum non vere reprehendisse, sed fictitie tantum; cujus rei rationem exhibet: quod Paulus id reprehendere non potuit, quod ipse fecit. Hanc Hieronymi objectionem respiciens ita disserit s. Augustinus: „Non est, inquis, credibile hoc in Petro Paulum, quod ipse Paulus fecerat arguisse. — Non nunc inquiro, quid fecerit (Paulus); quid scripserit, quaero [puta in epistola in auctoritatis culmen recepta]. Hoc ad quaestionem, quam suscepi, maxime pertinet: ut veritas divinarum Scripturarum ad nostram fidem aedificandam memoriae commendata non a quibuslibet, sed ab ipsis apostolis ac per hoc in auctoritatis culmen recepta, ex omni parte verax atque indubitanda persistat". — Intellexeris difficultatem: „Scripsit apostolus aliquid; et eo ipso agitur de veritate „divinarum Scripturarum".

Sed et hic „culmen auctoritatis" scriptorum nonnullorum proxime repetitur inde, quod recepta sint in ecclesia. Hujus utique receptionis ratio exhibetur ea, quod ut „veritas divinarum scripturarum ab ipsis apostolis commendata sit". Hunc tamen in modum prorsus et nos tenemus: rationem, cur liber aliquis in canonem receptus sit, traditionem esse apostolicam. Quaerit igitur Augustinus: quid scripserit Paulus; et subintellegit: in aliquo libro, qui ex commendatione apostolorum in canonem receptus ad culmen auctoritatis evectus sit.[1])

[1]) Cf. de hac re Pesch *n. 615*, qui rem hisce verbis concludit: „De facto fuerunt inspirati (apostoli); sed numquid hoc factum a

Scholion II. Aliae exceptiones ex principiis jam allegatis facile solvuntur.

1. Asserunt, apostolatum affirmativum saltem criterium esse; etenim ipsi prophetae veteris testamenti erant inspirati; ergo a fortiori apostoli novi testamenti.

Resp: a) Prophetae veteris testamenti illustrati erant peculiari revelatione divina et instructi mandato divino eandem doctrinam revelatam populo annuntiandi *tr.* erant inspirati ad scribendum *subd:* omnes prophetae vel vi muneris prophetici *ng.* vi motionis divinae specialis, quae pro singulis casibus peculiariter probanda est *cc.* — b) Potest insuper negari ipsa illatio; neque enim major dignitas apostolorum omnia charismata inferioris gradus prophetici necessario includit.

2. Ast — ita quaerunt — quomodo deinde factum est, ut in novo testamento scripta nonnisi apostolorum in canone inveniantur? — Negaveris quidem suppositum, ostendens etiam Marci et Lucae libros ibi recenseri, qui non fuerint apostoli.

Attamen — ita reponunt — et Marcus et Lucas merito apostolis accensentur; ipsi enim apostolorum perpetui comites, sub eorundem directione et mandato libros suos composuerunt.

Respondeas: a) Constat omnino, Marcum et Lucam proprio suo nomine libros suos conscripsisse, non dictantibus apostolis. Hoc manifestum est legenti initia scriptorum Lucae; ita etiam rem exhibet Clemens alex. teste Eusebio *H. E. VI 14:* „Marcus igitur evangelium composuit iisque, qui illud ab ipso rogabant, impertiit; quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit nec incitavit"; et scripto demum evangelio „Petrus cum per revelationem cognovisset, delectatus ardenti hominum

priori ex munere apostolico colligi possit, est alia quaestio. Si quis censet verba Augustini ita intellegenda esse, hoc est unicum testimonium, quod adhuc protulerunt; unde de communi patrum doctrina sermo esse non potest. Multo minus illa quaestio umquam ab ullo ex sanctis patribus formaliter posita et soluta est".

studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur" *(ib. II 15)*. Similia leguntur teste eodem Eusebio apud Papiam de eodem evangelio *(ib. III 39)*. — Neque, ut evidens est, subsequens apostoli approbatio ullum librum unquam potuit constituere inspiratum, sed ejusmodi approbatio inspirationem jam factam necessario supponit, cum approbari nequeat, quod non prius subsistat.

Quodsi nihilominus praesumpseris, evangelia Marci vel Lucae dictata esse per apostolos: certo certius et haec evangelia nomen apostolorum retinuissent, quemadmodum tot epistolae Pauli nomen retinebant, quas ipse tamen aliis scribendas dictaverit.

b) Neque illa altera ratio, ex qua quis constituitur comes individuus apostolorum, unquam sufficiens criterium exhibebat, libros in numero inspiratorum assumendi. Comites ejusmodi et discipuli apostolorum erant Clemens romanus et Papias, qui utique et illa scripserint, quae ab apostolis audiverant; neque tamen scripta eorum declarata sunt inspirata.

3. Adhuc excipiunt: totam hanc quaestionem ex principiis historicis absolvendam esse. Atqui ex fontibus historicis nihil scimus de speciali revelatione divina circa inspirationem librorum sacrorum facta, sed hoc tantum: ecclesias ad librum canonicum admittendum respexisse ejusdem apostolicam originem.

Resp: Merito ipsa suppositio negatur, rem hanc ad dogma catholicum pertinentem mere historice absolvendam esse; habet enim dogma suam propriam viam et rationem. Sed *data non concessa hac ipsa suppositione,*

a) etiamsi quaestionem historice consideraveris: nemo unquam ex priscis patribus munus apostolatus qua tale tanquam criterium statuit, quo discernantur libri inspirati; permulti autem pro justificando canone in ecclesia recepto ad traditionem ab apostolis acceptam provocabant. Quare falsum est, quod dicunt, ecclesiam originem apostolicam ut criterium inspirationis considerasse.

b) Ast deinde saltem peculiaris revelatio fieri debuit de hac re; de revelatione vero ejusmodi nihil prorsus scimus. De hac re ulterius nota, quod complures ex antiquis patribus reapse etiam de speciali revelatione apostolis circa libros sacros facta loquuntur; ita Joannes de Apocalypsi, ita veteres quidam scriptores de

revelatione Petro facta circa evangelium Marci (cf. textus modo sub 2 citatos).

Ceterum inter ea, quae ab ecclesia credenda proponuntur, plura sunt quae non directe demonstrari possunt a Deo revelata, sed indirecte tantum. Sic autem ipsum factum, quod universalis ecclesia ab ipsis fere initiis certos libros in canonem recepit, testimonium nobis sufficiens esse potest et debet, revelationem hac in re divinitus per apostolos nobis factam esse.

§ 5. Quid valeat hac in re testimonium ipsius hagiographi?

Perspeximus jam, ex rationibus internis sive Scripturae sive ejusdem auctoribus inhaerentibus idoneum criterium pro inspiratione desumi non posse. Restat, ut ad testimonia externa et formalia accedamus, quibus de revelatione divina circa inspirationem singulorum librorum certiores reddamur. Inter haec testimonia primum occurrit testimonium auctoris seu hagiographi; potuit enim per se fieri, ut ipse prius certior fieret de sua inspiratione eamque postea publice manifestaret; quemadmodum reapse legitur de nonnullis libris earumque partibus, ex. g. *Apoc. 1, 19 coll. 22, 18 sq.* Defendimus tamen: De inspiratione singulorum librorum vel revelatione divina hac in re facta sufficienter et in universum constare nequit ex testimonio hagiographi.

Posset quidem cogitari etiam de testimonio, quod divinitus singulis fiat hominibus fidelibus, quale protestantes admittunt, testimonium Spiritus S. internum iis promittentes, qui sacros libros legant. Hoc tamen ita contra communem experientiam est, ut pauca illa, quae supra diximus plane sufficere videantur; cf. *p. 222.*

Demonstratio. — Videtur imprimis certum esse, quod neque auctor ipse inspiratus de propria inspiratione evidentiam habere potest, nisi peculiariter hac de re per Deum instruatur, sive per formalem revelationem divinam sive per signa quaedam divinitus addita, ratione saltem distincta ab actione inspirativa. Cum *enim* divinus influxus in se invisibilis sit, idemque in suis effectibus naturali exercitio facultatum humanarum, intacta ipsa liber-

tate, se accommodet proprioque studio et industria ministrorum etiam utatur, ipse non ita objectum conscientiae humanae est, ut necessario qua talis percipiatur; cf. quae supra diximus *p. 100; 109 sq; 214 sq.* — Debet igitur ipse quoque hagiographus de sua inspiratione divinam revelationem accipere; sed ne de hac quidem revelatione sibi facta homo, ut in hac re oportet, testificari potest. Unde ex testimonio hagiographi idoneum criterium inspirationis desumi nequit.

1. Testimonium nimirum ipsius hominis inspirati est et manet per se testimonium humanum et, saltem in aestimatione aliorum hominum, illusionibus obnoxium; de facto etiam multi mentientes vel decepti divinitus inspiratos se esse affirmarunt. Tale autem testimonium per se et ratione sui certum et sufficiens criterium in re tanti momenti exhibere non potest.

Dixeris forsitan: Hagiographus potest esse et communiter est homo notorie, ut ajunt, tantae prudentiae et tantae probitatis, ut ei etiam tale quid de se affirmanti fides non imprudenter adhibeatur. — Attamen sit prudentissimus et maxime probus, possibilitas erroris in genere pro extraneis hominibus,[1]) maxime cum agitur de rebus mysteriosis et a natura quam remotissimis, non ita facile excluditur, ut ejus testificationi jam sine haesitatione se tradant. Qua in re cogita de sanctis et sanctissimis viris et mulieribus eorumque revelationibus: quid ex illis cum plena certitudine admitti potest vel reapse admittitur?

Sed vel hac prudentia et probitate probata: quid tandem aliquando vel sic haberemus? testimonium humanum, humana tantum fide dignum. Sed humanum testimonium in re nostra non sufficiet. *Etenim* inspiratio factum est supernaturale, quod fide divina assumendum est (tum apud catholicos tum etiam apud adversarios protestantes, quibus Scriptura unicus fons

[1]) Scil. quamvis ipse hagiographus pro se omnino certus de sua supernaturali illustratione et inspiratione reddi possit, pro aliis manet homo, qui potuerit saltem errare.

revelationis est) — assumendum est ab omnibus fidelibus sub anathematis poena. *Atqui* ejusmodi fides oriri nequit ex revelatione divina solo testimonio humano unius vel alterius hominis communicata, sed ex testimonio tantum authentico et publico, per Deum ipsum ad ejusmodi publicam promulgationem facto et signis divinis comprobato.

Quodsi hagiographus simul est apostolus (ut Joannes, auctor Apocalypseos), talis utique per se sufficienter de inspiratione librorum suorum testificari potest; attamen hoc eidem deinde non competit, quatenus est hagiographus, sed quatenus est praecise apostolus divina auctoritate et infallibilitate in revelatione divina annuntianda exornatus.

2. Accedit, quod in ordine ipso concreto et historico adjuncta, unde ad summam istam prudentiam et probitatem, qua hagiographus sibi fidem mereatur, concludendum sit, accurate cognosci deberent. Sed quid scimus hac in re de tot sacrorum librorum auctoribus? Nihil fere. Accedit, quod plurimi sacri scriptores de propria sua inspiratione nihil nobis aperuerunt. Unde certe criterium pro omnibus libris canonicis ex testimonio auctoris proprio desumi nequit. — *Insuper* quamvis in genere homo testari valeat se accepisse inspirationem divinam, non ideo statim constat ea omnia, quae ab ipso conscripta sunt, ex hoc charismate divino esse conscripta vel esse verbum formaliter divinum eo solo, quod libris ejus contineantur. Hoc adhuc de singulis verbis et textibus accurate esset probandum.

3. Quodsi demum addideris: inspiratum hagiographum miraculis fidem sibi facere posse, eo ipso recurris ad testimonium distinctum divinum, quod quidem testimonium in prima manifestatione per se sufficere posset, sed quando jam, ut in casu nostro, agitur de fide eadem transmittenda ad posteros, qui eorundem miraculorum testes immediati non sint, ne tale quidem testimonium ex sese sufficere invenitur; cujus rei experientia historica apertam exhibet evidentiam. Ergo testificatio humana hagiographi nixa divinis signis primam quidem manifestationem facti inspirationis in singulis casibus praebere potuit; attamen ut haec testificatio authentice admittatur et propagetur et secure ab omnibus semper retineatur, requiritur ejusdem testimonii apta traditio auctoritate quadam

publica exornata. De duplici autem instrumento cogitari per se potest: de sacra Scriptura ipsa et de divina traditione. De utroque adhuc inquirendum nobis est.

§ 6. Quid valeat testimonium ipsius Scripturae?

Per se utique fieri potuit, ut Deus divinam testificationem de singulis libris inspiratis in ipsa sacra Scriptura tanquam in authentico et publico documento deponeret; potuit enim Deus testimonium suum de inspiratione non solum revelare, sed etiam suo nomine scribendum inspirare; scriptum autem ejusmodi semel publice agnitum, fidem facere potest publicam inspirationis. Hoc fieri potuit re in abstracto considerata.

Factum quod attinet nonnullorum quidem librorum inspirationem ex simili testificatione Scripturae probare possumus.[1]) Dicimus tamen: testificationem Scripturae, qualis de facto est, non esse criterium sufficiens, saltem non pro integro catalogo seu canone.

Demonstratio. 1. Modo concessimus, quod aliquorum librorum inspiratio ex Scripturis de hac re testantibus cognosci potest, idque ex iis libris sacris, qui communi consensu a christianis in canone retinentur. Ita teste Scriptura Christus et apostoli fidem judaeorum, qui plures libros prorsus determinatos vere sacros et inspiratos habebant, sollemniter approbarunt. *Atqui* historice et critice vel iterum ex ipsa Scriptura constat, quinam isti libri inter judaeos canonici fuerint. Isti *igitur* vi hujus testimonii Scripturae merito ut inspirati retinentur.

Attamen hoc testimonium non agnoscitur de se sufficiens; *etenim* natura sua non refertur nisi ad libros veteris testamenti; et ideo istud criterium deficeret quoad integrum canonem novi testamenti. *Insuper*

[1]) Qua ratione autem factum inspirationis in genere et quoad singulos libros per sacram Scripturam exhiberi possit, jam declaravimus; consideratur nimirum Scriptura non qua inspirata, sed potius tanquam authenticus testis revelationis per Christum, apostolos, prophetas allatae.

quoad vetus quoque testamentum testificatio ista Scripturae nonnisi imperfecta est, id quod facile manifestum fit, si modum consideraveris, quo libri inter judaeos canonici a nobis agnoscendi sunt.

Duplex enim via adest ad hanc cognitionem perveniendi; tamen utraque manca est.

a) Possumus historice et critice inquirere, quinam libri inter ipsos judaeos in canonem librorum sacrorum aetate Christi recepti fuerint; habemus enim pro hac re varios testes historicos, ex ipsius judaeis Josephum illum Flavium, ex priscis christianis Melitonem sardensem aliosque, qui libros judaeorum canonicos ex ordine enumerant. Sic videtur constare posse de his libris. Attamen testes nostri non omnino consentiunt: complures saltem ex iis protocanonicos tantum recensent omissis iis, qui deuterocanonici jam vocantur. Quid igitur de his erit? Protestantes dicunt eos omittendos esse; catholici eos retinent. Cui credendum est? *Insuper* quoad ipsos protocanonicos res difficultatibus non caret et disputatur inter doctos, v. g. qua ratione Josephus libros a se recensitos computaverit; cf. Pesch *n. 21.*

b) Est et altera via ad cognitionem librorum v. testamenti perveniendi. — Possumus *nimirum* inquirere, quosnam libros Christus ipse et apostoli in suis allegationibus tanquam inspiratos vel canonicos consideraverint. Hos libros deinde iterum in unum corpus colligentes, canonem forsitan Scripturae veteris testamenti construere possumus. Sed et haec via jam in se considerata manca et defectuosa apparet. Nonnisi *enim* data occasione textus sacri per Christum ejusque discipulos allegantur; vix autem expectandum est, eos hoc fortuito modo omnes respexisse libros canonicos. De facto nuspiam allegantur Ruth, Esdras, Nehemias, Esther, Canticum, Abdias, Nahum, Sophonias; neque Ezechiel unquam explicite citatur neque Ecclesiastes; allusiones vero, quae quoad utrumque hunc librum forsitan occurrunt, non sunt tam evidentes, ut certa demonstratio inde fieri possit.

c) Sic immediate patet, testimonium Scripturae quoad novum testamentum hucusque nullum, quoad libros autem veteris testamenti neque completum neque exclusivum esse, sed ad summum affirmativum quoad aliquos libros.

Praeterea utraque illa via ac ratio libros inspiratos agnoscendi, paucis tantum hominibus doctis et studiosis accommodata vel possibilis est, longe plurimi argumentum ejusmodi vix caperent. Quare istud testimonium Scripturae ad libros inspiratos ne veteris quidem testamenti condigne cognoscendos sufficit.

2. Res majoribus etiam difficultatibus obnoxia est, quam primum agitur de determinandis libris novi testamenti. Etiam quoad hos argumento haud infirmo colligere possumus inspirationem quarundam epistolarum s. Pauli ex *2 Pet 3, 16:* „in quibus (epistolis Pauli) sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem". His verbis Pauli epistolae cum ceteris Scripturis connumerantur eisque accensentur. Sed hoc testimonium restringitur ad epistolas quasdam s. Pauli easque prorsus indeterminatas.[1])

Praeterea allusionem quandam invenire volunt ad evangelium Lucae in textu *1 Tim 5, 18,* ubi verba quaedam hujus evangelii sub formula „Dicit Scriptura" allegari videntur. Sed quod ibi allusio praecise ad hoc evangelium fiat, probabile tantum est et nullatenus certum; ad tot alia scripta novi testamenti nulla omnino ne levissima quidem allusio inveniri potest. Unde ex hac parte testimonium Scripturae prorsus insufficiens esse deprehenditur.

3. His facile tibi persuaseris, ex ipso testimonio Scripturarum universale omnium librorum sacrorum criterium de facto hauriri non posse. Nuspiam enim in Scripturis expressum de integro canone testimonium extat; implicitum autem earum testimonium, quod utcunque nobis praebent, ad rem nostram conficiendam plane insufficiens est.

§ 7. De vero inspirationis criterio, de sacra traditione.

Hucusque vidimus, internum criterium, sive quod desumatur ex ipsis libris sacris eorumque indole sive ex hagiographo, non esse; recurrendum esse ad externum criterium, quod habeatur ex auctoritate testium. Ut ejusmodi testis merus homo ejusque auctoritas in re,

---

[1]) Testimonium s. Petri respectu eorum, qui canonem catholicorum non admittunt, et inde infirmatur, quod protestantes epistolam, unde desumitur, spuriam declarant.

quae est divinae fidei fundamentalis, statim insufficiens apparet, etsi foret ipse hagiographus; non relinquitur nisi auctoritas sive testis ordinis divini. Talis non est nisi aut ipsa Scriptura aut traditio divina. Scripturam de facto non sufficere modo intelleximus. Ergo remanet sola sacra traditio. Et ita per viam exclusionis fere patet, tanquam unicum inspirationis criterium sacram seu ecclesiasticam traditionem esse admittendam, quae cum auctoritate ei divinitus indita, ut de aliis veritatibus revelatis, ita etiam de hac omnino sufficienter nos edoceat. Haec demum adaequata norma est, qua semper et ubique (etiam controversiis supervenientibus) et quoad singulos libros certitudine rudioribus quoque hominibus accommodata de inspiratione judicare possumus. — Ad largiorem rei illustrationem et haec velis considerare.

1. Ad hanc sacram traditionem ejusque auctoritatem in ecclesia Christi semper provocatum est, non solum ubi agebatur de conceptu inspirationis, sed etiam ubicunque de ipsis libris inspiratis dijudicandis quaestio inferebatur. Sic istud criterium idque solum semper theoretice propugnatum est.

„Studiose disce — ita Cyrillus hier. fideles admonet — et quidem ab ecclesia, qui sint veteris testamenti libri, qui vero novi; neque mihi quidquam apocryphorum legas . . . Lege divinas scripturas, viginti duos illos libros veteris testamenti, quos septuaginta duo interpretes transtulerunt . . . Harum lege libros viginti duos, sed cum apocryphis nihil commune habe. Eos solos studiose meditare, quos etiam in ecclesia cum fiducia legimus. Multo te prudentiores et religiosiores erant apostoli et veteres episcopi, ecclesiae rectores, qui eos tradiderunt" *(Cat. 4, 23)*. — Similiter etiam Athanasius: „Quoniam nonnulli, inquit, conati sunt ordinare sibi apocrypha quae dicuntur, et ea immiscere Scripturae divinitus inspiratae, de qua perfecte instructi sumus, quemadmodum patres nostri tradiderunt, qui ab initio testes oculati fuerunt et ministri verbi facti sunt, visum est et mihi, secundum ordinem exponere libros in canonem receptos et traditos et divinos habitos, ut quivis, si forte erraverit, cognoscat seductores" *(ep. 39)*. — Idem tanquam veritatem omnino exploratam tenet s. Augustinus *contra Faustum XXIII 9* declarans: „Aliae litterae (praeter ‚ecclesiasticas, canonicas, catholicas') apud nos non habent

ad res (fidei) ullum pondus auctoritatis; ipsae sunt enim, quas recipit et tenet ecclesia toto orbe diffusa, quae per illos est etiam prophetata et, quemadmodum promissa, sic reddita".

Ceterum superfluum est, multos contexere sermones, cum constet omnes unanimiter patres hac in re ad traditionem ut ad unicam normam provocare. Tertullianus manifeste nostram doctrinam propugnat dicens: „Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cujus Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum" *(de praescr. 19)*. Similiter Ireaneus *adv. haer. IV 26 coll. III 1, 2)*.

2. Theoriae concordat ipsa praxis. Ita sacram potestatem de inspiratione discernendi Ecclesia etiam semper exercebat, quin unquam reclamatum fuerit, imo adclamantibus fidelibus. „Cum volunt (haeretici) — ita Philastrius — solum illa apocrypha legere, studiose contraria Scripturis canonicis sentiunt atque paulatim dogmatizant . . Propter quod statutum est ab apostolis et eorum successoribus non aliud legi debere in ecclesia catholica, nisi legem et prophetas et evangelia et actus apostolorum et Pauli tredecim epistolas et septem alias, Petri duas, Joannis tres, Judae unam et unam Jacobi" *(de haeresibus 88)*. Pariter Rufinus enumeratis libris canonicis inculcat: „Haec sunt, quae patres intra canonem concluserunt . . Haec nobis a patribus tradita sunt" *(in symbol. 36 sqq)*.

Ex ea potestate prodiit canon conc. carthaginensis (a. 419), qui catalogum Scripturarum proponit eo fine, ut „de isto canone innotescat, quia et a patribus ita accepimus in ecclesia legendum" *(cn. 29; Mansi IV 430)*;[1]) idem statuerant jam antea alia concilia africana ex annis 397 et 393. — Mox a. 405 declarationem Innocentius I papa emisit, qui amplexus est ex multorum sententia canonem olim a Damaso papa statutum. — Sollemnissime canonem Scripturarum statuit et definivit conc. tridentinum sess. IV, cujus declarationem iterum inculcat conc. vaticanum.

[1]) Hisce verbis concilium nonnullis videtur alludere ad canonem alicujus concilii superioris, forsitan ipsius nicaeni oecumenici I; de qua re cf. Cornely-Hagen *comp. introd.*[7] *p. 24.*

3. Adhuc videamus, quid valeat hac in re traditio mere humana, quae rem mere scientifice et historice inquirat. Inter protestantes enim non pauci evidentia rei adacti testimonium ipsius Scripturae et ipsi relinquunt; ast loco magisterii authentici Ecclesiae post institutionem Christi et apostolorum subinferre volunt traditionem mere humanam sive ut ipsi dicunt critico-historicam. Revelatione divina de inspiratis libris per Christum et apostolos semel exhibita, censent sufficere ut per media critica historiae inquiramus, quaenam scripta olim in primitiva ecclesia retinerentur; hac inquisitione ad integrum Scripturae canonem agnoscendum nos pervenire posse autumant. Sed et huic opinioni contradicimus tenentes, traditionem istam criticam triplici maxime defectu eoque gravissimo laborare.

a) Protestantes imprimis ad traditionem istam mere humanam provocare non possunt, quin principio suo fundamentali apertissime contradicant. Contendunt *enim* et pro aris et focis defendunt, revelationem divinam divinis litteris plane concludi, nullamque prorsus ejusdem particulam extra Scripturam inveniri vel traditionis oralis ope esse transmissam. Cum *autem* provocant ad auctoritatem ejusmodi traditionis criticae, ex qua libri sacri admittendi sint, necessario jam supponunt, extra et praeter Scripturam extare hoc saltem caput doctrinae, quo homines de ambitu et numero sacrorum librorum tandem aliquando edocendi sint.[1]) *Quare* protestantes saltem, si sibi constare volunt, ad hanc traditionem historicam provocare non debent.

b) Accedit, quod ejusmodi via et methodus Christi fidelibus non est accommodata; ideoque certe per Christum non instituta. Difficilis est ista via pro hominibus doctis et eruditis; et sic absque dubio via ista difficilior et magis implexa est, quam ut homines, quales fideles communiter sunt, ea incedere valeant. Et tamen agitur de re, quae pro omnibus Christi fidelibus summi momenti est, majoris etiam in sententia protestantium, quibus Scriptura unicus doctrinae christianae fons et norma est.

c) Imo ne pro ullo quidem, licet doctissimo homine, ista via sufficit. Neque enim ex principiis mere criticis demonstrationem

[1]) Patet autem ad veritates formaliter revelatas pertinere, num aliquis liber ad canonem Scripturae inspiratae pertineat; neque enim sine divina revelatione cognosci potest vel factum inspirationis in genere, vel inspiratio ullius libri in individuo.

habet nisi insufficientem, qua cum certitudine et absque controversia omnes libri inspirati definiri et determinari omnino nequeunt. Et tamen agitur de re plane fundamentali, quae fidelibus certo et facile innotescere debet.

Res autem haec patet consideranti, quod jam in ipsis antiquis documentis circa 131 canones diversi inveniuntur. Quis vero gloriabitur, se sola via critica et historica inquisitione independenter ab omni authentico magisterio, ex tot diversis canonibus tuto et peremptorie agnoscere posse eum canonem, qui exacte praedicationem apostolorum exhibeat? — Huic observationi accurate et quotidiana experientia correspondet. Quo enim magis gloriantur protestantes se via incedere ista critica, eo minus de canone inter se conveniunt, et merito Hurter animadvertit, magisterio authentico semel neglecto dubia de canone in ratione directa studii critici crescere et augeri: jam vix superesse librum vel libri partem aut caput capitisve versum, qui non in discrimen vocetur *(comp. theol. dogm. I n. 169 Nota)*.

Ratio autem hujus rei clara est; cum enim ejusmodi humana traditio ejusque inquisitio nullum valorem auctoritativum habeat, praejudicia et studia particularia multum valent ad rectum judicium pervertendum; hoc facilius contingit in re nostra, quae de se difficilis est et sagax omnino ingenium requirit.

4. Hac autem experientia tristissima adversariorum non solum critica et humana traditio reprobatur, sed, quam statuimus unicam normam, traditio sacra et magisterium ecclesiasticum indirecte iterum comprobatur. Illi *enim,* qui auctoritatem hujus magisterii respuunt, inspirationem jam librorum sacrorum ostendere nequeunt, ne eorum quidem quos ipsi admittunt, sed „aut confugiunt superstitiose ad revelationem quandam singulis factam vel usque faciendam, aut irrationabiliter fundamentum fidei ponunt experientiam vel auctoritatem fallibilem humanam; plerique vero inspirationis dogma mox omnino respuunt“ (Pesch *n. 601*). Et sic vel ipsi nolentes per id, quod experiuntur, illud confirmant celebre dictum s. Augustini, quo et hic thesin nostram enuntiavit *contra ep. Manichaei 5, 6:* „Ego evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas . . . qua infirmata jam nec evangelio credere potero“.

§ 8. Quo sensu traditio ecclesiae universale exhibet inspirationis criterium?

Absque dubio traditio ecclesiae, quemadmodum unicum sufficiens, ita et universale inspirationis criterium est, si hoc magisterium in se et magis, ut ita dicam, quoad actum primum consideraveris; sic nullus liber inspiratus unquam publice agnoscendus erit, qui non ab hoc ecclesiae magisterio prius ut talis proponatur. Sed ecclesia etiam de facto et, ut ita dicam, in actu secundo canonem proposuit in conc. tridentino et vaticano; et nunc quaeri potest, num canon ille semel propositus non solum affirmative, sed simpliciter exclusive ut canon universalis tenendus sit; quaeri potest, num libri in canone isto recensiti reapse omnes libri sint, qui a Deo in hoc mundo inspirati existant vel unquam extiterint, an praeter libros in canone illo recensitos forsitan alii sint inspirati, de quibus dubitemus, quos ignoremus, qui deperditi sint.

1. Quoad hanc quaestionem ante omnia certum est, canonem ecclesiae non ita augeri posse, ut nunc post aetatem apostolorum „de novo aliqui libri novi a viris Deo plenis prodire queant, de quorum auctoritate et inspiratione divina ulterius publice decernat ecclesia“ (Bonfrère *praeloqu. in Script. s. c. 4 sect. 15*). Neque enim ulla revelatio nova publica expectanda est, cum haec in apostolis pro ecclesia militante conclusa sit; cf. Franzelin *de div. trad. th. 22* vel Hurter *comp. I th. 31*. Doctrina autem ejusmodi libri novi inspirati ipsa novam revelationem constitueret; certe ejusdem inspiratio sine nova quadam revelatione divina cognosci nequit.

2. Jam altera quaestio est, num forsitan scripta quaedam ex temporibus veteris testamenti vel ipsorum apostolorum inspirata existant, quae in canone adhuc desiderentur.

a) Et inprimis aliquis cogitare potest, num fors inter illa, de quorum inspiratione olim dubitatum sit vel hucusque dubitetur, extent opera quae reapse inspirata sint (v. g. *oratio Ma-*

nassae, 3 et 4 Esdrae). Hac in re certum est, librum quem apostoli ipsi non tradiderint, publice agnitum non iri unquam; secus enim iterum verum non esset, totam revelationem divinam ab apostolis traditam esse. Quodsi vero jam hoc teneas, videtur saltem probabiliter etiam tenendum esse, quod circa ista scripta dubia numquam apostolica traditio facta sit. „Etenim traditio apostolica, si quando adfuit, non potuit plane disparere"; secus ipsa ecclesia fidelis depositi custos jam non esset. „Atqui existimatio inspirationis, quam nonnulli circa ista scripta habebant, jam plane disparuit. Ergo non erat traditio apostolica de eorundem inspiratione; ergo neque unquam in canonem recipi possunt" (Pesch *n. 587*).

At nonne casus noster vel saltem simile aliquid de facto habetur in libris deuterocanonicis? traditi sunt ab apostolis, per tempus addubitati sunt; postea per ecclesiam reassumpti. Ecce ejusmodi liber nonne unus vel alter adhuc existere potest vel nunc?

Resp: Ng. par. Qua in re attendas, quod de facto certe nullus existit liber, qui sub isto respectu cum deuterocanonicis vere comparari possit. Hi enim statim ab ipsis temporibus apostolorum a plurimis tanquam ab apostolis traditi et vere inspirati recipiebantur, a relative paucis tantum addubitabantur; libri vero, de quibus in illa comparatione cogitatur, prorsus e contrario a paucis vel et paucissimis canonici habebantur, a longe plurimis semper repudiabantur. *Illi* de facto demum universaliter agniti, *hi* de facto universaliter a canone remoti sunt et jam positive ut apocryphi ab omnibus reprobantur. Quodsi et ipsi ab apostolis tanquam canonici traditi essent, haec reprobatio impossibilis esse videtur; neque enim traditio apostolica, si quando adfuit, plane disparere potuit. Et haec ultima ratio valet de ipso 4 Esdrae, qui ceteroquin majorem similitudinem cum deuterocanonicis prae se fert; et hic demum universaliter inter apocryphos reputatus est.

b) Inter illos igitur libros, quos cognovimus, nullus est, qui unquam in canonem tanquam vere inspiratus recipiatur; sed quaeri etiam potest, num inspirati fuerint libri, quorum memoria vel qui ipsi simpliciter perierint. Hac in re tum inter patres (Chrysostomum v. g. et Augustinum) tum inter theologos (Salmeronem v. g. et Franzelin) contradictoriae tenentur sententiae. Cf. Pesch *n. 588.*

Certum utique esse videtur, quod nullus liber interire poterat, qui ex ipsa intentione divina conscriptus et ecclesiae traditus sit eo fine, ut omnibus simpliciter hominibus qua fidei regula proponeretur. Si enim Deus hoc jam intendisset, facile librum etiam conservare pro omnibus omnium temporum hominibus potuit; et in hac suppositione certe valet ratio,

quam adfert Salmeron pro sententia magis universali dicens: „Si canonici ejusmodi libri extitissent [qui postea periissent], ecclesia non fuisset depositi sibi traditi fidelis custos“ *(proleg. 9 can. 4 [ed. colon. 1602] 93).*

Sed numquid Deus non potuit unquam ex fine particulari (v. g. in vetere Lege, vel ante Legem, vel quando transitus factus est a Lege ad oeconomiam gratiae) pro hominibus certae et determinatae epochae doctrinas quasdam tradere necessarias idque per scripta inspirata, quae fine dein adimpleto perirent? —

Mittamus hanc quaestionem magis curiosam quam utilem, memores verborum s. Augustini: „In libris maxime, quos nobis divina commendat auctoritas, in quibus temeritas asserendae incertae dubiaeque opinionis difficile sacrilegii crimen evitat, ea tamen quaerendi dubitatio catholicae fidei metas non debet excedere“ *(de Genes. l. imp. 1).*

Pars altera.

De consectariis inspirationis.

Quamvis divina operatio non ita in ss. Scripturis conscribendis versata sit, ut quasi ex effectu formali seu proprio inde erui et cum certitudine demonstrari possit, fieri tamen non potuit, quin certa quaedam vestigia in suo opere divina inspiratio reliquerit, quae sub humili habitu externo transluceant et oculis fere incurrant. Inter haec communiter recensentur eximia quaedam dignitas atque praestantia, mirabilis in doctrina et finis intentione concordia et unitas, amabilis in sensus varietate et profunditate pulchritudo, intemerata sine ullius erroris admixtione veracitas atque inerrantia. De singulis jam ex ordine agemus.

Caput I.

De praestantia et unitate Scripturae.

§ 1. De Scripturae praestantia.

I. „Institui — ita de se enarrat s. Augustinus — animum intendere in Scripturas sanctas et videre quales essent; et ecce video rem non compertam superbis neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam et velatam mysteriis, et non eram ego talis, ut intrare in eam possem aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim sicut modo loquor, ita sensi, cum adtendi ad illam scripturam, sed visa est mihi indigna, quam tullianae

dignitati compararem; tumor enim meus refugiebat modum ejus et acies mea non penetrabat interiora ejus" *(Conf. III 5, 9)*. Ex humili librorum illorum ingressu sancto doctori tunc quidem despectibiles apparebant libri illi; ast cum diligentius inspexisset, mox judicium mutavit, et nemo melius laudes eorum cecinit quam ipse; cum „gaudebat, quod vetera scripta legis et prophetarum jam non illo oculo sibi legenda proponerentur, quo antea videbantur absurda" *(Conf. VI 4, 6)* et intellexit „coelum esse sanctam Scripturam" *(enarr. in Ps. 8, 7; in Ps. 103 serm. 1, 8)*, quae „sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat" *(de Gen. ad litt. V 3, 6)*; quibus addas tam multa ejus elogia, quae per omnia ejusdem opera dispersa inveniuntur.

Cum s. Augustino vero conspirant, imo concertant aemulis laudibus omnes ad unum reliqui patres; certe Chrysostomus, qui eandem Scripturam „thesaurum appellat locupletissimum doctrinarum coelestium" *(in Gen. hom. 21)*, quemadmodum et Ambrosius eam vocat „convivium sapientiae" *(de off. I 32)* et Athanasius „perennes fontes salutis" *(ep. 39)*.

Ut unum vel alterum testimonium magis in extenso, addamus, praestantiam Scripturae hisce verbis extollit Gregorius M. *moral. XX 1, 1:* „Quamvis omnem scientiam atque doctrinam Scriptura s. sine aliqua comparatione transcendat, ut taceam, quod vera praedicat, quod ad coelestem patriam vocat, quod a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat, quod dictis obscurioribus exercet fortes et parvulis humili sermone blanditur, quod nec sic clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat, quod usu fastidium tollit et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur, quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat, quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et tamen doctis semper nova reperitur: ut ergo de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suae more transcendit, quia uno eodemque sermone, dum narrat textum, prodit mysterium et sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicare, et non immutato dicendi genere eisdem ipsis sermonibus novit et tante acta describere et agenda nuntiare".

S. Hieronymo vero pariter Scriptura, „ut Deus Verbum", „thesaurus iste est, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi" *(com. in Matth 13, 44)*, quem thesaurum *ep. ad Paulam* hisce commendat praeconiis: „Oro te, quid hoc sacratius sacramento? quid hac voluptate jucundius? Qui cibi, quae mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam et in abdita Ejus intrare et sensum creatoris inspicere et sermones Domini Dei tui, qui ab hujus mundi sapientibus deridentur, plenos discere sapientia spirituali? Habeant sibi caeteri, si velint, suas opes, gemma bibant, serico niteant, plausu populi delectentur, et per varias voluptates divitias suas vincere nequeant. Nostrae divitiae sint, in lege Domini meditari die ac nocte, pulsare januam non patentem, panes Trinitatis accipere et saeculi fluctus Domino praeeunte calcare" *(ep. 32, 13)*.

II. Revera in ipso humili incessu et ornatu libri s. Scripturae super omnes hujus mundi libros longe excellunt, non solum propter internam rationem et supernaturalem sive divinam originem, sed etiam sub ipsa ratione externa et philosophica sive critica consideratione.

1. Et certe sub hoc altero respectu.

a) Scriptura s. excellit summa aetate, qua sat multi ejusdem libri (veteris testamenti) antecedunt omnes, quotquot supersunt, antiquos libros; id quod ex disciplina introductionis notum est.

b) Excellit ex sublimitate objecti seu doctrinae: quae multis saltem in partibus tanta est, ut animos sponte percellat etiam eorum, qui ejusdem indolem supernaturalem flocci faciunt. Ita Fichte: „Ein Geist, inquit, nahm sich der ersten Menschen an, ganz wie es eine alte ehrwürdige Urkunde [unsere hl. Schrift] vorstellt, welche überhaupt die tiefsinnigste, erhabenste Weisheit enthält und Resultate aufstellt, zu denen alle Philosophie am Ende doch wieder zurückkehren muß" *(Naturrecht [1790] I 32)*.

c) Excellit denique et forma; verborum enim fastum et pompam negligens, nihilominus candore et simplicitate necnon rerum et idearum copia eam prae se fert majestatem, quam eloquentia humana numquam assecuta est neque assequi potest; de qua ineloquenti s. Scripturae facundia s. Augustinus disserit *de doctr. christ. IV 6 sq; de catech. rud. 8 sq.*

2. Multo major excelsitas nobis manifestatur, cum s. Scripturam jam consideravimus theologice, quatenus ex abdita sua origine scriptum ipsius Dei verbum est. Merito sub hoc respectu olim a s. Augustino „cor Dei"

dicta est, utpote quae Dei sensa includit, quemadmodum cor continet hominis sensa *(in Ps. 36)*. Haec supernaturalis majestas Scripturae praeeuntibus patribus pulchra analogia ab Hurter describitur, quam sub hoc respectu verbum Dei scriptum init cum Verbo Dei incarnato. Hanc et nos paucis evolvamus!

a) Sicut Verbum Dei incarnatum ex Maria Virgine prodiit Spiritu Sancto obumbrata, ita „Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines" *(2 Pet 1, 21)* et verbum Dei scriptum ediderunt; cf. Rupertum tuit. *in Is. II 31.*

b) Sicut in Verbo incarnato elementum divinum et humanum, quo illud velabatur, secerni debet, ita et in s. Scriptura sub cortice litterae, elemento humano, latent sensa divina; et sicut ad cognoscendum divinum in Christo elementum caro non sufficiebat vel sanguis, sed requirebatur revelatio Patris coelestis *(Matth 16, 17)*, ita ad sensa divina Scripturarum gustanda, illustratio pariter est necessaria divina *(1 Cor 2, 14)*. De qua re audias Rhabanum Maurum disserentem: „Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria V. carne vestitum prodiit in hunc mundum et aliud quidem erat, quod videbatur in eo, aliud quod tegebatur (carnis namque aspectus in eo parebat omnibus, paucis vero electis dabatur divinitatis agnitio): ita et cum per prophetas vel per legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis; nam sicut ibi carnis, ita hic litterae velamine tegitur, ut littera quidem aspiciatur tanquam caro, latens vero intrinsecus spiritualis sensus tanquam divinitas sentiatur" *(prol. expos. in Levit)*. Prorsus in eundem modum s. Bonaventura: „Christus, inquit, etiam doctor, licet esset humilis in carne, altus tamen erat in deitate; ideo decebat ipsum et ejus doctrinam habere humilitatem in sermone cum profunditate sententiae, ut sicut fuit Christus panniculis involutus *(Lc 2, 7)*, ita sapientia Dei in Scriptura figuris quibusdam humilibus involveretur" *(Breuil. prooem. § 5)*.

c) Praeterea „sicut in humanitate assumpta inhabitabat plenitudo divinitatis *(Coloss 2, 9)* erantque omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi" *(ib. 2, 3)*, ita et Scriptura coelesti et divina abundat sapientia, nec verbis tantum, sed et rebus loquitur fontisque instar hominum mentes replet, unde innumeri jam libri integraeque bibliothecae scaturiebant. „Tanta — ita s. Augustinus *ep. 137, 3* — est christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere". Quo sensu et Chrysostomus fideles adhortatur *hom. in Gen 21, 1.*

d) Sicut ulterius Christus judaeis fuit scandalum, gentibus stultitia *(1 Cor 1,23)*, multisque lapis offensionis et petra scandali *(1 Pet 2,8)*, credentibus vero Dei virtus et sapientia *(1 Cor 1,24)*: ita eadem verba repeti poterunt de s. Scriptura, quae pariter multis exosa et contemptibilis est, aliisque ut haereticis et rationalistis in scandalum et ruinam vertitur. Nihilominus in hac eadem Scriptura vel invitis coelestis illa sapientia translucet sub cortice litterae, quemadmodum olim in Christo divinitatis translucebat splendor non obstante humana natura.

Sic, ut omnia comprehendamus, quemadmodum Christus inter homines eminet tanquam filius hominis per excellentiam, ita et libri nostri divinitus inspirati inter omnia scripta eminent tanquam scriptura simpliciter seu Scriptura sacra per excellentiam.

e) Neque mirum est, si Scriptura in tanta excellentia constituta, etiam ratione effectuum apte comparatur ad Verbum incarnatum. Effectus autem isti optime ab apostolo in celebri illo textu exhibentur *2 Tim 3,16*. Vi ipsius *„omnis Scriptura utilis est ad docendum“*, cum divinam et infallibilem nobis exhibet normam et canonem fidei; „utilis est *ad arguendum*“, cum ut vivus sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti *(Heb 4,12)* discernit cogitationes et intentiones cordis, revelationem tuetur et adversarios redarguit; „utilis est *ad corripiendum*“, cum leges exhibet, quibus ad honestam vitam instituat, motiva simul praebeat quibus homines ad vitia emendanda efficacissime moveantur; „utilis demum est *ad erudiendum*“, cum verbis et vivis exemplis omnem justitiam vehementissime commendat.

Praeterea valet et illud alterum apostoli *Rom 15,4*: „Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, *ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus*“. Quo munere consolationis s. Scriptura per decursum saeculorum tam bene functa est, ut de ipsa demum et illud Christi elogium repetere liceat: „pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo“ *(Act 10,38)*.

§ 2. De unitate Scripturae.

I. Legit s. Augustinus apud *Matth 27,9* de pretio, quo appretiavit Judas Dominum suum: „Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: ‚et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, et dederunt eos in agrum figuli‘“. Scit verba ista non tam esse Jeremiae quam Zachariae; et ut difficultatem contra vera-

citatem Scripturae expediret, inter alia haec edisserit: „Potuit fieri, ut animo Matthaei evangelium conscribentis pro Zacharia Jeremias occurreret, ut fieri solet; quod tamen sine ulla dubitatione emendaret . ., nisi cogitaret recordationi suae, quae S. Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomine prophetae, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa causa utilissima debet facillime cogitari, etiam sic esse insinuatum, ita omnes sanctos prophetas uno Spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quam si omnium omnia prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, et ideo indubitanter accipi debere, quaecunque per eos Spiritus Sanctus dixit, et singula esse omnium et omnia singulorum. Cum igitur et quae dicta sunt per Jeremiam, tam sint Zachariae quam Jeremiae, et quae dicta sunt per Zachariam, tam sint Jeremiae quam Zachariae: quid opus erat, ut emendaret Matthaeus, cum aliud pro alio sibi nomen occurrens a se scriptum relegisset, ac non potius sequens auctoritatem Spiritus Sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus ad informandos nos tantam verborum suorum inter prophetas esse concordiam, ut non absurde, imo congruentissime etiam Jeremiae deputaremus, quod per Zachariam dictum reperiremus" *(de consens. evang. III 7,28)*.[1])

His igitur sanctus ille doctor, omnes s. Scripturae libros ad tam strictam unitatem revocari posse autumat,

[1]) Cf. etiam quae leguntur apud Hieronymum *comm. in Matth 3,3:* „Nos aut nomen Isaiae putamus additum scriptorum vitio . . aut certe de diversis testimoniis Scripturarum unum corpus effectum". — Patet vero ex verbis et mente Augustini hagiographum erroris vel mendacii argui non posse, quin eo ipso Spiritus S. simul accusetur; neque tamen ullus error objectivus interpretatione et ex mente s. doctoris in Scripturam inferretur, quia (in „probabili" sua interpretatione) ratio simul suppeditaretur, qua haec objectiva veritas sufficienter salvaretur.

ut quasi unus in individuo liber considerari possint, cujus in solidum singuli hagiographi auctores inde non immerito declararentur. Haec certe exaggerate dicta sunt; neque de ea unitate in ss. Scripturis cogitandum est, qua omnes jam sacri libri tam diversi et qui de maxime diverso argumento a diversissimis auctoribus scripti sint, formaliter et sensu stricto unum constituerent librum.

II. Restat tamen mirabilis unitas ex parte auctoris, ex parte finis et internae connexionis, ex parte objecti ss. Scripturarum.

1. Certissime libri sacri conveniunt in uno auctore, qui unum semper intendens finem cum genere humano, unam hanc omnibus Scripturae libris proposuit intentionem. Hoc sensu jam Cyrillus alex. inculcat: „Unus liber est tota Scriptura et dicta est per unum Spiritum Sanctum" *(l. c. pg. 58)*. Cui consentit s. Hieronymus: „Omnes Scripturae uno scriptae sunt Spiritu Sancto et propterea unus liber appellantur" *(in Is. 9, 29)*.

2. Haec unitas autem etiam in ipso objecto manifestatur; idque maxime sub duplici ratione: a) in summa omnium quae in sacris libris exponuntur concordia et b) in unitate unius ejusdemque argumenti principalis. De utroque s. Hieronymus suo modo disserit *in Eccle 12, 12* hisce verbis: „Moris est, Scripturarum quamvis plures libros, si inter se non discrepent et de eadem re scribantur, unum volumen dicere; siquidem et evangelium et Lex Domini immaculata convertens animas singulariter appellantur, cum plura evangelia et multa sint mandata legis; sic et volumen, in Isaiae sermone signatum, omnis scriptura divina est *(Is 29)*; et uno capitulo libri Ezechiel Joannesque vescuntur *(Ez 8; Apoc 10)*, Salvator quoque omnium retro sanctorum vocibus prophetatus ait: ‚in capitulo libri scriptum est de me'".

a) Et quod *in specie* attinet, summam omnium librorum sacrorum concordiam vehementer semper admirabantur patres; ita jam auctor *cohortationis ad graecos* dicens: „Prophetae velut ore uno et lingua una tum de Deo et mundi origine, tum de hominis creatione et animae humanae immortalitate ac futuro post hanc vitam judicio, tum de omnibus rebus, quarum nobis necessaria cognitio est, summa et secum ipsis constantia et inter se consensione nos docuerunt" *(c. 8)*.

α) Est autem valde mirum, quod tot scriptores tam harmonice in istis quaestionibus circa universitatem rerum ejusque ad Deum relationem conspiraverint. Ab omnibus enim, inde a Moyse usque ad Apocalypsin idem semper Deus praedicatur unus creator om-

nium, omnipotens, justus simul et misericors, eadem semper Ejus relatio ad mundum visibilem declaratur, eaedem semper leges exponuntur quibus creaturae referantur ad Deum creatorem suum: eadem fides semper eademque vitae disciplina (Eine Weltanschauung) continuo ibi resonat.

β) Id quod magis mireris, si differentiam temporis distantiamque locorum consideraveris, in quibus scripta sua ediderunt. „Summa inter se consensione nos docuerunt, ait idem cohortator *ad graecos,* idque cum variis locis et temporibus divinam nobis doctrinam traderent" *(ib).* Idem admiratur Theophilus antioch: „Dei homines, inquiens, pleni Spiritus Sancti et prophetae effecti, ab ipso Deo inspirati et eruditi, facti sunt divinitus edocti . . .; neque unus vel duo, sed plures suis temporibus et occasionibus apud hebraeos extiterunt et omnes concordia inter se et consona dixerunt, tum quae ante eos gesta sunt, tum quae eorum temporibus facta sunt, tum quae nunc apud nos fiunt" *(ad Autolyc. II 9).*

γ) Plus etiam miraberis, si cognoveris simile phaenomenon temporibus illis hagiographorum nuspiam inveniri apud alios scriptores; de quibus potius valent, quae Theophilus *ad Autolycum* scribit: „Omnino illudunt omnes historici et poëtae et philosophi, tum etiam qui iis dant operam; fabulas enim potius et stulta commenta de diis suis composuerunt; quin etiam de mundi ortu pugnantia inter se et absurda tradiderunt . ., et cum innumerabilia ejusmodi dixerunt, secum ipsi pugnantia dixerunt" *(II 8).* Maxime denique miraberis, si personas consideraveris hagiographorum, quales iterum Theophilus breviter describit: „qui et multi fuerunt, et de rebus innumeris amice inter se et consentanee dixerunt . ., illitterati homines et pastores et imperiti — ἀγράμματοι καὶ ποιμένες καὶ ἰδιῶται.

δ) Magis expresse eandem unitatem patres premebant in ordine ad Scripta veteris et novi testamenti, ea inducti ratione, quod tunc temporis Marcion et in genere gnostici et manichaei oppositionem quandam inter Deum veteris et Deum novi testamenti et consequenter inter utrumque testamentum statuerent. — Quam unitatem s. Hieronymus verbis defendit Ecclesiastis: „*Verba sapientum ut stimuli . . data sunt a pastore uno*" *(12, 11),* dicens: „Facit hic locus adversus eos, qui alium legis veteris, alium evangelii aestimant Deum, quod unus pastor concilium prudentium instruxerit; prudentes autem tam prophetae sunt quam apostoli"; „idest, licet plurimi doceant, tamen doctrinae auctor unus est Dominus" *(com. in Eccle in l. c.; M PL 23, 1114).* Similiter idem sanctus in tam multis aliis locis; similiter et alii multi patres cum ipso, ex. g. Justinus *dial. c. Tr. 10 sqq;* Irenaeus *adv. haer.*

III 12,11; IV 15,1; Epiphanius *adv. haer. I h. 33,9;* Augustinus *c. Faustum XIX 16 et alibi.*

b) Neque tamen ex sola ista externa ratione et causa haec unitas procedit, quia nimirum omnia ab uno auctore Deo sint; magis interna et objectiva unitas petitur ratione finis, sub quo ad unitatem quoque ipsius argumenti reducitur integra Scriptura. Finis enim totius Scripturae vel, ut Ipse declarat, „Alpha et Omega, principium et finis" Christus est et, quae est per eum, salus creaturae rationalis, quae in Adamo protoparente lapsa per litteras hasce divinitus missas iterum ad salutem praeparanda et quodammodo reducenda erat.

α) Haec res pariter in aperta professione ecclesiastica est. Nemo melius rem forsitan exhibuit Hieronymo, qui in *comm. in ep. ad galatas 4.1:* „Iste, inquit, intellectus ecclesiae catholicae convenit, quae et veteris et novi testamenti unam asserit providentiam; nec distinguit in tempore, quos conditione sociavit. Omnes aedificati sumus super fundamentum apostolorum et prophetarum, continente nos angulari lapide Christo Jesu Domino nostro, qui fecit utraque unum et medium parietem dissipans inimicitiam utriusque populi in sua carne destruxit, et antiquae legis difficultatem evangelicorum dogmatum integritate mutavit *(Eph 2,20).* Vere in Christo omnes unus panis sumus et duo consensimus super terram; et quomodo nos super prophetas fundati sumus, ita et patriarchae in apostolorum fundamine constiterunt". — Ceteroquin et idem praedicavit apostolus in eadem *ep. ad galatas* declarans: „Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo" *(3,24).*

β) Hoc inspectis ipsis sacris paginis manibus fere palpatur. Ita statim a primis capitibus primi libri Geneseos immediate a lapsu apparet et Christus, promissum illud semen mulieris, quod genus humanum reducere debebit ad veram cum Deo et Creatore suo pacem et amicitiam. Et deinceps aut directe aut indirecte, ut ait Augustinus, „prope omnis pagina nihil aliud sonat quam Christum et ecclesiam toto orbe diffusam" *(serm. 46).* — Et primo quidem agitur de stirpe eligenda et de populo formando, unde redemptor convenienter prodeat, cujus rei divina providentia tot libris historicis exhibetur. Agitur deinde de gente ipsa praeparanda, in qua et per quam redemptor condigne reciperetur et ad opus suum induceretur in mundum; et huic fini inserviunt prae aliis tam multi libri morales. Super omnia vero agebatur illud, ut in populo electo fides et pium desiderium redemptoris semper conservaretur et ad certum gradum et perfectionem augeretur et adduceretur; cui fini maxime inserviunt libri prophetici et psalmi, quibus gens illa edoceretur,

preces ad Deum fundere et instantibus orationibus salutem suam desiderare.

γ) Est quidem verum, quod ejusmodi omnium librorum ad unum finem ordinatio magis nunc a nobis percipitur, quibus impletio et consummatio facta est rerum promissarum, et quod hagiographi ipsi forsitan de hac re actu expresso non cogitaverunt; attamen eo clarius divina dispositio in Scripturis conficiendis elucere videtur. Cum enim omnis teleologia deliberationem rationis supponat, utique et haec tam sublimis teleologia Scripturarum rationabilem providentiam sibi postulat causam suam; haec igitur cum in ipsis hagiographis non inveniatur, ex sublimiore quadam et divina derivari debet dispositione, cujus et necessarium consectarium apparet.

Haec de ista re indicasse sufficiat; jam ad Scripturae pulchritudinem considerandam accedamus, quae eidem competit ratione varietatis et profunditatis sensus.

Caput II.

De sensu et interpretatione s. Scripturae.

Articulus I.

De sensu s. Scripturae.

Litteratura: Ex libris supra notatis, hic praeprimis consulendus est *Pesch p. 552 sqq; Schmid p. 178 sq.* — Ceterum de hac re agunt ex professo libri introductorii in s. Scripturam, ubi de interpretatione sive hermeneutica loquuntur v. g. Cornely *comp. introd. pars I diss. 3,* vel ejusd. *histor. et crit. introductio vol. I diss. 3.*

1. Sensus alicujus libri ille conceptus mentis est, quem auctor signis in libro propositis exhibere voluit et de facto exhibuit. Auctor s. Scripturae Spiritus Sanctus est, unde quoad sensum Scripturae intentio praeprimis divina consideranda est: quia tamen intentio Dei non aliter manifestatur nisi per verba hagiographi ex ejus mente proxime intellegenda, ex his s. ministri verbis ejusque intentione objective ex ejus verbis manifesta ad sensum divinum ascendendum erit. Inde

autem minime sequitur, hunc hagiographum etiam subjective sensus divinos semper adaequate intellexisse vel comprehendisse; cf. quae de hac re exposuimus *pg. 97 sqq; 105 sqq.*

Ex dictis immediate sequitur, ea non pertinere ad sensum libri, quae quidem ex verbis in se consideratis absolute intellegi possint, ab auctore ipso sive ministeriali sive principali tamen de facto non intendebantur. Liber enim ex integro modus quidam locutionis est, qua unus alteri sensus suos manifestet; unde quod est praeter intionem loquentis, sub sensu ejusdem locutionis seu libri cadere non potest.

2. Notum est, quomodo ss. patres iisdem s. Scripturae verbis multos sensus subjecerint; „in Scripturis sacris nihil scriptum est — ita Chrysostomus — quod non multas sensuum habeat divitias; quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt, ideo utpote a Spiritu scriptae ingentem in se continent thesaurum“ *(serm. in ‚Vidi Dominum‘ 2, 2);* similiter Ambrosius *de Spir. S. I 14, 150,* Augustinus et alii multi. Distinguitur autem praeprimis triplex sensus: sensus litteralis, typicus, accommodatus.

Sensus litteralis ille est, quem Spiritus S. immediate per verba significat; typicus erit, quem idem Spiritus per personas vel res manifestat, quae ipsae verbis immediate manifestatae ad alias veritates exponendas diriguntur. — Sensus accommodatus *denique* sensus est ab ipso auctore non intentus, sed qui praeter intentionem auctoris verbis vel rebus ab interprete propter certam analogiam subjicitur. De hoc statim pauca adjungamus.

a) Accommodatio ista fieri poterit per extensionem, ubi ipsi conceptus, qui de una re adhibentur, quomodocunque ad aliam rem transferuntur; altera erit per allusionem, ubi verba tantum adhibita ad rem omnino diversam exprimendam adhibentur et ideo ad diversam plane significationem detorquentur. Sic dicitur ex. g. in Scriptura de Noe: „Inventus est justus et in tempore iracundiae factus est reconciliatio“; haec verba suo modo de aliis quoque

sanctis recte dicuntur; ideoque ecclesia in liturgia sensum Scripturae extendens iisdem sanctos suos confessores celebrat. — Alibi psalmista dicit: „Deus mirabilis in sanctis suis" i. e. in templo sancto suo: si haec verba jam eo sensu adhibentur, ac si diceretur Deum esse mirabilem in sanctis hominibus, ejusmodi accommodatio per allusionem fit.

b) Patet statim in ejusmodi accommodationibus non esse proprie cogitandum de sensu Scripturae. Sunt enim prorsus praeter eam intentionem, ex qua verba Scripturae primitus prolata sunt, quamquam et ipsae a Spiritu praevisae sunt et Ei, in quantum solidum pietatis nutrimentum praebent, etiam placent. Agitur autem in his de usu quodam verborum s. Scripturae eoque utili. Neque hic usus omnino reprobandus est, dummodo ab inepto lusu verborum caveatur neve accommodatio propria pro sensu Scripturae venditetur vel per comparationem rerum nimis dissitarum verba Spiritus Dei ludibriis exponantur. Sic etiam ecclesia in liturgia frequenter ejusmodi accommodationibus et allusionibus utitur, similis usus invenitur apud ipsos hagiographos v. g. *Heb 13, 5; 2 Cor 8, 8.* Et haec de hac re dicta sufficiant; ceteroquin adeas libros sacrae hermeneuticae.

c) Neque nostrum hic est, explanare accuratius, qua ratione patres alii aliter de hac sensuum divisione locuti sint, id quod spectat iterum ad hermeneutas. Summam quandam extensionem habet inter illos terminus „allegoriae"; sub quo nomine modo omnes sensus praeter litteralem, etiam accommodatio ipsa intellegebantur, modo solus typicus, modo etiam sensus, qui ad litteralem pertinet, quem nunc metaphoricum seu tropologicum appellamus. Nos simpliciter distinguimus typicum et litteralem; utrumque definiemus accuratius, et de utroque pauca, quae ex scopo nostro theologico dicenda esse videntur, necessaria adjiciemus.

§ 1. De sensu typico.

Sensus typicus (*mysticus, spiritualis*) ille definitur, quo res, verbis Scripturae proxime significatae, ex ipsa intentione Dei inspirantis ulterius significent alias res; res seu factum proxime per verba Scripturae significatum typus vocatur, res ulterius significata autem antitypus; unde etiam ratio nominis explicatur. — Hic sensus legitimus censeri debet, si non propter fortuitam quandam similitudinem temere admittitur (id quod potius est accommodationis), sed ex ipsa intentione Dei, auctoris Scripturae, desumitur. Hanc porro divinam intentionem pro multis

omnino rebus in Scriptura enarratis adesse, sine fidei detrimento non potest negari.[1])

1. Ipsa s. Scriptura novi testamenti expresse testatur, integram legem veterem typum fuisse novae oeconomiae gratiae idque evidenter ex dispositione divina; de hac re apostolus: „omnia, inquit, in figura contingebant illis" *(1 Cor 10, 11)*, et templum antiquum cum suo ornatu „parabolam temporis instantis" declarat idem apostolus *(Heb 9, 9)*. — Eodem modo multa facta particularia, multaeque personae ex vetere foedere in typum advocantur pro personis et institutionibus novi foederis: Adam figura declaratur Christi *(Rom 5, 14)*, arca Noe typus baptismi *(1 Pet 3, 20)*, Melchisedech praefigurat sacerdotium Christi *(Heb 7, 3)*, Agar et Sara vetus et novum testamentum *(Gal 4, 22 sq)* etc.

Hanc typicam praefigurationem per Deum intentam esse, jam inde patet, quod Paulus aliique apostoli ex typico sensu tanquam ex Scriptura argumentantur eodem modo, quo ex litterali, et medios inter textus litteraliter intellectos alios proferunt, qui sub typo tantum rem demonstrant; ita v. g. typicam significationem tanquam ipsius Scripturae inducit Joannes, ubi, quae *Exod 12, 46, Num 9, 12* de agno paschali dicuntur, ad Christum trahit hisce verbis: „Ut viderunt Jesum jam mortuum, non fregerunt ejus crura . . Facta sunt haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo; et iterum alia Scriptura dicit: Viderunt in quem transfixerunt". Hoc modo apostoli argumentari omnino non poterant, nisi ratio typi rebus illis per Deum ab ipso initio indita esset vel facta illa per divinam providentiam ita disposita essent,

[1]) A typis autem distinguas symbolicas actiones vel in genere symbola, quae totam existentiae suae rationem in rebus significatis inveniant, ita ut his sublatis a s. scriptore omnino prolata non essent; typi e contra jam in se solis existendi rationem inveniunt, et hac demum supposita vim praefigurativam induunt. Ita quae *Ez 12, 2 sqq* a propheta fiunt, ita omnia sacramenta ideo tantum ponuntur, quia aliud significare debent; transitus autem Israelis per mare rubrum, quamvis etiam mysteria futura figurat, tamen historice etiam ratione sui factus est, non solum ad aliud significandum.

ut non solum historice fierent, sed insuper futura annuntiarent.

Neque quidquam obest, quod hagiographus istam significationem olim non ipse intellexerit; neque enim ejus est, sensum eorum, quae ex mandato et inspiratione divina scribit, adaequate comprehendere.

2. Concordat fides et praxis ss. patrum et theologorum, quorum in re evidenti testimonia addere superfluum est. — Ex eadem persuasione procedit et declaratio Eugenii IV in *decreto pro jacobitis* declarantis: „Sacrosancta romana ecclesia firmiter credit, profitetur et docet, legalia veteris testamenti seu mosaicae legis, quia significandi alicujus futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent significato per illa Domino nostro Jesu Christo adveniente cessasse" *(Denz. n. 712)*.

3. Rationem hujus rei exhibet s. Thomas dicens: „Auctor s. Scripturae, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas; et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significent aliquid *(S. th. 1 q. 1 a. 19; cf. et Quodlib. VII 6, 14)*.

Ex ista ratione simul patet, non esse nisi Dei sensum typicum exhibere et declarare; quare de sensu typico alicujus textus sive facti per Scripturam enarrati cum plena certitudine constare non potest nisi ex revelatione divina. Haec autem manifestatur aut per ipsos hagiographos aut per apostolos aut per ecclesiam aut per conspirans testimonium testium fidei i. e. ss. patrum. In qua re notandum est, praeter ea, quae in ipsa s. Scriptura exhibentur, vix esse, de quibus patres unanimiter consentiant. His etiam patet, quod varietas sensuum in s. Scriptura inspirationis ejusdem consectarium merito declaratur.

Scholion: Supposito, quod de typo constat, absque dubio etiam ex sensu s. Scripturae typico dogmatica argumentatio institui potest; in qua re tamen animadvertendum est:

a) Non semper cogitandum esse statim de sensu typico, quando apostoli vel hagiographi rem in vetere testamento descriptam adhibent ad doctrinas illustrandas novi testamenti. Potest enim hoc fieri etiam in sensu quodam accommodato, quemadmodum s. Paulus verba *Ps. 18, 5: „in omnem terram exivit sonus eorum"* trahit ad apostolos *(Rom 10, 18)*. Neque tamen iterum hinc inferre merito

poteris, omnia per solam ejusmodi accommodationem explicari posse, id quod per argumentationem modo prolatam excluditur. Sed attentione opus erit ad rem hanc discernendam.

b) Insuper attendendum est etiam ad peculiarem rationem, sub qua typus in concretis casibus adhibetur. Si enim secundum determinatam rationem res declarantur typi, ad alias pro arbitrio extendi non debent; „neque enim, ut sapienter monet s. Chrysostomus, nos sumus domini legum allegoriae, sed debemus mentem Scripturae sequi et sic figura allegoriae uti" *(in Is 5, 3)*. Et ideo licet integrum foedus vetus ex mente apostoli figura et typus est novi, absurdum tamen est omnia et singula, omnes etiam et singulas phrases veteris legis in typum convertere.

Sub his porro conditionibus manifestum est, typicam declarationem confundi non posse cum modo effreno rabbinorum vel scriptorum quorundam ecclesiasticorum, qui prorsus pro arbitrio suo et pro lusu phantasiae verbis et rebus Scripturae nescio quas significationes adfinxerunt; qui modus immodicus et arbitrarius certe laudari nequit.

§ 2. De sensu litterali.

Sensus litteralis, qui et historicus vocatur, ille erit, quem ipsa verba immediate ex intentione auctoris libri fundunt. Attamen hic attende, sensum litteralem non necessario eundem esse ac sensum proprium verborum, cum ipse scriptor verbis suis immediate sensum quoque translatum subjicere possit, diversum ab eo, quem verba ex nativa sua virtute habent.[1])

„Per litteralem sensum, ait s. Thomas, potest aliquid significari dupliciter, scilicet secundum proprietatem locutionis, sicut quum dicitur: homo ridet, vel secundum similitudinem, sicut quum dicitur: pratum ridet. Utroque modo utitur Scriptura, sicut quum dicitur *quantum ad primum*, quod Jesus ascendit, et quum dicitur, quod sedet a dextris Dei, *quantum ad secundum;* et ideo sub sensu litterali includitur parabolicus vel metaphoricus" *(in Gal 4 lect. 7)*. Et secundum hoc idem sanctus *S. th. 1. q. 1 a. 10 ad 3:* „Non est litteralis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum; non enim, cum Scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus, quod in Deo est membrum hujus-

[1]) „Verum quidem est quosdam patres sensum litteralem arctius sumpsisse et ab eo sensum figuratum et sensum spiritualem (allegoricum) distinxisse; sed hic modus loquendi non jam est in usu et, ne confusio oriatur, melius relinquitur" (Pesch *n. 543*).

modi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scil. virtus operativa".

Quare cum Scriptura in metaphoris, allegoriis, parabolis loquitur, sensus ipse metaphoricus, allegoricus, parabolicus erit sensus litteralis; hunc enim sacer scriptor directe et immediate locutione sua exprimere et manifestare vult.

I. Ante omnia constat, omnibus et singulis s. Scripturae enuntiationibus proxime et per se sensum competere litteralem, qui potest esse aut proprius aut figuratus *(translatus, metaphoricus, parabolicus)*.

Haec sententia jam absque controversia admittitur; neque olim inter patres adversarium invenit nisi unum Origenem, cui forsitan accessit Gregorius nyssenus; de qua re cf. *ZfKTh XXX (1906) 227 sqq.* — Occurrunt quidem et alii patres, qui similia proferre videntur; ast cum rem diligentius inspexeris, intelleges eos sub sensu allegorico illum intellegere, quem nos modo improprium, metaphoricum distinximus a sensu proprio sive obvio; cf. *ib XXXI (1907) 86 sqq;* Pesch *n. 487 sqq.*

Res ista omnino evidens est et facile illustratur:

1. „Deus in Scriptura hominibus loquitur, ergo ita, ut ab hominibus intellegi possit. Jamvero patitur quidem humana loquela metaphoras, sed tum tantum, cum vel ex communi usu vel ex circumstantiis sermonis patet esse metaphoras; at in mediis narrationibus historicis aut in legibus proponendis [vel in expositionibus quibuscunque] subito recedere a significatione, quam vocabula et ex usu et ex circumstantiis habent, iisque subicere significationem numquam inter homines auditam, hoc non est humano modo loqui neque velle intellegi" (Pesch *n. 545*); id stultitiam sapit aut comoediam.

2. Idem patet ex modo, quo patres universi voce unanimi modum Origenis impugnabant, reprobabant, condemnabant; quo hic sensu litterali neglecto ad sensum allegoricum verba transvehere voluit. Quem modum etiam stultum, absurdum, horrendum, abominabilem vocant, qui et ad haeresin proxime accedat; cf. iterum *ZfKTh XXX 130 sqq.* — Et certe contrario principio semel admisso, quod verba Scripturae secundum sensum litteralem non

essent exponenda, totus Scripturae intellectus ejusque auctoritas gravissimo periculo exponeretur.

II. Quaeri adhuc potest: num uni eidemque textui Scripturae unus tantum sensus competat litteralis. — Intellexeris vero, quod jam non agitur de quaestione, num uni textui duplex sensus competat, ex quibus unus est litteralis, alter vel et alii sint typici; id quod jam concessimus. Neque quaeritur, num in aliquo textu dubio aliae ab aliis interpretibus proponantur incertae vel probabiles interpretationes; sed quaeritur, num ex ipsa intentione Spiritus Sancti uni litterae multiplex subesse possit sensus litteralis certus isque prorsus disparatus.

Inter patres solus Augustinus non ut certum, tamen ut probabilem admittit sensum multiplicem pro uno eodemque textu. „Cum alius, inquit, dixerit: ‚hoc sensit (Moyses), quod ego', et alius: ‚imo illud quod ego', religiosius me arbitror dicere: Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium et si quid quartum et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere" *(Conf. XII 30 sqq)*. — In praxi tamen sua exegetica vel ipse Augustinus multiplicem sensum litteralem ignorare videtur.

Propter auctoritatem tamen s. doctoris postea sat multi theologi eandem sententiam jam ut plus minus certam amplectebantur et defendebant. Hi etiam ad s. Thomam provocant; et hic revera eandem profert *de pot. q. 4 a. 1:* „Hoc ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et [in] diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit . . Unde non est incredibile Moysi et aliis auctoribus s. Scripturae hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intellegere, ipsi cognoscerent et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris": cf. etiam *in II dist. 12 a. 2 ad 7.* — Sed postea potius in contrariam partem inclinasse videtur et ipse, dicens: „Cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, nulli expositioni aliquis ita praecise in-

haereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur et ne iis via credendi praecludatur" *(S. th. 1 q. 68 a. 1)*.

Sententia nihilominus plane desperata est; et quamvis per tempus non paucos fautores inter scholasticos invenerit, nunc jam „communis omnium fere interpretum et theologorum sententia est libros sacros, quod ad litteralem sensum attinet, a libris profanis non differre eosque unum solum litteralem sensum admittere" *(Cornely Comp. introd.[6] n. 158)*.

1. Taedet fere in re evidenti argumentum proferre. Si placet, accipe hoc: Deus loquitur ad homines humano modo, lingua qua utuntur ipsi homines, neque aliter ad homines, si velit intellegi, loqui potest. *Atqui* inter homines una lingua unaque enuntiatio unum tantum sensum fundit. Quodsi autem verba proferuntur ea intentione, quae permittat duplicem intellectum, hoc nonnisi per jocum fieri intellegitur; vel proferens ejusmodi ambiguas sermones de vero, proprio, unico sensu statim interpellatur; vel certe si unum determinatum sensum non inveniunt, homines potius fatentur se sermonem non intellexisse. *Ergo* Deus pariter unum sensum litteralem suis verbis subjecisse merito supponitur, cum Deus cum hominibus in rebus tanti momenti jocare nonnisi stulte diceretur; et absque dubio ab hominibus intellegi velit.

Ad rem illustrandam Pesch istud exemplum adfert: „Si alicui ostendo vaccam et (neglegens syllabarum quantitatem) dico ei: Haec vacca est mala, audiens secundum obvium sensum verborum iudicat me vaccae aliquem defectum attribuere; et fortasse quaerit, quo defectu laboret. Si ei respondero: Recte me intellexisti; vacca enim laborat pernicioso vulnere; sed simul aliud volui dicere, nimirum: vacca edit poma, alter ridebit et perspiciet me jocum facere". Et sic in genere „si quis inter homines vellet uti talibus dictis ambiguis, quando serio loquendum est, ineptus nugator haberetur".

2. Neque igitur nos dicimus, omnino impossibilem esse, verbis quibusdam prolatis multiplicem sensum litteralem submittere. Sed dicimus: si quis serio inter homines tales sermones profert, ipsum unum determinatum sensum intellegere et intendere; secus jocaret.

Si igitur adversarii dicunt modum illum per se possibilem esse, reponimus: sed non est possibilis respectu Dei. Et si addunt, Deum, quae est Ipsius dignitas vel majestas, modum illum sibi reservasse, modum per se jocosum: hoc certe a priori non est valde probabile; idcirco firmis rationibus ostendi debet. Ejusmodi autem ratio non habetur inde, quod unus Augustinus id probabile declaraverit.

3. Provocant tamen ad *Jo 11, 50 sqq*, ubi legitur: „Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat". Quibus verbis evangelista statim addit: „Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset pontifex, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum". Ecce, dicunt, unis eisdemque verbis *‚expedit ut unus moriatur pro populo'*, duplex sensus litteralis subest, unus ex mente Caiphae, alter autem ex mente Spiritus Sancti: ergo revera secundum ipsam Scripturam duplex saltem sensus litteralis in uno textu inveniri potest. — Sed quaero, quisnam sensus est Scripturae: Caiphae an Spiritus Sancti? evidenter ille, quem Spiritus Sanctus interpretans addidit, qui profecto nonnisi unus est. In quantum autem ex mente Caiphae proferuntur, Scriptura non veritatem citati ejusque sensum respicit, sed veritatem citationis; unde cum hoc testimonio Scripturae fautores sensus multiplicis non proficiunt.

Quando vero provocant ad hoc, quod Paulus verba *psalmi*: „Filius meus es tu, ego hodie genui te", triplici sensu intellexerit *(Heb 1, 5; Heb 5, 5; Act 13, 33)*, probandum est, apostolum tribus illis locis semper verba psalmi praecise in sensu litterali intellexisse. Potuit enim in uno quidem loco sensum litteralem retinere; in altero vero et tertio sensum typicum vel accommodatum, sane multiplicem, iisdem verbis supponere.

Scholion: Aliud prorsus est, textum aliquem habere sensum unum litteralem generaliorem, qui ex ipsa materia significata admittat deinde sensus partiales. Ita v. g. si in quarta prece orationis dominicae „panis quotidianus" intellegitur, „quidquid nobis necessarium est ad vitam sive temporalem sive spiritualem agendam", patet sub hoc sensu deinde tanquam partes intellegi panem ipsum materialem, gratiam spiritualem, Eucharistiam. Attamen nemo in hac suppositione loquitur de multiplici sensu disparato, sed de uno, qui propter majorem suam extensionem multa sub se comprehendat vel ex generaliore conceptu, quem continet, ad plura se extendit.

Idem dicas de eo, quem vocant sensum consequentem, quo id quod directe et immediate per verba Scripturae enuntiatur, ope ratiocinii ad alias veritates deducendas adhibetur; si tamen, id quod directe et immediate in Scriptura non enuntiatur, ratione omnino sensum Scripturae declares.

In sequentibus disputationibus sive de interpretatione sive de veritate Scripturae proxime sensum tantum litteralem respicimus.

Articulus II.

De interpretatione Scripturae.

Si verba alicujus auctoris facile intelleguntur vel si sensus libri clarus et omnino planus est, de apto et idoneo interprete quaerendo fere non cogitamus, cum unusquisque per se capiat quae legit; aliter sentiendum est, quando intellectus difficultates patitur sive quando sensus est obscurus. Quare obscuritas Scripturae in quaestione de interprete instituenda aliquatenus supponitur; et ideo in hoc articulo *prius* de obscuritate sacrorum librorum disputabimus; *deinde* de medio, quo huic obscuritati medela fiat, seu de legitimo ejusdem interprete agemus.

Cohaeret autem et haec sensus obscuritas non secus ac ipsa divisio sensuum cum divina inspiratione tanquam ejus connaturale consectarium. Eo enim quod Deus est auctor Scripturarum, magna quoque mysteria et sublimes veritates intellectu difficiles ibi inveniuntur, ex quibus haec earundem obscuritas plerumque saltem enascitur.

§ 1. De obscuritate Scripturae.

Praenotatio. — 1. Dictum aliquod vel aliquis liber obscurus est, quando sensus ejus vix vel ne vix quidem inveniri potest. Cum autem sensus Scripturae varius est, de obscuritate Scripturae per se sub diverso respectu loqui possumus. Poterit Scriptura obscura dici quoad sensum, qui ejus proprius est, typicum vel allegoricum; et hunc pro hominibus difficultatibus obfuscari, absque controversia admittitur; sub hac ratione maxime ss. patres

Scripturam vocant librum septem sigillis obclusum. — Quando nos in praesente quaestione de obscuritate Scripturae loquimur, eam intendimus, quae eidem competit ratione ipsius sensus litteralis.

2. Adversarii. — Obscuritatem Scripturae protestantes inde a Luthero praefracte negabant; qui e contra eidem tantam adscribebant perspicuitatem, ut quivis homo, dummodo bonae voluntatis sit, rectam ejusdem expositionem per sese invenire valeat. Nota sunt verba Lutheri: „Oportet Scriptura judice hic sententiam ferre, quod fieri non potest, nisi Scripturae dederimus principem locum in omnibus, quae tribuuntur patribus, hoc est, ut sit ipsa per sese certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans et illuminans". Et obviam objectionem respiciens pergit: „Hoc sane verum est, superbis et impiis Scripturam s. semper esse majoris caecitatis occasionem, sed quae hominum scripta superbis etiam non sunt occasio majorum tenebrarum? aut quae res quamlibet optima superbis et immundis non cooperatur in malum? Hos fieri in Scriptura haereticos nihil mirum, verum eosdem in humanis scriptis plus etiam quam bestias fieri nihil novum" *(Assertio articul. praef.)* Consentiunt alii haeresiarchae, ut Zwingli et Calvin; hic tamen ad intellectum Scripturae postulabat „fidem et lumen Spiritus Sancti". Non ita nude consentiebat Melanchton; cf. Pesch *n. 565.*

Quamvis et nunc inter protestantes sint, qui Scripturis eandem perfectam perspicuitatem attribuant, tamen a temporibus ipsorum reformatorum eandem alii sat multi certis quibusdam clausulis restrinxerunt, asserentes v. g. veritates in Scriptura ea conditione esse perspicuas, ut, quae uno loco obscure innuantur, alio loco largius explicentur; vel quod manifesto ea tantum exhibeantur, quae ad salutem absolute necessaria sint; vel quod clara sint iis, quibus nullum ab aetate vel ab ignorantia linguae impedimentum sit etc. Alii protestantes ob rei evidentiam doctrinam patrum suorum etiam simpliciter reliquerunt.

3. Catholici e contra tenent, Scripturam non quidem in omnibus et semper, saepe tamen etiam in iis, quae ad fidem et mores spectent, obscuram esse vel saltem non ita perspicuam, ut interprete non egeat. Haec res ita manifesta est, ut merito mireris id unquam in dubium fuisse vocatum.

I. *Argumenta.* — 1. Probatur hoc ex ipsis divinis litteris. Expresse id s. Petrus *2 ep. 3, 16* de nonnullis Pauli epistolis testatur, „in quibus sint quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut

et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem". — Obscuritas sic directe de Pauli epistolis praedicatur: sed dicens: *„sicut et ceteras Scripturas"*, Petrus idem etiam ultra has epistolas extendit.

Excipiunt protestantes: epistolam s. Petri ipsam non esse canonicam. *Ast* plane immerito; de qua re cf. *Introductionem.* — *Excipiunt* etiam: agi de rebus minoris momenti, si quando Scriptura appareat obscura. *Ast* quis vocabit res illas minoris momenti, ex quarum depravatione sequatur hominis perditio?

2. Probatur idem ex innumeris patrum testimoniis. Hi permulti cum totam fere vitam in sacris studiis impenderant, de se fatentur cum s. Augustino dicente: „se in ipsis sacris Scripturis multo nescire plura quam scire". Hac ex mente s. Chrysostomus fideles adhortatur: „Neque enim Christus dixit: Legite Scripturas, sed: Scrutamini Scripturas. Quia ea, quae de ipso ibi dicuntur, multa opus habent investigatione; sub umbra enim quasi occulta veteribus erant; ideo illos accurate fodere jubet, ut in profundo posita reperire possint. Neque enim in superficie vel in conspectu jacent, sed quasi thesaurus quispiam profunde admodum recondita sunt" *(in Jo hom 41, 1).* — Ceterum rem enuntiant eo ipso, quod rationes quaerunt, cur Deus ejusmodi obscuritatem permiserit; de qua re statim plura adferemus.

3. Idem protestantes plurimi jam ultro fatentur;[1]) et qui contradicunt, et ipsi propria sua experientia actu implicito saltem idem confiteri coguntur vel inviti. Cum enim actu Scripturas explicare conantur, non consentiunt, sed in diversissimas, vel contradictorias, abeunt sententias.

Merito hac in re provocare possumus ad factum 18 saeculorum. Ubicunque enim Scriptura permissa erat investigationi singulorum hominum, semper id accidit, quod pro suo tempore jam animadvertit Vincentius lirin: „Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu accipiunt universi, sed ejusdem eloquia aliter atque

[1]) Est unus ex eorum numero (Sam. Werenfels † 1740), qui rem versibus enuntiat: „Hic liber est, in quo sua quaerit dogmata quisque, invenit et pariter dogmata quisque sua."

aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, aliter postremo Nestorius" *(common. 2)*.

Neque alia obtigit fortuna reformatoribus, qui ut unum dilucidum exemplum adferamus, de sensu verborum ceteroquin clarissimorum „Hoc est corpus meum" ab ipsis initiis apostasiae suae acerrime disceptarunt, ita ut anno 1577 ducentae jam numerarentur interpretationes eorundem verborum. Et in genere de singulorum fere incisorum, quae alicujus momenti sint, usque hodie inter se digladiantur.

4. Ratio valde clara ex ipsa rei natura desumitur.

a) Agit enim Scriptura de rebus et objectis fidei; *atqui* haec maxima ex parte ex sese jam rationis captum excedunt, ideoque necessario obscura sunt; *quare* etiam sermones, qui de ejusmodi rebus agunt, intellectu difficillimi sint oportet.

b) Certe haec fidei divinae mysteria revelantur verbis ex communi usu assumendis, quibus tamen veritates istae absconditae non tam accurate exprimi possint; neque ab initio terminologia dogmatum ita determinata et fixa erat, qualis decursu saeculorum effecta est. Inde accidit, ut multi termini per Scripturam adhibiti ambiguitate laborent, cum iidem termini modo secundum usum vulgarem modo secundum significationem specifice christianam accipiendi sint; ambiguitas terminorum autem necessario iterum obscuritatem creat. — Ita ratione objecti aderit obscuritas in Scripturis.

c) Sed etiam ex Scriptura formaliter sumpta ejusque propriis adjunctis intellectus aliquatenus impeditur. Et lectoribus quidem, ad quos primitus Scriptura dirigebatur, lingua qua originaliter scripta est familiaris erat, conditiones temporum et locorum aliaque adjuncta, quae in ejus libris supponuntur, notissima erant; unde ii minores difficultates quoad intellectum experiebantur. Nobis autem haec omnia jam aliena sunt et modus ipse concipiendi et edisserendi, quo libri utuntur, a nostra consuetudine longe differt. — Insuper multae depravationes in

textum irrepserunt, quae difficillime examinantur et difficilius removentur.

d) Ita causae obscuritatis, sane multae, mysteria sunt et vaticinia nondum impleta, locutiones figuratae et allegoriae apud nos minus usitatae, hebraismi, apparentes contradictiones, repentini transitus de sensu litterali ad translatum, de uno objecto ad aliud affine v. g. de primo Christi adventu ad alterum in consummatione saeculi, de typo ad antitypum. Ejusmodi causa obscuritatis erit ratio disserendi nimis concisa, unde sententiarum nexus pervius non est, defectus ordinis systematici in proponendis rebus fidei et morum; neque enim per modum catechismi Scriptura ad nos loquitur etc. (Hurter *I n. 183,4)*.

II. Quaesiveris statim: ast qua ratione Deus summa sapientia doctorque optimus doctrinam suam tantis tenebris involvere potuerit. Quare jam disputatio instat de rationibus finalibus, quibus Deus permotus Scripturas omnino nobis tradere voluerit obscuras. Ejusmodi autem rationes sat multae a ss. patribus recensentur.

1. Pulchram rationem exhibet auctor quidam *commentarii in Isaiam praefat. n. 6:* „Quemadmodum opifex noster in his (rebus creatis) commoditates vitae nobis haud invidens omnia una nobiscum similiter ac brutis produci ac procreari non permisit, sed velut ingenii exercitium rerum necessariarum inopiam nobis excogitavit: itidem et in Scripturis data opera voluit esse obscuritatem ad mentis nostrae utilitatem, vim ipsius ac virtutem excitans". — Sic Deus obscuritatem Scripturae permisit, ut mens hominis habeat, quo utiliter in salute sua operanda exerceatur et excolatur.

2. Alteram obscuritatis rationem idem auctor statim adnectit et desumit inde: „quod quae labore parta sunt, ea nescio quo pacto magis amantur, quaeque longo tempore contingunt, constantius permanent; porro quae facile parantur, his non perinde avide fruimur". Cui consentit Augustinus tenens Scripturae obscuritatem divinitus esse provisam „ad intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata vilescunt" *(de doctr. chr. II 6; de catech. rud. 9)*. — Utramque rationem hucusque expositam comprehendit et s. Gregorius M. dicens: „Magnae utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur et exercitatus capiat, quod capere non posset otiosus; habet quoque adhuc aliud majus, quia Scripturae sacrae intellegentia, quae, si in cunctis esset aperta, vilesceret, in quibusdam locis obscurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto majore labore fatigat animum quaesita" *(in Ez 1 hom 6,1)*.

3. Obscuritas ista insuper multum confert „ad edomandam, ut ait Augustinus *l. c.*, labore superbiam"; id quod et Irenaeus suo modo enuntiat. Hic enim postquam notavit nos ex Scripturis multa non perspicere, addit hoc eo fieri, „ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quae sunt a Deo" *(adv. haer. II 28, 2).*

4. Confert eadem obscuritas etiam ad honorem verborum divinorum; id quod implicite inculcat Hieronymus, quando irridet eos, secundum quos „sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant; hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant" *(ep. 53, 6 sq.);* idem sentit Augustinus *de utilit. cred. 6 sq; de morib. eccles. 1.*

Paucis verbis haec omnia complexus est s. Bonaventura disserens: „Ideo sub cortice litterae apertae occultatur mystica et profunda intellegentia ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate litterae latente et superbi comprimantur et immundi repellantur et fraudulenti declinentur et negligentes excitentur ad intellegentiam mysteriorum; et quia auditor doctrinae istius non est unius generis, sed cujuslibet — omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire — ideo ipsa multiformem habet intellegentiam, ut sic omnem intellectum capiat et omni intellectui condescendat, omnem intellectum superexcedat et omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis suae illuminet pariter ac accendat" *(Breviloqu. praef. § 5).*

5. Principalis *denique* ratio fors est, quod Deus voluit, ut in ecclesia hi sint magistri, illi discipuli; et magisterium, omnibus rite perpensis, omnium optimum et hominibus, quales nunc sunt, maxime conveniens medium est, quo revelatio conservetur et propagetur. Huic autem magisterio multum detraheretur in superabundanti et prorsus dilucida doctrina Scripturae; cf. encycl. *Providentissimus Deus n. 16.*

III. Ad ea autem, quae protestantes et ipsi pro suo errore ex dictis ss. patrum proferunt, facile respondebis.

1. Provocant v. g. ad s. Chrysostomum, qui claritatem Scripturae magnificis praedicet hisce verbis: „Omnia clara sunt et recta, quae sunt in divinis Scripturis; manifesta sunt omnia, quaecunque sunt necessaria"; unde etiam „per se quisque e sola lectione discere possit" *(de Lazaro hom 3, 3; in 2 Thess. hom. 3, 4).*

In his vel similibus merito distingues sensum: intellegit s. doctor claritatem Scripturae *secundum aliquid,* ex. g.

in rebus quibusdam fundamentalibus, vel quoad certa quaedam et singularia testimonia, de quibus tunc sermonem habebat . . . *cc;* intellegit claritatem Scripturae *simpliciter quoad universa,* quae in ea scripta continentur *ng.* — Audivimus supra ex verbis ejusdem s. doctoris, qua ratione de Scriptura in universum cogitaverit, sub *I 2;* cf. et ipsam homiliam istam *de Lazaro 3, 2.*

2. Adferunt etiam testimonia sive patrum sive Scripturae ipsius, quibus Verbum Dei lux declaratur et lucerna *(Ps. 18, 9; 118, 105. 130; Prov 6, 23; 2 Pet 1, 19 etc.)* — *Atqui,* ita subsumunt, Scriptura est Verbum Dei, et lux vel lucerna quam quod maxime clara est et minime obscura.

Resp: Ecce et Deus ipse secundum *1 Jo 1, 5* „lux est et tenebrae in eo non sunt"; qui tamen ex *1 Tim 6* etiam „lucem inhabitat inaccessibilem". Ita et ista vel similia de Scriptura dicta *distingues:* Scriptura, ut verbum Dei, lux vocatur et lucerna, ipsa in se et objective considerata *cc.* vocatur lux subjective sive quoad nos, lux ad quam unusquisque vel rudissimus accedere valeat *subd.* quoad certa capita et pro iis, qui Scripturam ab authentico magisterio bene instructi accipiant *cc.* quoad omnia et abstrahendo ab ejusmodi magisterio et accommodata propositione *ng.*

Revera patres verba illa proferentes plerumque vel semper „fideles alloquuntur jam plane fidei notitia imbutos atque pendentes ab ore magisterii ecclesiastici, cujus est Scripturas interpretari" (Hurter *I n. 183, 4*). „Quodsi non poteris assiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem", ait Chrysostomus *hom. de Lazaro 3, 3.*

Conclusio. Sit igitur s. Scriptura in multis doctrinae capitibus clara et perspicua, ut in praecepto illo, quod est in lege maximum *„Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo"*, vel in illo alio loco *„Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam"*: in multo pluribus est obscura. Obscurus est integer liber Apocalypseos, liber Ecclesiastis, multae partes prophetarum . . et ideo Scriptura simpliciter loquendo certissime non est perspicua; ex hac parte interprete omnino indiget, et de hoc jam quaeritur, quis sit.

§ 2. De Scripturae interprete authentico.

I. Interpres Scripturae vel ex ipsa ejusdem obscuritate necessarius esse infertur; attamen ejusmodi interpretem Scripturae authenticum protestantes simpliciter omnes negant, etiam ii, qui ceteroquin obscuritatem ejusdem concedant. Iste est eorum articulus fundamentalis de sufficientia Scripturae, quem formula concordiae hisce verbis exhibet: „Credimus, confitemur et docemus unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et judicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum veteris tum novi testamenti" *(die symbolischen Bücher der ev.-luther. Kirche; ed. Müller[7] 517).*

Eo autem sensu Scripturam sufficere profitentur, ut, quicunque eandem cum bona dispositione legerit, ea saltem, quae necessaria sint ad fidem salutarem hauriendam, intellegat vel inveniat, inveniat quibus religiose commoveatur et affectum filialis fiduciae (quae est iis loco fidei) in Deum Patrem concipiat; id quod ceteroquin et quilibet alius liber religiosus praestare poterit. Tenent igitur Scripturam solam sibi sufficere, eamque sufficere tum singulis ad discendum, quid credere quid agere debeant, tum ecclesiae ipsi docenti, ut inde omnem doctrinam suam hauriat controversiasque omnes dissolvat.

Haec protestantium doctrina evidenter falsa est. — Etenim

a) jam aliunde notum est — id quod ceteroquin cum ipsa ratione originis Scripturae cohaeret — quod Scriptura in se spectata non integram doctrinam revelatam et divinitus omnibus destinatam continet. Ergo certe non sufficit ad integrum fidei depositum aperiendum. — Sed neque sibimet ipsa sufficit; nam ne propriam quidem de semetipsa doctrinam plene exhibere potest; neque enim, ut supra audivimus, Scriptura de sese de suisque libris sufficiens et accuratum testimonium praestat et criterio aliunde petito indiget, quo genuinae Scripturae tuto ab apocryphis secernantur. Neque de incorrupta sua conservatione Scriptura testificari unquam poterit. Quare vel sic multiplex sibi adjumentum exigit et in sese insufficiens esse cognoscitur.

b) Multo minus Scriptura sufficit ratione eorum, qui inde revelationem divinam et salutarem disciplinam haurire debent. Neque enim omnes, quibus tamen divina revelatio pariter destinata est, hanc ex Scripturis cognoscere valent. „Plurimi enim homines ne legere quidem possunt; ex illis qui legere sciunt,

plurimi linguas, quibus Scriptura confecta est, non intellegunt; ex iis, qui utcunque Scripturas legere possunt, plurimi magnam ejusdem partem propter obscuritatem (de qua modo audivimus) non capiunt . . Itaque etiam ex hac parte praeter ipsam Scripturam requiruntur, qui eam coram aliis legant, qui eam in varias linguas vernaculas vertant, qui eam exponant . . . et haec omnia ita fieri debent, ut audientes etiam intellegant, agi de veris et genuinis Scripturis, quae etiam incorrupte ad nos pervenerint" (Pesch *n. 571).*

II. Quae cum ita sint, majore importunitate recurrit quaestio, quisnam legitimus interpres agnoscendus sit, qui tum obscuritati tum insufficientiae Scripturae subveniat.

1. Neque tamen in hac re multum laborandum est. Est enim factum omnino evidens et manifestum, quod Christus directa et primaria intentione ad doctrinam suam propagandam et integrum revelationis depositum custodiendum instituit magisterium vivum, quod munere suo praeprimis vivo vocis oraculo fungatur.

Neque enim Christus ad apostolos suos dixit: Sedentes in civitate scribite libros . . ., sed mandatum eisdem imposuit, ut euntes in universum mundum docerent omnes gentes, docentes eos omnia, quaecunque mandavit ipsis . . eo exitu ut, quicunque „apostolis praedicantibus non crediderit, condemnetur" *(Mc 16, 16 sq).* — Idem modus post Christum ab apostolis inculcatur magistris sub ipsis et post eos existentibus, quin unquam scriptionis mentio fiat: „Quae audisti a me per multos testes, haec commenda [non utique scriptis, sed] fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere" *(2 Tim 2, 2).* — Idem modus inter priscos patres et deinceps continuo teneri invenitur. „Perfecta praescientia praediti, ait Clemens rom., (apostoli) constituerunt praedictos (episcopos) ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent" *(42—44);* cf. *tr. de traditione.*

His manifestum est, medium revelationis propagandae et conservandae principale et prorsus universale divinitus institutum esse magisterium vivum ecclesiasticum, quod munere suo fungatur per traditionem oralem. Postea utique addita est Scriptura tanquam adjutorium quoddam, neque tamen illa prisca forma vel ratio religiosae institutionis mutata est, quae ex immediata Christi

institutione firmata in ecclesia vigebat; ipse enim Christus cum apostolis qua praedicantibus usque ad consummationem saeculi se fore promittebat, eandem per vivum magisterium exhibendam institutionem continuo apostoli successoribus suis inculcant, confecta jam Scriptura eandem ut necessariam tenent postea patres ecclesiae universi.

Cum igitur *ex una parte* Scriptura ipsa neque sibimet ipsi neque ecclesiae vel institutioni fidelium in genere sufficere apprehendatur, *ex altera parte* autem vivum ecclesiae magisterium ut medium prorsus universale doctrinae revelatae conservandae appareat: immediate evidens est, Scripturam tam quoad testificationem quam quoad intellectum et interpretationem eidem vivo magisterio substare. „Non oportet, ita ait Irenaeus *III 4,* adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, cum apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae."

2. Idem expressius etiam et explicite tenent patres iique quo vetustiores, eo fere vehementius. „Ubi charismata Domini sunt, ita v. g. Irenaeus *IV 26, 5,* ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio; hi enim Scripturas sine periculo nobis exponunt neque Deum blasphemantes neque patriarchas exhonorantes neque prophetas contemnentes"; et Tertullianus: „Quid autem, inquit, praedicaverint apostoli i. e. quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt ipsi eis praedicando tam viva, ut ajunt, voce quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam". Et antea jam declaravit: „Ubi apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum"

(de praescr. 21; 19). — „Multum [igitur] necesse est, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur" (Vincentius lir. *commonit. 2).*

3. Ideo merito profitemur in *prof. fidei trident.:* „Item s. scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione s. Scripturarum, admitto nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum patrum accipiam et interpretabor". Cf. idem concil. *s. 4 decr. de ed. et usu ss. librorum;* conc. vatic. *s. 3 c. 2.*

Scholion I. Sub duplici igitur respectu Scriptura ad ecclesiam docentem refertur; refertur ad eam a) ut ad testem inspirationis, quae nobis exhibeat doctrinam de s. Scriptura; et refertur ad eandem b) ut ad authenticam suam interpretem et ut exhibeat nobis doctrinam ipsius Scripturae.

1. Attamen nunc adversarii movent *exceptionem:* Si sic submittimus Scripturam magisterio ecclesiastico, eo ipso homines constituuntur supra Verbum Dei et Verbum Dei subjicitur hominibus. *Atqui* hoc divina majestas non patitur. — Hanc facili negotio expedias distinctione: S. Scriptura hominibus submittitur, ut est in se *ng.* in ordine ad nos i. e. ut nos intellegamus eam *subd:* subjacet hominibus, quatenus tales sunt *ng.* in quantum et ipsi divino suffulciuntur adjutorio et Dei loco et jussu munere suo funguntur *cc.*

Ecclesia enim docens auctoritas est et ipsa divinitus instituta, quae regitur divino Spiritu eique intime conjungitur; et sub hac ratione ecclesia ejusdem plane dignitatis est ac Scriptura, quae et ipsa non est nudum verbum Dei, quod immediate a Deo singulis profertur, sed quod lateat sub cortice litterae et reperiatur in variis libris et versionibus ope hominum confectis. Quare rite considerata et Scriptura et ecclesia in se spectatae, ratione eorum, quae proferunt, ejusdem auctoritatis sunt. — Neque tamen in hac re tam agitur de auctoritate Scripturae in se considerata, quam de nostra utriusque institutionis intellegentia, et optime sane sub hac ratione disserit Stapleton: „Ea quae ecclesia docet absque Scriptura, certiora sunt iis, quae Scriptura docet absque ecclesia;

quia hic testimonium quidem auditur, sed fortasse ab impostore aliquo prolatum aut ab ignorante verborum sensum male explicatum; ibi vero testis ipse loquitur, qui a Spiritu Veritatis in omnem veritatem inductus nec falli potest nec fallere, qui etiam viva voce docens mentem suam clarius explicat et certius *(dem. meth. princ. fid. doctr. XII 17)*.

2. Insuper in genuina interpretatione Scripturae agitur de inveniendo sensu, quem intellexit proprius ejusdem auctor Deus, non de nescio quibus placitis scientificis profanis et philologicis qua talibus. Sensum vero illum secure non invenies sine ecclesiastico magisterio, quod idem Spiritus Scripturae auctor muneri suo perfecte adaptavit. Quare stultum est dicere, per ejusmodi magisterium impediri intellectum vel interpretationem verborum Scripturae.

Nihilominus „privato cuique doctori magnus patet campus, in quo tutis vestigiis sua interpretandi industria praeclare certet ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam ac definitam adhuc desiderant, effici ita potest ex suavi Dei providentis consilio, ut quasi praeparato studio judicium ecclesiae maturetur; in locis vero jam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat vel insignius evincat ab adversariis" (Leo XIII *encycl. Providentissimus n. 17)*.

Scholion II. Qua ratione Scriptura aliquatenus sufficere merito dicatur?

1. Genuinitas Scripturae per traditionem mere historicam propria vel humana industria ita innotescere potest, ut certissimis testimoniis inde cognoscatur, ab ipso Christo divino legato ecclesiam institutam eique infallibile magisterium traditum esse; ejusmodi testimonia sunt v. g. *Matth. 16, 18; Jo 21, 15 sqq; 1 Tim 3, 15*, ubi „ecclesia Dei vivi columna declaratur et firmamentum veritatis". Sic ecclesia ipsa quamvis non unicum, tamen praecipuum suae auctoritatis testimonium a divina Scriptura recipit, non utique ut est inspirata, sed ut est documentum historica fide dignissimum revelationis per Christum nobis factae.

Si nunc Scripturam sub hoc respectu consideraveris, quatenus nimirum vivum illud magisterium nobis ostendit, quod inducat nos in omnem veritatem, merito dicitur, via sufficiens ad salutem hominibus ostendendam. — Hunc in sensum nonnulli patres de sufficientia Scripturae loquuntur, ea nimirum qua ecclesiam nobis ostendat. Ita s. Augustinus inter alios disserit agens *contra donatistas:* „Proferte certe aliquem de Scripturis canonicis, quarum nobis est communis auctoritas, ab haereticis venientem denuo baptizatum . . . Quia (tamen) nec vos

potestis proferre de Scripturis, quarum nobis est communis auctoritas, ab haereticis venientem denuo baptizatum, nec nos ita susceptum: quantum ad hanc rem attinet, par nobis causa est . . . Proinde quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae jam placuit ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut, quoniam s. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quaestionis, eandem ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate s. Scriptura demonstrat" *(contra Crescon. I 33)*.

2. Magisterium ecclesiasticum nunc semel ex Scriptura historice genuina demonstratum, Scripturam deinde tanquam verbum Dei formale et infallibile declarat. Et quamvis sic Scriptura sub hac ratione ab ecclesia dependere deprehendatur, tamen ipsa, norma jam et fidei regula authentice declarata, sua auctoritate iterum et ipsum magisterium ecclesiae sibi devincit ita, ut hoc ab ejusdem auctoritate numquam deviare debeat. Ita res divinitus ordinata est, ut magisterium ecclesiae, quamvis regula immediata et universalis fidei existat, tamen ex adjutorio Scripturae officio et muneri suo melius satisfaciat. Etiam sub hac ratione, qua adjutorium constituat doctrinae, Scriptura plane sufficere dicenda est ita, ut praeter eam aliud simile adjutorium neque requiratur neque admittendum sit. De hac sufficientia Scripturarum ss. patres loquuntur, quando in suis contra haereticos disputationibus fontes spurios et apocryphos, „inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperum scripturarum rejiciunt, quas ipsi finxerunt" (Irenaeus *I 20,1)*; dicentes etiam, Scripturam sic plane nobis sufficere.

3. Sub eadem ratione Scriptura sufficit ad certas quasdam veritates fundamentales probandas, maxime eas, quae in symbolo continentur et catechumenis olim erant tradendae. Hoc sensu s. Cyrillus hieros. trinitatis dogmate exposito *catech. IV 17* pergit: „Hoc signaculum in mente tua semper habeto: quod quidem nunc tibi summatim per capitum recensionem edictum est; si vero Dominus concesserit, adhibita ex Scripturis demonstratione, pro viribus a nobis plenius edisseretur. Oportet enim circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi nec temere probabilitatibus argumentisque in verborum artificio consistentibus abduci; ne mihi quidem ista proferenti ultro credas, nisi de divinis Scripturis eorum, quae tibi annuntio, demonstrationem acceperis; haec enim fides non ex commentitia disputatione, sed ex divinarum Scripturarum demonstratione vim habet". — Agit igitur Cyrillus

de veritatibus quibusdam fidei fundamentalibus, et insuper de Scripturis in oppositione ad commenta philosophorum sive haereticorum, sub qua utraque ratione Scriptura certe sufficit. *Ceteroquin* et ipse statim addit, ipsum symbolum omnibus fidelibus ab ecclesia accipiendum esse: „Fidem vero (i. e. symbolum) in addiscendo atque profitendo illam solam amplectere et serva, quae nunc tibi ab ecclesia traditur ex omnibus Scripturis vallata" *(catech. V 12)*.

4. Si *denique* haeretici inveniuntur, qui cum catholicis sacras Scripturas ut fontes legitimos admittunt, ad multas controversias cum iis componendas Scriptura iterum sufficit; et quia ipsa Scriptura, sic semel admissa, de legitimo instruit magisterio, tandem aliquando omnes haeretici inde redargui possunt. Hunc in sensum ss. patres cum haereticis disputantes non raro asserunt, solas Scripturas invocandas esse easque ad quaestiones dirimendas sufficere. Ex hoc praeprimis fonte protestantibus plerumque respondendum erit, cum dicta patrum pro sufficientia Scripturae proferunt; cf. Bellarminum *de verbo Dei IV 11*.

De vero autem sensu ss. patrum hac in re plane dubitari nequit. Hunc nimis manifesto Vincentius lirin. aperit disserens: „Hic forsitan requirat aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intellegentiae jungatur auctoritas? quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur" *(common. 2, 5)*.

§ 3. De usu et lectione Scripturae.

Hucusque egimus de relatione, quam s. Scriptura habet ad ecclesiam docentem, cujus sit, Scripturam ipsam fidelibus praebere et sensum ejus authentice explicare. Restat, ut pauca addamus de relatione, quam habet ad simplices fideles *(ecclesiam discentem)*. Haec relatio magis in genere considerari potest, sed etiam sub speciali quadam ratione, ut est legenda a fidelibus. Sub utroque respectu pauca.

I. *In genere.* — 1. Relatio simplicium fidelium ad Scripturam in genere ex iis fere intellegitur, quae modo exposuimus. Est enim prorsus correlativa ei, quam in antecedentibus magisterio ecclesiae attribuimus. Quemadmodum *enim* magisterium authenticum s. Scripturam

tradit et interpretatur, ita ab eodem magisterio fideles prius ipsos libros accipere et dein eorum sensum addiscere debent. Quare immediate patet, habitudinem inter Scripturam et ecclesiam discentem non esse immediatam, sed mediatam; et ideo certo ad ecclesiam discentem non pertinet via saltem ordinaria, ex Scripturis inspiratis cognoscere ecclesiam vel independenter ab ea integrum inde eruere fidei symbolum.

Neve iterum excipias, ecclesiam ita judicem constitui supra verbum Dei. Neque enim judex in civitate supra leges publicas statuitur, eo quod ad eum spectat easdem declarare et in singulis casibus applicare. Quemadmodum nimirum judicibus quoad leges civiles earumque codicem, ita ecclesiae magisterio judicium non competit, quod vocant superioritatis, sed discretionis tantum: neque munus ecclesiae docentis eo spectat, ut sensum Scripturae primitus statuat, sed ut simpliciter eundem inveniat et agnoscat et singulis fidelibus proponat. Sic magisterium ecclesiae potius sub Scriptura esse invenitur, sicut et judices sub legibus sunt. Hoc autem retineas, quod magisterium sit supra privatum intellectum Scripturae. Cf. Hurter *I n. 183, 5.*

2. His omnino concordant principia hermeneutica, quae Leo XIII *l. c.* commendat interpretibus catholicis s. Scripturae:

a) „Praecipuum sanctumque sit cath. interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis novi testamenti, aut per ecclesiam eodem Sancto adsistente Spiritu (sive sollemni judicio, sive ordinario et universali magisterio), eadem ipse ratione interpretetur; atque ex adjumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem ad sanae hermeneuticae leges posse recte probari" *(n. 17).*

b) „Ss. patrum, quibus post apostolos sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit, summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes. Eorundem vero patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur: quippe quos non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum ad apostolicos libros cogno-

scendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes amplioribus luminis sui praesidiis adjuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intellegenti delectu" *(n. 19)*.

c) „In ceteris [in quibus nulla authentica declaratio unanimisve consensus patrum] analogia fidei sequenda est et doctrina catholica, qualis ex auctoritate ecclesiae accepta, tanquam summa norma est adhibenda; nam cum et sacrorum librorum et doctrinae apud ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae ecclesiae adversetur" *(n. 17)*. — Et ideo, quia consideratio analogiae fidei necessarium suppositum recti intellectus Scripturae est, exigit s. pontifex: ut „hujus disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat atque in commentariis versatus sit ss. patrum doctorumque interpretum optimorum" *(n. 18)*.

d) Ubi patres non consentiunt, vel ubi agitur de rebus ordinis profani, ad sententiam eorundem patrum interpres catholicus alligari nequit. „Studiose, ita sub. *n. 29*, dignoscendum in illorum (patrum) interpretationibus, quaenam reapse tradant tanquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unamini tradant consensu; namque ‚in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit sanctis diversimode opinari, sicut et nobis', ut est s. Thomae sententia" *(n. 29)*. — Et ideo merito monet sub *n. 20*: „Nec tamen viam sibi putet obstructam (interpres), quominus, ubi justa causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi ab Augustino sapienter propositae religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere".

e) Ut res mere profanae autem non possunt existimari eae ordinis naturalis veritates, quibus negatis jam aliquod dogma et inspiratio in dubium vocetur. „Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex certis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam dixerit; etenim libri omnes atque integri . . sacri . . Spiritu S. dictante conscripti sunt; tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa errorem excludat omnem" *(n. 30)*.

II. Facile jam *de altera quaestione,* de usu nimirum s. Scripturae, agitur. — 1. Et ante omnia non potest negari, usum seu lectionem Scripturae per se utilissimam esse. Ut *enim* Paulum *2 Tim 3, 16* dicentem audivimus: „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia"; et iterum *Rom 15, 4:* „Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus".

2. *Ex altera* vero *parte* — a) scimus, organum revelationis proprium et omnibus accommodatum et commendatum magisterium ecclesiasticum est; inde statim perspexeris, lectionem Scripturae simplicibus fidelibus certe necessariam non esse; neque ullibi ejusmodi lectio invenitur esse praescripta.[1])

b) Quin etiam privata Scripturarum lectio ob ejusdem obscuritatem periculo non caret. Unde manifestum est, juris et potestatis et simul muneris ecclesiae esse, huic periculo fidelium obvenire et lectionem Scripturarum quoad simplices fideles moderari eamque certis cautelis praemunire, quas cautelas adjunctis et necessitatibus temporum sapienter semper adaptabit. Hinc cum primis ecclesiae temporibus non tantum immineret periculum ex s. Scripturae lectione, nullam per saecula saltem duodecim prohibitionem universalem reperias; merito vero ecclesia usa est jure suo, cum saeculo demum XVI haeretici passim Scripturas in linguas vernaculas verterent et vertentes sensum etiam perverterent addendo, subtrahendo, pro lubitu immutando. Exinde ab auctoritate ecclesiastica promanabant certae praescriptiones, quibus usui Scripturarum accuratius invigiletur.

[1]) Quae in contrariam partem protestantes proferunt verba Christi: „Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere", non sunt ad rem. Ibi *enim* Christus adhortatur pharisaeos et doctos inter judaeos, ut ex consideratis vaticiniis messianicis veteris testamenti Ipsius divinam missionem agnoscant. Nimium igitur concluderes, si inde obligationem prorsus universalem omnibus christifidelibus impositam deduceres, Scripturam in genere legendi.

3. De iis, quae hodie valent cf. *decretum generale de prohibitione et censura librorum t. I c. 2 et 3.* Quae ibi praecipiuntur, ad haec reduci possunt: Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum, etiam ecclesiae orientalis, vel et aliarum versionum in lingua non vulgari ab acatholicis publicatae iis tantum permittuntur, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata non impugnentur. — Versiones omnes in lingua vernacula etiam a viris catholicis confectae prohibentur, nisi fuerint ab apostolica sede approbatae aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex ss. ecclesiae patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus. — Versiones omnes quavis vulgari lingua ab acatholicis confectae eodem modo prohibentur vel permittuntur, quo editiones textus originalis vel antiquarum versionum ab acatholicis factae.

Caput III.

De intemerata s. Scripturae veracitate.

Praenotemus libros qui in hoc capite saepius allegantur, et quidem

a) *qui stant ex positiva parte:* Chr. Pesch *de inspiratione s. Scripturae l. II. cap. IV.* — Fr. Egger *Absolute oder relative Wahrheit der hl. Schrift* 1909. — H. Van Laak *Instit. th. fund. tr. VI de inspir. Scripturae fasc. IV* 1911. — A. J. Delattre *autour de la question biblique* 1904; *le critérium à l'usage de la nouvelle exégèse biblique* 1907. — L. Fonck *der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift* 1905. — L. Murillo *Critica y exegesis* 1905. — L. Hugo *kathol. Exegese unter falscher Flagge.*

b) *ex parte adversa:* M. J. Lagrange *la méthode historique surtout à propos de l'ancien testament*[2] 1904. — Fr. Hummelauer, *Exegetisches zur Inspirationsfrage* 1904. — C. Holzhey *Schöpfung, Bibel und Inspiration* 1902. — N. Peters *die grundsätzl. Stellung der kathol. Kirche zur Bibelforschung* 1905; *Bibel und Naturwissenschaft nach den Grundsätzen der kath. Theologie* 1906. — F. Prat *la Bible et l'histoire*[2] 1904.

Articulus I.

De veracitate Scripturae in genere.

Disputationi sequenti multi auctores inscribunt: de inerrantia Scripturae. Relatio autem Scripturae ad verum eidem com-

petit, in quantum est Verbum Dei; verbo vero proxime attribuimus veracitatem, quae est conformitas mentis ad enuntiationes; unde et patres rem hanc non raro enuntiant eo, quod impossibile sit Scripturae mentiri. Consequenter deinde ss. Litteris inest et veritas logica (inerrantia) sive eorum, quae proferuntur, conformitas cum objectivo rerum ordine. „Consequenter" dico; non utique ratione veracitatis in abstracto sumptae, sed ratione veracitatis in concreto, in quantum in casu nostro Ejus est, qui nec mentiri neque errare potest. Ita a Scriptura excludimus ratione veracitatis non solum mendacium, sed omnem quoque errorem seu falsitatem.

Veracitas igitur s. Scripturae propria ea est, qua in iis, quae tradit, immunis ab omni mendacio et errore invenitur. Etiam alii auctores humani a spiritu mentiendi alieni esse librosque conscribere possunt, qui de facto omni errore careant; s. Scripturae proprium est, ut errorem vi essentiae et originis suae i. e. vi inspirationis excludat. Unde ejusdem veritas inter necessaria inspirationis consectaria jure connumeratur.

§ 1. Statuitur ipsa veracitas seu inerrantia Scripturae.

Praenotatio. — 1. S. Scripturam veracem i. e. ab omni spiritu mendacii alienissimam esse inter eos, qui genuinam ejusdem inspirationem confitentur, constat. Eandem etiam ab omni errore immunem esse, qui culpa morali careat, communis doctrina in ecclesia Christi est inde a temporibus apostolorum tam constans et certa, ut haereticum jam sit dicere in Scriptura errores inveniri quoad res fidei et morum, haeresi proximum vero errores admittere circa res profanas. Utrumque ex argumentis nostris hac in re adferendis absque difficultate patebit.

Ceteroqui hac in re nobiscum consentiunt protestantes antiquiores, qui Scripturam unicum et necessarium fidei fundamentum declarabant et ideo ejusdem veracitatem summis etiam laudibus efferebant. Aliter jam cogitant protestantes moderni, qui absque scrupulo et communiter possibilitatem saltem erroris admittunt, imo ipsos errores non solum in rebus profanis, sed et in rebus religiosis facile concedunt. Qui autem inter illos sententiae antiquae adhaerent Scripturaeque infallibilitatem adhuc retinent,

etiam deridentur tanquam ii, qui loco papae vivi ponant papam papyraceum; cf. Pesch *n. 231—271.* - His assentiunt plane modernistae; de quibus cf. *decr. Lamentabili;* Beßmer *Theologie und Philosophie des Modernismus 176 sqq.*

Inter catholicos pauci inveniuntur, qui in hac re *ex parte rerum profanarum* dubia foverint. Ita v. g. Salv. di Bartolo gradus varios distinxit inspirationis, gradum minimum, medium, maximum; minimum vero gradum ad res et materias ordinis profani *(geographiae, historiae, physicae)* pertinere; hominem autem sub hoc gradu inspirationis constitutum possibilitati erroris obnoxium manere (cf. Pesch *n. 335*). Similia docebant vel suadebant Lenormant *les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux,* d'Hulst *la question biblique p. 24*,[1]) quem librum scripsit ante encyclicam *Providentissimus,* Bonaccorsi *Questioni bibliche p. 250.*[2]) — Inter anglos *Clarke* in periodico *Tablet* haec protulit: Dicere in bibliis esse errores quoad auctorem divinum blasphemia est, quoad auctorem humanum adsunt; auctor autem divinus in inspiratione ea oeconomia usus est, qua se accommodavit hominibus et voluit assumere eorum quoque infirmitates. De singulis cf. Pesch *n. 333 sqq.* — Horum auctorum vero vel libri in indicem relati, vel saltem doctrinae per auctoritatem ecclesiasticam ut falsae reprobatae sunt.

2. Nos tanquam doctrinam fidei christianae tenemus, quod tota Scriptura propter inspirationem divinam i. e. vi originis omnino verax et ab omni errore immunis est.

a) Cum neque error neque mendacium inveniatur, ubi nullum judicium vel nulla affirmatio sit, patet vim propositionis nostrae eam esse, ut quidquid hagiographi qua tales de quacunque materia sive explicite sive implicite asserant vel affirment, necessario verum declaretur.

b) Dicimus autem s. Scripturam vi originis esse veracem; unde immediate patet, nos eidem hanc attribuere proprietatem, prout originaliter seu directe a pri-

[1]) „L'inspiration est une action motrice qui détermine l'écrivain sacré à écrire, le guide, le pousse, le surveille . . . peut-être ne confère-t-elle pas l'infallibilité à tous les dires de l'auteur inspiré; peut-être réserve-t-elle ce privilège aux dires qui intéressent la foi et les moeurs".

[2]) „A priori, anzi, neppure repugnerebbe, che l'asserzione dell'agiografo, in cose puramente profane, potesse non ostante quella direzione ed assistenza [=inspiratio] essere oggettivamente erronea".

migeniis suis auctoribus procedit; neque eadem necessitate ista proprietas Scripturae inhaeret, prout in apographis vel versionibus existit. De his versionibus vel apographis vero idem dicendum est, quam primum de earum authenticitate seu conformitate cum originali constat.[1])

Argumentum ex ratione theologica. — Sacram Scripturam veracem i. e. a spiritu mendacii alienissimam esse, immediate assumitur. Ejusdem enim auctor principalis Deus est; Deus autem mendacii plane incapax est. Et quamvis non immediate per semet ipse libros illos conscripserit, sed homine usus sit instrumento, hic homo, ut supra intelleximus, vi inspirationis non scripsit nisi movente et impellente Deo; Deus autem sicut ipse mentiri nequit, ita creaturae suae auctor mentiendi esse non potest. *Quare* inter eos, qui genuinam inspirationis notionem jam admittunt, assertio ex hac parte vix invenit adversarium.

Veracitas Dei *porro* ultimum quidem fundamentum est, quo a Scripturis omnis error removetur; tamen vi notionis aliud est veracem esse, aliud est erroribus carere. Quare stante ipsa veracitate Scripturae, per se adhuc de erroribus cogitari potest. Nihilominus et ipsa immunitas Scripturae ab omni errore cum notione inspirationis eodem arctissimo nexu cohaeret: etenim Deus non magis mentiri quam errare potest. Quare rationem theologicam si inspexeris, res nostra etiam ex hac parte brevissime absolvitur.

Attamen propter rei gravitatem et quia assertio nostra viis indirectis et furtivis eludi potest et hinc inde eluditur, merito diligentius inquirimus ex fontibus quoque positivis et authenticis, quid de veracitate et inerrantia Scripturae

[1]) Quid de Vulgata versione tenendum sit, accuratius alibi exponitur. Ratione *nimirum* definitionis ecclesiae, in concilio tridentino *sess. 4* editae, tenendum est, eandem versionem in rebus fidei et morum erroribus carere, rerum vero historicarum summam saltem et substantiam authenticam esse.

tenendum sit, quid in hac re credere debeamus abstrahendo ab ejusdem interna ratione.

I. Doctrina Christi ejusque apostolorum.

In argumento sequente magna ex parte iidem textus sacri recurrunt, quibus identidem jam usi sumus ad inspirationem ejusque extensionem ostendendam; quare attende haec omnia hic sub novo respectu consideranda esse, sub quo, ut olim inspirationem et sacram auctoritatem, ita nunc ipsam veritatem sacrorum librorum arguant.

1. Sicut Christus ita et apostoli argumentum peremptorium i. e. quod prorsus necessario veritatem rei evincat, ex verbis petunt Scripturae, non ut haec vel illa verba sunt, non in quantum de hac vel illa re agunt, sed sub ratione simplici „scriptum est"; ita procedunt *tum* quoad prophetias ostendendas necessario implendas, *tum* quoad necessitatem moralem in praeceptis observandis arguendam, *tum* quoad veritates ordinis dogmatici inculcandas. *Atqui* ratio ista „scriptum est" de omnibus et singulis s. Scripturae enuntiationibus, sive parvis sive magnis, ex aequo valet. *Ergo* omnibus plane enuntiationibus s. Scripturae, toti Scripturae, eadem irrefragabilis auctoritas seu veritas necessaria ex sensu Christi et apostolorum competit.

Hanc veritatem etiam ad minutissima quoque Scripturae verba se extendere, testes nostri etiam expressius ostendunt eo, quod vel brevissimas sententias et ipsa verbula, ordinis quoque profani, ad ejusmodi argumentationem adsumunt (cf. *Gal 3, 16; 4, 12: „scriptum est, quod Abraham duos filios habuit etc."*).

Ad majorem: a) De vaticiniis v. g. prorsus in genere Christus loquitur *Lc. 24, 44:* „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me"; unde Christus ex hac ipsa ratione, qua „scripta sunt", statim arguit *(v. 46):* „Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die". — Sicut autem Christus, ita et discipuli ejus necessitatem adimpletionis simplici ratione inferunt eo, quia „Scriptura dicit", quia „scriptum est", hinc inde etiam ex minimis incisis et verbis; sic Paulus ex verbis *Jer:* „Con-

summabo testamentum novum . .“ infert: „dicendo autem novum, veteravit prius“ *(Hebr. 8, 13)*.

b) Eundem in modum procedunt ad inculcanda praecepta moralia. Ita Christus in tentatione constitutus, quid sibi faciendum sit, formula eadem „scriptum est“ infert v. g.: „Non in solo pane vivit homo“; et in dissertationibus suis moralibus saepissime ad Scripturam tamquam ad fidelissimum veritatis fontem recurrit, ut *Mt. 12, 5:* „Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?“ Ita *ib. 9, 13 8, 4; 15, 4 sqq; 18, 16 etc.* — Similiter ex discipulis Christi Paulus v. g. *1 Cor 9, 7, coll. 9 sq; Rom. 13, 8 sqq.*

c) Dogmaticum vero argumentum Christus v. g. pro resurrectione mortuorum profert his verbis: „De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham . .“ *(Mt. 22, 31)*; cf. *ib. v. 43*. Similiter et apostoli argumentantur; ex quibus audias *Hebr.* integrum *cap. 11*, quo plurimis factis Scripturae illud illustratur, quod „justus ex fide vivit“, vel *Jac*, qui *2, 23* necessitatem et fidei et ipsorum operum ex eadem Scriptura demonstrat.

d) Magis diserte et prorsus universim assertum nostrum enuntiatum inveneris v. g. *Matth. 5, 18:* „Donec transeat caelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant“. Quae verba merito interpretaberis: omnis, etiam minima sententia in lege prolata, ineluctabili necessitate ad eum eventum deducitur, qui verbis legis enuntiatur.

Apud Joannem autem *10, 24 sqq* notissima verba leguntur: „Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura [Scriptura prorsus qua talis!]: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi ‚Filius Dei sum‘?“ Ecce principium prorsus universale: „non potest solvi Scriptura“. Ex quo posito Christus statim ad particularia descendit, quale est illud: „Dii estis.“ Solvi autem evidenter in hoc loco idem est ac irritum seu non verum declarare. Cf. etiam *Jo. 5, 36 sqq*, quibus s. Scriptura qua talis divino Patris testimonio aequiparatur. - Magistri autem vestigia prorsus premit Petrus in argumentatione sua adducens generale principium „oportet impleri Scripturam“ *(Act 1, 16)*.

2. Quaesiveris fors, cur in argumentatione ita distinctim processerimus per vaticinia, praecepta moralia, dogmata? Ita ex testimoniis allatis simul apparet, immerito contra argumentum excipi, in citationibus Christi vel apostolorum communiter agi de implendis vaticiniis. Vi-

dimus enim, quod in aliis quoque materiis eodem argumento utuntur. – *Insuper* quoad ipsa vaticinia ad Scripturam ejusque verba provocatur, non quatenus vaticinia exhibent, sed quatenus praecise scripta sunt i. e. per Scripturam a Deo dicta sunt; haec autem ratio eodem modo de omnibus enuntiationibus Scripturae valet, cujuscumque ordinis sunt. Cf. Benedicti XV *lit. encycl. Spiritus Paraclitus n. 13.*

II. Testimonium traditionis.

Sensus cum ss. patrum tum scholasticorum doctorum in quaestione nostra plane evidens est ita, ut fere taedeat testimonia eorum adferre; celebriora tamen quaedam audiamus.

1. *Testimonium ss. patrum.* — a) Ex patribus jam s. Irenaeus *adv. haer. II 28, 2 sq.* declaravit: „Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae": perfectionem autem intelligit eam, qua „nos secundum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu Ejus, secundum hoc et scientia mysteriorum ejus indigemus": perfectionem intellegit eam, qua „omnis Scriptura a Deo nobis data consonans nobis inveniatur ... et per dictionum multas voces una consonans melodia inter nos sentiatur laudans hymnis Deum qui fecit omnia". — „Discamus, ait Hippolytus *in Dan 1, 28,* in nulla re Scripturam fallere nos"; et addit rationem *ib. 4, 6:* „Nihil enim omnino mentitur Scriptura neque Spiritus Sanctus decipit servos suos prophetas, per quos placuit voluntatem Dei annuntiare hominibus, ut videntes haec fieri ne fallamur". — Eadem ratione ductus Eusebius caes.: „Facinus, inquit, audax et temerarium esse censeo, si quis praesumit affirmare divinam Scripturam decipi" *(com. in Ps. 33; M PG 23, 290).*

Ita Methodius: „Nihil in Scripturis sacris contrarium est et absurdum" *(de resurr. 9);* ita Theodoretus: „Nihil (in divinis documentis) temere dicitur a divino Spiritu" *(in Cant. 4, 9);* ita Chrysostomus: „Nemo dicat: mentitur Scripturarum historia" *(hom. 22 in Act n. 1);* ita Hieronymus: „omnem, ait, sanc-

tam Scripturam non posse esse sibi contrariam" *(ep. 46, 6)* et „Scripturam mentiri dicere nefas est" *(in Nah 1, 9)*.[1])

Celebriora autem sunt Augustini verba, quae similia ceteroquin jam apud Justinum *Dial. n. 65* inveniuntur: „Ego fateor caritati tuae — scribit autem *ad Hieron. (ep. 82, 3)* — solis iis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam; ac si aliquid in his offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam". Etenim, ut est ejusdem ratio *de Gen ad litt. VII 28, 42*: „Scripturam esse veracem nemo dubitat nisi infidelis aut impius".

Ex his paucis testimoniis intellexeris sensum patrum his magni Basilii comprehendi verbis: „Quodsi fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, fidelia etiam omnia mandata ejus, confirmata in saeculum saeculi, facta in veritate et aequitate: manifesta est defectio a fide et crimen superbiae, si quis aut quidquam eorum, quae scripta sunt, reprobat aut quidquam eorum, quae scripta non sunt, introducat" *(de fide n. 1)*.

b) Cum hac ss. patrum theoria praxis eorum omnino consonat, id quod praeprimis perspicitur ex summo labore et conatu, quo contradictiones, quae occurrunt apparentes, inter se conciliare et omnem contradictionis suspicionem ex sacro textu removere adnitebantur; in quo conatu non raro integros libros concinnabant, ut Augustinus *de consensu evangelistarum*. Imo hoc principium de summa veracitate Scripturarum sicut olim inter judaeos (cf. Weber *Jüdische Theologie § 21, 2)*, ita postea inter catholicos doctores et exegetas omnis interpretationis quasi anima habetur; cf. Cornely *I n. 219 sqq.*

2. Non alius est *sensus scholasticorum*. — a) Ubi agitur de s. Scriptura, „res tota innititur primae veritati", ita Albertus M. *Sum. theol. I tract. 1 q. 5 membr. 3;* et *ib.* statim addit: „de dicto s. Scripturae non licet dubitare", quamquam, ut recte animadvertit, „de ratione dicti dubitare licet". — „In Scriptura sacra, ita idem emphatice enuntiat s. Bonaventura *Breviloquii prooemio*

[1]) De s. Hieronymo inprimis cf. Benedicti XV *lit. encycl. Spiritus Paraclitus n. 7 sq.*

§ 5, nihil contemnendum (est) tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum pro eo, quod Spiritus Sanctus, ejus auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum". Eadem mens deinde est s. Thomae, qui praeter alia multa *de pot. q. 4 a. 1 in corp. ab initio* rem brevissime enuntiat: „Scripturae divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicuti nec fidei, quae per eam docetur". Majore etiam vi idem dicit *Quodl. 12 q. 17 a. 26:* „Hoc tenendum est, quod, quidquid in s. Scriptura continetur, verum est; alias, qui contra hoc sentiret, esset haereticus". — Addi possunt multa alia testimonia, ut Aegidii rom., Jo. Gersonii, Dionysii carth., Armachani, de quibus legere poteris Pesch *ll. cc. sub n. 483.*

b) Pauca adferamus testimonia ex temporibus quoque recentioribus, ex quibus M. Canus alludens ad illud Augustini: „Solis, inquit, apostolis, prophetis et evangelistis hunc honorem referre catholica fide docente didicimus, ut nullum eorum vel memoria lapsum esse credamus, nullum nec in magnis nec in parvis errasse . . Scriptorum ergo sacrorum hoc privilegium est, ut nullus eorum in scribendo erret" *(de ll. theol. II 12).* — Bellarminus autem *de conc. II c. 12:* „In Scriptura, inquit, nullus potest esse error, sive agatur de fide sive de moribus, et sive affirmetur aliquid generale et toti ecclesiae commune sive aliquid particulare et ad unum tantum hominem pertinens"; cui consentit Suarez *de fide disp. 5 sect. 3* docens: „Sicut impossibile est mentiri Deum, ita impossibile est mendacium in Scriptura reperiri . . tum quia, sicut non potest Deus per se ipsum mentiri, ita nec per alium, quia moraliter perinde est, tum etiam quia, si aliquod mendacium in Scriptura reperiri posset, tota ejus auctoritas periret; propter quod non minorem certitudinem habet in minimis quam in maximis".

In hac re ceteroquin et ii conspirant scholastici, qui ex alia parte non omnino recte de Scripturis senserint, de quibus cf. Pesch *n. 316; 319 sq.*

III. Praedicatio ecclesiastica.

Auctoritas ecclesiastica non semel hac in re sensum suum aperuit; ita jam saeculo XIV Joannes XXII implicite rem declaravit, sententiam aliquam eo proclamans

haereticam, quia factis in Scriptura enarratis inventa est contraria.

Nonnulli nimirum pertinaciter defendebant, Christum ejusque apostolos non habuisse aliqua in speciali; contra hos pontifex iste: „Nos, inquit, huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem — cum Scripturae sacrae, quae in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse ipsamque Scripturam sacram, per quam utique fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacii ac per consequens, quantum in ea est, ejus in totum fidem evacuans fidem catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam et incertam — deinceps erroneam fore censendam et haereticam, de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto" *(Denz. 494)*.

Simile aliquid insinuat Benedictus XII, qui armenos exhortabatur, ut inter alios ab hoc quoque errore se purgarent: quo „dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Cain, et ita fuit ad litteram, quia secundum eos nullus eum occidit, sed ipse de praecipiti se submisit: ex quo innuunt Scripturam Genesis quoad hoc esse falsam, quae videtur dicere quod Lamech interfecit Cain" *(inter articulos istos n. 114, Mansi coll. conc. supplem. III col. 534)*. Unde ne innuere quidem licet Scripturam quoad ullum punctum esse falsam.

Clarissime autem istam doctrinam tradit Leo XIII, in encyclicis saepe laudatis haec inter alia proferens: „Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum summam veritatem nullius omnino erroris auctorem esse". Et provocans ad ejusdem divinam inspirationem infert: „Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidquam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant aut Deum ipsum erroris faciant auctorem" *(ed. Cornely n. 30 sq)*.

Postea modernistae „non obscura quadam voluptate in re quoque dogmatica errores et contradictiones reperire se palam dictitabant", asserentes „etiam in sacris libris

plurima in re scientifica vel historica errore affici"; id quod ex falso conceptu religionis et vitae cohonestare conabantur. Contra eos Pius X iterum aperte declaravit, provocans ad clarissima s. Augustini verba supra allegata: „Nos equidem, venerabiles fratres, quibus una atque unica[1]) est veritas quique sacros libros sic aestimamus, quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem, hoc idem esse affirmamus, ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere" *(encycl. Pascendi; Denz. 2102)*. — Idem pontifex jam antea in *decr. „Lamentabili"* sub n. 11 propositionem reprobaverat: „Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam s. extenditur, ut omnes et singulas ejus partes ab omni errore praemuniat" *(Denz. 2011)*. — Similia invenies in litteris encyclicis Benedicti XV *„Spiritus paraclitus"* (Romae 1920) *n. 9*.

Corollaria. — 1. Ex dictis patet rem hanc ad res fidei pertinere: eamque semper a ss. patribus et doctoribus ut talem consideratam esse. Ipsam enim et ut necessarium suppositum praesupponunt pro omni argumentatione dogmatica ex s. Scriptura instituenda, et ut necessariam sequelam ex certis dogmatibus inferunt, ut sunt ipsa inspiratio s. Scripturae et infallibilis verbi divini veritas. — Audivimus etiam patres hunc cum fide nexum diserte et expressius exhibentes, maxime cum eos, qui contradicunt, ut adversarios fidei vel infideles et haereticos denotant. Hoc ultimum clarissime apparebat in controversiis origenisticis, de quibus cf. *ZfkTh XXX (1906) p. 430 sqq.* et *XXXI (1907) p. 254 sqq.*

2. Ex dictis argumentum pro universalitate inspirationis facile instauratur. Nullus enim ex sententia patrum error ne minimus quidem in ss. Litteris inveniri potest, et hoc praecise ratione divinae inspirationis. Ergo etiam omnia et singula divinitus inspirata censeri debent, in quibus error aut formaliter aut virtualiter exprimi possit.

---

[1]) Loquitur de „unica" veritate, quia modernistae propriam et peculiarem veritatem pro veritatibus religiosis assumebant, quae ut normam habeat utilitatem vel convenientiam moralem vel etiam exigentiam naturae humanae.

§ 2. Doctrina proposita defenditur.

Doctrina nostra ex duplici fonte ostenditur, ex fonte *praeprimis* positivo, quem exhibet testimonium traditionis; *deinde* ex analogia fidei, ob connexionem quam habet cum dogmate inspirationis. Ex utroque fonte etiam exceptiones depromunt; audiamus prius, qua ratione testimonium patrum enervare contendant.

I. Stabilitur testimonium ss. patrum contra exceptiones.

1. Primo loco arguunt: Patres graviores difficultates, quae contra omnimodam veracitatem Scripturae ex factis quibusdam exsurgunt, plerasque ignorabant, cum tanta confidentia ejusdem veritatem efferebant. *Atqui* testimonium, quod ignorantia nititur, merito spernitur.

Duplex patet responsum. — a) Merito negatur propositio major; neque *enim* ulla difficultas contra veracitatem Scripturae nunc movetur, quae non in aliqua simili specie jam patres occupaverit. Qua in re conferri possunt opera Origenis, Theodoreti, Hieronymi, Augustini.

b) Negatur *insuper* suppositum totius exceptionis. Neque enim ss. patres disquisitis singulis s. Scripturae sententiis vel remotis iis, quae occurrebant in contrarium, ad sententiam demum suam de veritate Scripturae ferendam adducti sunt. Sententia patrum hac in re prolata ab ejusmodi difficultatibus, undecumque demum provenerint, prorsus abstrahit et infertur ex principio dogmatico aliunde certissimo: ex principio nimirum, quod Deus est auctor s. Scripturae quoad omnia et singula, quae ibi continentur. Ratione istius principii omnes difficultates tanquam apparentes tantum spernendas esse etiam expresse et firmiter tenebant, sive quae ipsis actu occurrebant, sive quae in se possibiles eos fugiebant. Cf. hac in re testimonia v. g. Cani vel Augustini vel Hieronymi vel et Justini supra allegata.

„Conferatur etiam — ita Van Laak - modus similis, quo in concilio vaticano infallibilitas romani pontificis statuta est. Uti in actis habetur, patres innixi Scripturae et traditioni veritatem clare in iis contentam definiverunt, difficultates historicas ne tractandas

quidem sibi esse putabant: has, utpote certissime apparentes tantum, solvere non concilii esse existimabant, sed scholarum catholicarum".

2. Sed patres difficultates sentientes facile remedium sibi usurpabant, confugientes ad allegorias et interpretationes typicas; ita vero practice saltem vel implicite concessisse videntur, non omnes textus Scripturae secundum sensum litteralem veros esse. Ex altera parte certissime constat, eorum patrum interpretationes allegoricas nimis arbitrarias esse et retineri non posse. Ergo labefactata jam hac allegorica expositione et remanente tantum sensu litterali, concedendum erit patres de falsitate et erroribus in sacra Scriptura cogitasse; saltem eorum testimonia de perfecta inerrantia Scripturae non adeo premenda esse.

Respondetur: Hac exceptione nulla majorem rumorem hac in re excitaverit; fere apud omnes auctores, cum quibus res nobis est et postea in speciali quaestione adhuc concertandum erit, occurrit quasi Achilles eorum. Aperiamus, quae ex ordine secundum rei veritatem reponi possunt:

a) Sensum Scripturae litteralem in aliquibus assertis simpliciter respuendum esse, ex ss. patribus nemo dixerit nisi forsitan Gregorius nyss., ex scriptoribus ecclesiasticis vero unus Origenes, qui duo consensum hac in re necessarium turbare certe nequeunt.

α) Occurrit quidem et apud alios patres principium, sensum litteralem interdum relinquendum et spiritualem potius sequendum esse. Attamen istud ex sententia istorum patrum recte intelligi debet, et axioma erit verissimum; his enim verbis nihil aliud volunt, nisi quod in s. Scriptura inveniantur tropi, metaphorae, metonymiae vel et modi loquendi poëtici, qui ex sese non secundum proprium verborum et vocabulorum sensum sumendi sint. Hoc axioma et nos admittimus; et patres in modo tantum loquendi a nobis differunt, eo quod locutionem litteralem impropriam seu tropicam ipsi appellant allegoriam seu sensum spiritualem. Cf. *p. 258 sqq.*

Ita cum in *ps. 113, 4* legerit: „Montes exultaverunt sicut arietes et colles sicut agni ovium," s. Prosper recte monuit, hoc non esse ad litteram factum" *(M PL 51, 326)*. Ita s. Augustinus *de doctr. christ. III 5* monet: „Cavendum est, ne figuratam locutionem ad litteram accipias; et ad hoc enim pertinet, quod ait apostolus: Littera occidit, spiritus autem vivificat. Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur." Nomine figuratae locutionis autem s. doctor hic respicit ea, quibus Deo os vel manus tribuuntur vel similia. — Alia multa invenias apud Pesch *n. 487*.

Ergo brevi: Res istis patrum enuntiationibus asserta verissima est et a nobis quoque admittitur; modus vero loquendi eorundem nobis jam insolitus est. Nos enim metaphoras et metonymias non vocamus allegorias, sed hos modos trahimus ad sensum narrationis litteralem, quamvis improprium; patres etiam ejusmodi modos tropicos loquendi inter allegorias connumerant.

β) Occurrunt dein etiam expositiones ss. patrum, quibus verba vel narrationes Scripturae ad sensum vere allegoricum (prout opponitur sensui litterali seu historico) et ad applicationes morales sive spirituales transferunt. *Ast* hoc nullatenus faciunt nisi pro principio inconcusso simul retinentes, hujus interpretationis allegoricae necessarium fundamentum esse sensum ipsum litteralem seu historicum.

Pro exemplo tibi sint verba Hieronymi, qui in *tractatu* quodam *de visione Isaiae:* „Non, inquit, tam pertinaces sumus, ut allegoriam, si pia sit et de veritatis fonte ducatur, refutandam putemus; ita dumtaxat, si non sit contraria veritati, non pervertat historiam, si sensum Scripturae sanctae sequatur et non voluntatem perversi interpretis Scripturarum praeferat auctoritati . . . Porro allegoria quasi quibusdam gradibus per historiam ad excelsa conscendit, ut sublimior sit, non contraria". „Neque enim, ut ait s. Augustinus, cum res factae allegorizantur, gestae rei fidem amittunt" *(de quaest. div. 83 q. 65)*.[1]) — Alia sat multa inveneris apud Pesch *n. 488*, ubi et haec verba allegantur Gregorii M: „In verbis sacri eloquii prius servanda est veritas historiae et postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae; tunc namque allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur" *(in Ev. hom. 10, 1)*.

[1]) De sensu s. Augustini cf. *ZfkTh XXXV (1911) p. 446 sqq; p. 603 sqq.*

γ) Neque hoc suum principium ad incertum revocant patres, cum non raro neglecta expositione ipsius sensus litteralis statim ad morales et ad allegoricas interpretationes transvolant, quemadmodum saepissime eundem Gregorium invenimus facientem.

Poterant autem sensum litteralem ita negligere vel negligebant eum de facto maxime *duplici ex ratione:* litteralis explanatio nimiis difficultatibus eis obruebatur; haec ratio inter alios s. Augustinum commovebat in *l. de Gen. contra manich.:* „Cum de Genesi duos libros contra manichaeos condidissem, ita ipse de se profitetur *ll. Retract. I 18, . . .* secundum allegoricam significationem Scripturae verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est quemadmodum possent secundum historiam, quae ibi dicta sunt, accipi".

Ex altera parte ss. patres magis spectabant aedificationem populi spiritualem, et ideo facile sensum litteralem transmittebant, praesertim quando textus quoad litteram nimis planus erat, vel et nimis humilis, nihil sublime nullamque de se spiritualem sapiens utilitatem; cf. Van Laak *(litogr.) n. 204.*[1])

b) Secundum ea, quae modo exposuimus, in forma respondebis ad argumentum adversariorum: „Patres facile ad allegorias confugiebant et interpretationes typicas . . ." — *distg:* ubi agebatur de apertis metaphoris aliisve tropis vel modis poëtice loquendi *cc.* et *ng. suppos.:* sic jam agi proprie de allegoriis; — confugiebant ad allegorias proprie dictas et morales interpretationes *subd:* praesupponentes ineluctabilem veritatem Scripturae ejusque sensus historici *cc.* relinquentes simpliciter vel negantes sensum historicum *subd.:* ita egit unus vel alter (Origenes, Gregorius nys. [?]), qui contra consensum reliquorum praejudicare nequeunt *tr.* ita agebant patres communiter vel multi *ng.*

Distinguas et alterum incisum ejusdem argumenti. „Ita errores in Scriptura concessisse videntur" — si ita egerunt vere praesumentes sensum historicum esse falsum *cc.* si propter alias

[1]) Nostrum tamen non est hic exponere rationes, quibus in genere ad hujusmodi allegoricas vel anagogicas expositiones patres perducti sint. Sciebant utique, ex doctrina apostolorum integrum vetus testamentum typum fuisse, sciebant apostolum ipsum multas olim edidisse typicas Scripturae interpretationes. Neque ignorabant sententiam apostoli praedicantis: „Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus" *(Rom. 15, 4).* — De hac re accuratius agit hermeneutica sacra.

rationes ita egerunt, expresse etiam profitentes intemeratam Scripturae veracitatem *ng.*

c) Ceteroquin vel *transmissa antec.,* merito dubitaveris de consequente: *ergo labefactata allegoria admittendum est, patres errores in Scriptura admisisse. — Etenim* patres, qui quidem putaverint ejusmodi sententias debere explanari per allegoriam, non eo ipso errorem in sensu litterali concessissent, simulatque iis persuasum foret analogiam non posse teneri. Primus enim et absolute intentus eorum finis erat, veritatem Scripturae defendendi; si igitur iis persuasisses medium ab iis selectum ineptum esse, certo certius aliud inquisivissent ad hanc veritatem tuendam.

Nota: Patet et hoc contingere potuisse, ut patres ob difficultates obvenientes in peculiari casu facilius ad sensus tropicos (eosque litterales) admittendos se conferrent, errantes. Ita ex. g. Hieronymus, in libris *adversus Jovin. I 21* circumcisionem apud *Jos. 5, 2* „secundo" praescriptam spiritualiter intellexit, ea ductus ratione, quod carnalis circumcisio bis fieri omnino non posset. His vel similibus conatibus manifesto principium suum de perfecta inerrantia Scripturae tanta virtute inculcatum labefactare minime volebant, sed in explicatione alicujus textus particularis errabant, quod exegetis etiam modernis accidere potest.

II. Defenditur veritas Scripturae ab oppositis rationibus.

Aliae exceptiones contra doctrinam et argumentationem nostram desumuntur ex rationibus rei internis magis speculativis, quae nituntur *vel* conceptu ipso inspirationis, *vel* certis conditionibus hagiographorum et librorum sacrorum.

I. Sub *priore respectu* nobis occurrit praeprimis Holzhey, qui in libro „*Schöpfung, Bibel und Inspiration*" mentem suam aperit.

1. Primo loco peculiare quoddam elementum in notione inspirationis premit, ex quo hucusque turpiter neglecto auctores veracitatem Scripturae nimium exaggeraverint et in falsum sensum adduxerint.

a) Hoc principale inspirationis elementum ipse invenit in adjutorio quodam divini luminis, quod accedat ad impulsum ad scribendum divinitus exhibitum et ad selectionem materiae scribendae per Deum factam. „Die inspirierte Bibel — ait *l. c. p. 49* — hat zu ihrem Urheber Gott als auctor principalis, zugleich aber auch den jeweiligen menschlichen Verfasser, dessen Individualität sie widerspiegelt; die Autorschaft Gottes bedingt, daß der

Antrieb zum Schreiben, die Auswahl des Stoffes und ein gewisser Beistand bei der Arbeit auf göttlicher Tätigkeit beruhen, während die Mittel und die Form der Ausarbeitung für gewöhnlich Sache des menschlichen Verfassers bleiben". Hucusque nil novi!

Novus autem jam est modus, quo nunc idem auctor *p. 64* illud divinum adjutorium pro partibus, quibus Scriptura de rebus profanis agit, accuratius declarat: „Bei den Teilen profanwissenschaftlicher Natur besteht eben die ‚Hilfe des göttlichen Lichtes' darin, die menschlichen Erkenntnisse und Leistungen so zu disponieren, daß sie im Zusammenhang mit dem ganzen System der Offenbarung für die Belehrung und Heiligung des Menschengeschlechtes — d. h. für den Zweck der Offenbarung — verwendbar und wirksam werden. Weil nun kein Teil der Bibel ohne dieses adjutorium ist, gibt es auch keinen Teil in ihr, der nicht inspiriert wäre; was in der Bibel an ‚profanem Inhalt' steht, darf nicht als der Inspiration entbehrend gedacht werden, da es eben infolge der Inspiration in das System mit aufgenommen und durch das ‚adjutorium divini luminis' dem Gesamtzweck untergeordnet und dienstbar gemacht worden ist". „Die Kraft also — ita Holzhey *S. 61* — die das Göttliche und Menschliche in den Schriften gleicherweise umfaßt und es mit Allmacht und Weisheit dem einen Zwecke der göttlichen Heilsoffenbarung unterordnet, nennt der hl. Thomas [?] das adjutorium divini luminis, und um dieser göttlichen Kraft willen ist die ganze heil. Schrift inspiriert".

b) Num auctor iste in sua expositione mentem assecutus sit s. Thomae, merito negatur; de qua re cf. Egger *absolute oder relative Wahrheit der hl. Schrift n. 183.* — Nostra heic magis interest, quidnam auctor sibi respondeat, ubi moverit quaestionem, num sub ejusmodi adjutorio omnis error ex Scripturis ss. exsulet. Hanc quaestionem ponit *p. 53:* „Wenn die Inspiration in solchem Falle, wie deutlich ersichtlich, weder eine Vermehrung der objektiven Erkenntnisse noch eine Erhöhung der Urteilskraft bedingte, war dann durch ihre unterstützende Wirkung (adjutorium) wenigstens nicht ausgeschlossen, daß der menschliche Auctor einen tatsächlichen Irrtum niederschrieb?"

Ipse respondet: „Die Antwort auf diese Frage ist abhängig von Erwägungen *theoretischer* und *positiv-historischer* Natur . . . Theoretisch gewiß, weil unmittelbar aus dem Wesen der Inspiration folgend, ist die Tatsache, daß die heiligen Schriften des alten Bundes als ein organisches Ganzes, aber auch

jedes Buch als solches inspiriert und darum in seinem Gesamtcharakter ebenfalls irrtumslos ist. Sobald also von irgend einer Behauptung irgend eines Buches nachgewiesen wird, daß sie diesen Charakter unmittelbar zum Ausdruck bringt, muß sie als inspiriert und darum, wenn auch aus natürlicher Erkenntnis geschöpft, als irrtumslos gelten. Dies gilt aber natürlich nicht von jeder beliebigen Behauptung für sich, da es häufig der Fall ist, daß z. B. eine Wahrheit nicht in einem einzigen Satz absolut ausgesprochen, sondern in dem Ergebnis mehrerer relativ zu nehmender Aussagen gefunden wird.[1]) Da es sich hiebei um das Verhältnis einer einzigen Aussage zum gesamten Offenbarungsinhalt handelt, so ist die endgültige Bestimmung eines solchen Verhältnisses weniger Sache des Einzelnen als des kirchlichen Lehramtes; der einzelne Exeget hat zunächst die Pflicht, in einem solchen Falle secundum analogiam fidei zu erklären".

Ergo breviter: ex hujus auctoris sententia singuli s. Scripturae libri inspirati sunt ut aliquod integrum organicum et ideo necessario veri declarantur quoad indolem integralem *(„irrtumslos in ihrem Gesamtcharakter")*. Singulis vero s. Scripturae textibus in iis, quae propriae hagiographorum subjacent indagationi, inerrantia quaedem eatenus tantum competit, quatenus relationem ineunt ad revelationem divinam ex integro spectatam *(„zum gesamten Offenbarungsinhalt")* et de indole libri sacri propria immediate participant *(„den Gesamtcharakter des Buches unmittelbar zum Ausdruck bringt")*, i. e. si obscure dicta recte intelleximus, si uni revelationis divinae fini subserviant: *„insoferne sie sich dem einen Zweck der göttlichen Heilsoffenbarung unterordnen" (p. 61)*.

c) Quid ad haec replicabimus? —

α) Ne quid dicamus, quod doctrina haec in re gravissima obscuris phrasibus ludere videtur: doctrina proposita inprimis ipsum conceptum „catholicum" inspirationis pervertere videtur, cum [in rebus saltem profani ordinis], praemisso quidem verbis generaliore quodam impulsu ad scribendum et selectione materiae divinitus facta,

[1]) Cf. ejusdem auctoris elucubrationem *in ps. 14, 1* in *Theologie und Glaube IV (1912) p. 6 sq.*

rem in ipsa executione ad merum adjutorium quoddam divini luminis reducat; ad summum admittit et hoc, quod Deus opus a solo hagiographo sub illo adjutorio conficiendum mere extrinsecus ad finem peculiarem dirigit.

His autem catholicus conceptus inspirationis non absolvitur. „Nam supernaturali Ipse (Spiritus S.) virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae Ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent" *(encycl. Providentissimus n. 31).* — Ex iisdem verbis manifestum est, s. Scripturam inspiratam esse non solum sub integrali quodam respectu, sed quoad omnia et singula, quae continet incisa; id quod ceteroquin manifestissima doctrina ss. patrum est, ut supra vidimus. Haec ad „catholicam inspirationis notionem" pertinere, statim a summo pontifice in sequenti sententia supponitur.

β) Quatenus porro limites inerrantiae repetit ex fine inspirationis *(„aus dem einen Zweck der göttlichen Heilsoffenbarung")*, proscribitur ista theoria per eamdem encyclicam notissimis illis verbis: „Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem; neque enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere eo, quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit".

Ratio igitur veritatis singularum sententiarum quaerenda est in summa perfectione divini inspiratoris, non vero repetenda est ex fine, quem Deus in inspiratione intenderit. Si igitur quis ad sensa patrum recurrit, quae Baronius hisce comprehendit: Scripturam nobis datam esse, ut „doceamur, quomodo eatur ad caelum, non vero ut doceamur, quomodo gradiatur caelum" — *concedas hanc antecedentem propositionem*, et jure merito *negabis consequentem* inde illatam et ipsam consequentiam, *nimirum:* ergo in iis, quae

Deus dedit praeter illum finem, deficere potuit. Neque enim Deus ob ullum finem unquam falsa docere vel hominibus per hagiographos communicare potest.

2. Altera difficultas desumitur ex comparatione verbi Dei scripti cum Verbo Dei incarnato: Verbum *nimirum* incarnatum, ajunt, omnes imperfectiones humanas assumpsit, quin hae in ipsam Ejus divinitatem refundi possint. *Ergo* et Scriptura, etsi verbum Dei scriptum et divinitus inspirata est, imperfectiones, ideoque et errores admittere potest, quin hi in ipsum Deum refundi debeant.[1])

Resp.: Neque Verbum incarnatum omnes imperfectiones humanas assumpsit, neque omnes admittere potuit. Certae imperfectiones illi perfectioni adversantur, quae ex hypostatica unione necessario in hanc naturam redundat; ejusmodi imperfectiones ab humana natura Verbo conjuncta excluduntur; sic ne humana quidem Verbi natura peccatum ullatenus admittere potest neque errare. Eodem modo Deus inspirator instrumentum humanum adhibere non potest eo modo, qui Eum principalem exhiberet causam erroris et mendacii. — Imperfectiones vero quoad formam et modum scribendi facile conceduntur. Hae enim et cum statu et conditione instrumenti divinitus adhibiti connaturaliter cohaerent; neque Deo ita repugnat adhibere instrumentum in ordine physico minus perfecto, sicut ei repugnat per instrumentum adplicatum mentiri. Unde facile distinguas rationem allatam. Cf. quae sub II 2 dicentur.

3. „Es nützt nichts — ita Holzhey ulterius instat *p. 45* — wenn man, um dieser Tatsache zu entgehen [d. h. die zahlreichen Textkorruptionen, die Fehler in Worten und Zahlen . . . zu er-

[1]) Simile aliquid Holzhey insinuare videtur dicens *l. c. p. 44:* „Daraus, daß die Bibel Gott den absolut vollkommenen zum Urheber hat, kann noch nicht geschlossen werden, daß sie auch selbst in jeder Hinsicht ebenso vollkommen sei. Dies würde nur der Fall sein unter der dreifachen Voraussetzung, daß ihr ganzer Inhalt von Gott geoffenbart und ihre ganze Form von Gott diktiert wurde, und daß es zudem Gottes Wille war, Inhalt und Form in vollkommener Weise zu geben. Ein Blick in die Bibel lehrt ferner, daß ihr nicht bloß Unvollkommenheiten anhaften, die von ihrer Bestimmung direkt abhängig sind, sondern auch zahlreiche andere, die man als sozusagen ‚zufällig erworbene' bezeichnen muß".

klären], die ‚abgeschriebene Bibel' der ‚Originalschrift' zuliebe preisgibt . . . Niemand kann leugnen, daß auch die individuell [!] übersetzte, mit akzidentellen Unvollkommenheiten verschiedener Art behaftete Bibel Wort Gottes bleibt, dessen Wesen — die Inspiration, Autorschaft Gottes — durch jene Verdunkelungen und Unvollkommenheiten nicht berührt wird. Wer dem Urtext oder dem Autographen der Schrift irgend einen tatsächlichen erheblichen Vorzug vor der abgeschriebenen und übersetzten Bibel zuschreibt, kann es nicht tun, ohne die ganze alte Kirche und das Konzil von Trient zu beschuldigen, sie hätten den Gläubigen mit der ‚authentischen' Uebersetzung des Wortes Gottes statt des ‚Fisches eine Schlange' gereicht" *(S. 47)*.

Assertum hoc debemus in suas partes resolvere.

a) Versio Vulgata, ab ecclesia authentica declarata, certissime erroribus non caret. Ergo nulla ratio erit, cur Scripturae vel originali majorem inerrantiam attribuamus.

Resp.: Sic proposita difficultas facile dissolvitur; negatur simpliciter consequens et consequentia. Sententiae enim omnes et singulae Scripturae originalis inspiratae sunt i. e. per Deum ut causam principalem conscriptae; apographon autem qua tale vel versio qua talis sub inspiratione non est facta, ne ipsa quidem Vulgata, multo minus versio privato spiritu facta („die individuell übersetzte Bibel"). Illud prius omnes errores excludit, alterum vero, ubi humana industria sibi permittitur, eos facile admittit. Utrumque in ecclesia catholica constat; ulterius autem inquirere, cur Deus originalem quidem Scripturam ipse conscribere voluerit, nullam vero versionem inspirare, pro re praesenti sat superfluum est.

b) *Ast* si Deus semel Scripturam ab omnibus erroribus plane immunem hominibus tradere voluit, etiam prospicere debuit, ut ipsa in eadem perfectione generi humano conservaretur. Hoc alterum certe non fecit. Ergo merito inferamus, Eum ne prius quidem fecisse.

Resp.: Deus in inspiratione quidem intendit, ut Ipse per sese homini eorum, quae ad salutem pertinent, necessariam instructionem praeberet, quemadmodum Ei etiam placuit, ut in incarnatione Ipse de coelo descenderet, ut

hominum salutem operaretur. Cum hoc decreto divino necessario cohaeret, quod, quamdiu Ipse per sese doctrinam manifestaret, errare vel errorem docere non potuerit. Non necessario cohaeret cum eodem decreto, ut doctrinam hominibus semel traditam eadem infallibilitate et integritate custodiat. Ita Deus communiter bona, quae generi humano tribuit, hominum curae et diligentiae relinquit, ita homo etiam revelationem primitivam divinitus traditam corrupit, ita per se non repugnat humanum genus integros libros divinitus inspiratos perdere.

Quare *distinguas Maj.:* Si infallibilitas inspirationis proxime a fine (qui erat instructio generis humani) determinaretur *tr.* si ista infallibilitas directe determinatur ratione ipsius actionis, quae diversa est in inspiratione et in providentia circa conservationem sacrae doctrinae *ng.* Cf. Egger *n. 191.*

c) Ast ipsa Vulgata per ecclesiam tamquam Dei verbum authenticum nobis tradita est. — Nihil igitur juvabit iste recursus ad distinctionem inter versionem et originale.

Resp.: Etiam in hac re notabile intercedit discrimen; neque enim eodem sensu et modo versio Vulgata et originalis Scriptura verbum Dei est. Originalis Scriptura absolute et in se verbum Dei constituitur; versio Vulgata verbum Dei conditionate tantum erit, in quantum nimirum concordat cum originali. – *Distingues* igitur: Vulgata tradita est tanquam Dei verbum idque immediate per Deum factum *ng.* — mediante versione humana et in quantum haec concordat cum originali *cc.*

Neque ipsa ecclesia Vulgatam in omnibus omnino authenticam declaravit, cum et Sixtus V et Clemens VIII summi pontifices textum emendari jusserint. Neque tamen in sua declaratione „serpentem pro pisce" porrexit ecclesia, cum Vulgata in rebus fidei et morum et quoad summam saltem historiae fide digna appareat et errores, qui conceduntur, res minoris tantum momenti respiciant. Cf. Egger *p. 272 sq.*

d) Argumentationi suae Holzhey hisce fere finem imponit: „Um alle [bei der Inspiration] in der Natur der Sache liegenden Unvollkommenheiten zu vermeiden, wäre eine Reihe ganz partieller, übernatürlicher Offenbarungen erforderlich gewesen, die man als ebenso unverhältnismäßig, als vergeblich und absurd bezeichnen müßte. Als unverhältnismäßig: weil die größten

Wunder gerade um der für die übernatürliche Ordnung geringfügigsten Dinge willen geschehen wären .. Als vergeblich muß die Forderung dieser Wunder bezeichnet werden, weil die durch sie vorausgesetzte Vollkommenheit alsbald wieder durch die Gebrechen der Ueberlieferung verloren worden und der Gesamtheit nie zu gute gekommen wäre . . Als absurd muß die Forderung dieser Wunder bezeichnet werden, weil sie einem klaren und unleugbaren Gesetze des Waltens der göttlichen Vorsehung widerspricht, jenem nämlich, welches der Menschheit auf dem Gebiete profanen Wissens und des damit verknüpften Fortschrittes eine allmähliche, im Schweiße des Angesichts zu verdienende Entwicklung vorschreibt . ." *(p. 58 sq)*.

Breviter *respondeamus*: Omnia ista, ut Holzhey dicit, miracula, nos potius dicamus: tota ista supernaturalis providentia requiritur, quam primum supposueris, Deum velle per auctorem quendam humanum tanquam per ministrum suum libros conscribere eosdemque tradere hominibus. Hoc decreto semel supposito, totam illam providentiam Deus, non ipsis rebus communicandis, sed suae divinae majestati et dignitati debet. De ipso divino decreto vero ex revelatione simpliciter constat; quare non sine ratione vel miracula admittuntur, si forte in tanto numero necessaria sint, quantum auctor premit. Deberet ostendi improportionatam, vanam, absurdam esse ipsam inspirationem, sensu catholico declaratam, ut argumentatio cum successu procedat.

Possumus forsitan apte provocare etiam ad naturalem providentiam, quam ipse Christus apud *Lc 12, 27 sq* describit: „Si foenum, quod hodie est in agro et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillae fidei?" — Ceterum merito Egger *p. 275* notat: „Um alle profanen Irrtümer der Bibel — denn nur von diesen ist hier die Rede — hintanzuhalten, brauchte es nicht eine Reihe partieller Offenbarungen, sondern nur eine besondere Assistenz Gottes, damit die Hagiographen die irrigen Anschauungen, welche sie allenfalls hatten, nicht niederschrieben . . . Ebensowenig ist man genötigt, zu einer Reihe historischer Offenbarungen die Zuflucht zu nehmen; was nämlich die Urgeschichte des Volkes Gottes (z. B.) anbelangt, hat Gott Sorge getragen, daß sie in der Familie der Patriarchen unversehrt erhalten blieb. Für die spätere Geschichte fand der Hagiograph außer der mündlichen Ueberlieferung auch verläßliche Quellen, z. B. die Reichsannalen und selbst prophetische Zeugnisse vor; da braucht es fürwahr nicht eine Reihe von speziellen Offenbarungen [‚Wundern'] zur Hintanhaltung allfälliger Unrichtigkeiten".

Si demum modum catholicum inspirationis tanquam absurdum notat, provocans ad legem naturalis evolutionis, jam nimis

rationalistam sapit. Cum ejusmodi enim phrasi ipsam revelationem veritatum rationalium eodem stigmate macularet absurditatis.

II. Transeamus ad exceptiones, quae ex conditione ipsius hagiographi desumuntur.

1. Theologice absurda est exceptio: non posse plus quaeri in auctore inspirato quam in aliis probis et fide dignis scriptoribus; neminem vero esse scriptorem humanum, qui aliquando non erret a vero.

a) Cum nimirum hagiographus Deum inspiratorem ita sibi conjunctum habeat, ut Deus ipse merito dicatur per hagiographum scripsisse, immediate apparet, quanta disparitas inter scriptores communes vel piissimos et hagiographos intercedat. — Vi enim ipsius notionis inspirationis catholicae hagiographus nonnisi ea judicat scribenda, ea scribere vult, scriptis demum fideliter exhibet, quae Deus ipse ut sua propria divina judicia scribere decrevit. Haec autem omnino necessario vera sunt. Deus igitur omnes prorsus errores impediet, sive quod auctoris inquisitionem ita diriget, ut nonnisi vera inveniat, sive quod efficiet ut errorem, si quem habeat, ante scriptionem deponat vel eum scribendo non exprimat. Cf. Benedicti XV *litt. encycl. Spiritus Paraclitus n. 9.*

b) Ex his respondeas iis, quae apud Holzhey leguntur *p. 55:* „In seinen Mitteilungen kann (der inspirierte Schriftsteller) seine Bildung, seinen Charakter, seine Tendenz, kurz seine ganze menschliche Individualität mit gleicher Deutlichkeit zum Ausdruck bringen wie irgend ein nicht inspirierter Autor, der seine Seele in seine Schrift gelegt hat. Alle diese Dinge, und mögen sie in einem noch so individuellen Ton ausklingen, sind denkbar und verträglich mit dem adjutorium divini luminis [certe — ast etiam falsitas et error! neque enim veritas ipsa individualis est, sed modus eam proponendi!]. Da nun das Wissen einer jeden menschlichen Persönlichkeit ein individuell begrenztes und darum auch unvollkommenes ist, so folgt mit Notwendigkeit, daß diese ‚Beihilfe des göttlichen Lichtes' auch mit unvollkommener Erkenntnis verträglich ist". — Merito quaesiveris, quid sibi velit in hoc opere inspirationis „divinum illud adjutorium", cum imperfectio humana in fine id manere debeat, quod fuerit: imperfectio ipsissima humana?

2. Sed imperfectiones istae, utpote hagiographis hominibus propriae, his solis adscribendae sunt. Ergo Deus

ejusque summa perfectio et veritas prorsus intacta maneret, etsi ejusmodi errores in ss. Scripturis invenirentur.

Disty.: imperfectiones instrumenti propriae huic adscribendae sunt, in quantum sibi permittitur et non ingreditur actionem causae principalis praecise qua instrumentum *tr.* in quantum ad peculiarem finem a causa principali dirigitur et praecise ut instrumentum agit et adplicatur *ng.*

Conscriptio nimirum ss. librorum per instrumentum quidem hominem divinitus fit. Finis autem totius operis inspirati, nimirum communicatio veritatis, non est instrumenti, sed solius principalis agentis Dei, qui hanc veritatem quoad omnia et singula ipse determinat. Quare judicia, veritates et doctrinae, quas ss. libri continent, Deo soli adscribuntur, qui ipse per Scripturas homines edocet. Unde etiam imperfectio sub hac ratione, error vel mendacium, prorsus excluditur. — Modus externus rem proponendi *(selectio vocabulorum, forma grammatica sive stilus)* per se potius ad instrumentum spectat, quod in his ordinarie saltem sibi relinquitur; in his igitur sacri scriptores operantur magis secundum virtutem, quam ex propriis contribuant. Quare in ejusmodi rebus imperfectiones inveniri poterunt. — Neque quisquam practice ejusmodi menda contra grammaticam committens, necessario simul vel implicite judicat, modum illum vitiosum esse rectum. Quare in ejusmodi vitiis non necessario simul falsum judicium subest.

3. Hagiographi, ut eorundem opera manifestant, altiore scientia non fruebantur naturali seu profana, quam reliqui ejusdem aetatis homines. *Atqui* cum ejusmodi scientia errores quoad scientiam naturalem et profanam necessario connectuntur; erat enim scientia ipsa tunc temporis valde manca et in multis erronea. *Ergo* in rebus profanis errores in ipsa quoque Scriptura admittantur oportet.

Exponitur doctrina adversariorum. — „Wie war es um das Wissen der inspirierten Schriftsteller bestellt — ita quaerit Hummelauer *Exegetisches zur Inspirationsfr. p. 90 ff* — nicht nur in Hinsicht auf diesen oder jenen Wissenszweig, sondern um ihr Wissen überhaupt?“ — „Man braucht die Frage bloß zu stellen, sic respondet, so zwingt sie auch schon, jeder Begründung voraneilend, dem Geiste die Antwort auf. Gottes Werke sind einheitlich, nicht zwiespaltig; die inspirierten Autoren waren nicht in einigen Wissenszweigen auf gleicher Stufe mit den Zeitgenossen, in anderen Zweigen profanen Wissens denselben weit voraus, son-

dern nach ihrem ganzen Wissen waren sie Kinder ihrer Zeit, sie hatten einen einigen, einzigen geistigen Horizont, welcher zugleich der Horizont ihrer Zeit- und Volksgenossen war. Diese Auffassung, ita pergit, erscheint so selbstverständlich, daß sie einer Begründung nicht benötigte. Indessen ist dieselbe so wichtig, in ihren Anwendungen so weitreichend und mannigfaltig, daß es sich wohl der Mühe lohnt, die Gründe, welche für dieselbe sprechen, zusammenzustellen". Cf. Holzhey *l. c. p. 57.*

a) „*Einmal* verlangt der Begriff der Inspiration weiter nichts; die Dogmatik fordert bloß Erleuchtung, Antrieb, Assistenz . .

b) Ein Beweis (für ein weiteres Profanwissen der Hagiographen) läßt sich auch nicht aus den Worten der inspirierten Schriftsteller herleiten; ein fortgeschritteneres Profanwissen kommt bei ihnen nie zum Ausdruck . . . Von manchen inspirierten Schriftstellern z. B. von Isaias, Jeremias, Paulus, haben wir nicht bloß Schriften überkommen, sondern ihre Taten, ja auch manche ihrer Reden sind uns in geschichtlichen inspirierten Büchern aufbewahrt: es bestand kein wesentlicher Unterschied zwischen ihrem Tun und Reden, und ihrem geschriebenen Wort. Ihr Tun und Reden hatte statt inmitten ihrer Volksgenossen und in stetem Wechselverkehr mit ihnen; es genügte für dasselbe dasjenige Maß des Profanwissens, welches auch anderen Menschen zugänglich war; ein größeres Maß darf auch nicht für ihre Schriften statuiert werden, zumal es in denselben nirgends zutage tritt".

c) „Die inspirierten Schriftsteller reden [*dann*] in ihren Schriften zunächst zu ihren Zeitgenossen . . Ihre Worte mußten vor allem dem Verständnis der Zeitgenossen zugänglich sein . . Ist dem aber also, dann mußte der inspirierte Schriftsteller den gleichen geistigen Horizont wie seine Zeitgenossen haben; hätte er wie aus den Wolken eines ihnen unzugänglichen Profanwissens herab zu ihnen geredet, so hätten sie ihn nicht verstanden und seine Rede hätte ihre nächste Wirkung verfehlen müssen. War nun aber ein derartiges Profanwissen seinem nächsten Zweck eher hinderlich als förderlich, dann ist es ihm auch nicht gegeben worden".

d) „Wir besitzen [*ferner*] nicht bloß das geschriebene Gotteswort, die hl. Bücher, sondern ebensowohl das überlieferte Gotteswort . . . Den Aposteln aber und ihren Nachfolgern ist zugleich mit der mündlichen Ueberlieferung kein der späteren Entwickelung vorgreifendes Profanwissen zugeteilt worden; wir haben ein solches auch nicht den inspirierten Schriftstellern zuzuerkennen. ‚Eine solche Vorausnahme, his provocat H. ad Holzhey *l. c. pg. 59*, wäre zwecklos, weil sie entweder dem Empfänger der Offenbarung

allein oder durch ihn auch andern bestimmt sein mußte. War sie ihm allein bestimmt mit dem Verbot der Verbreitung: dann erhellt ihre Zwecklosigkeit ohne weiteres; war sie aber auch für andere bestimmt, dann durften die Träger der Offenbarung sie nicht verhehlen, und es müßte dann das Volk der Juden, seit es das Hexaëmeron hatte, auch die heliozentrische Weltanschauung haben'."

e) „Gott hat *endlich* gewollt, daß die Erhaltung der heil. Bücher in solcher Weise erfolge, daß sie zwar frei blieben von jedem Irrtum in Sachen des Glaubens oder Sitten, nicht aber in profanwissenschaftlichen Dingen . . . Wäre nun den biblischen Schriftstellern ein späterer Entwickelung vorgreifendes Profanwissen eingegeben worden und hätten sie demselben folgerichtig in ihren Schriften Ausdruck gegeben: dann wäre es wohl am Platze gewesen, daß auch dieses Profanwissen uns unverfälscht überliefert worden wäre. Gerade daß dieses nicht geschehen ist, ist ein weiterer Beleg, daß jenes Profanwissen nicht gewährt wurde (vgl. Holzhey *aaO. 56 f).*"

Refutatio. — a) In tota hac disputatione rite distinguas inter ipsam scientiam profanam ejusque extensionem vel ambitum in genere *(„dem allgemeinen geistigen Horizont"),* et ex altera parte modum certas ejusmodi doctrinas cum certitudine cognoscendi et absque errore in scriptis manifestandi. Sub *priore* respectu aliquatenus concedi possunt, quae adversarii objiciunt, sub *altero* respectu hagiographis necessario altior quaedam sublimiorque scientia adscribi debet, etiam quoad res profanas, inprimis historicas.

In Scriptura certe etiam veritates ordinis profani inspiratae sunt. Ita vero etiam quoad has veritates naturales, in quantum hic et nunc scribendae erant, aliqua sublimior scientia necessario sequitur ex ipsa notione inspirationis, ad quam tamquam praecipuum elementum illustratio quaedam mentis spectat; quid autem illustratio mentis sibi vult, nisi ut tribuatur aliqua largior vel accuratior cognitio? Ad hanc illustrationem spectabat, ut certior fieret auctor sacer de veritate rei scribendae vel ut saltem impediretur omnis in scribendo error. Hoc autem fieri potest, quin status et habitus generalior scientiae ejus immutaretur. — Sub hac ratione maximum quoque discrimen est inter sermones hagiographorum, de quibus narrat sacra historia, et scripta eorum inspirata, sive

hoc immediate apparet in ipsis eorundem scriptis sive non: hoc enim scimus ex ipsa fide revelata et ex auctoritate ecclesiae manifesta. Inde enim edocemur certa eorum scripta inspirata et divina opera esse, sermones vel facta eorum inspirata esse plane ignoramus. Ergo frustra provocant hi auctores ad factum, quod hagiographi, ut Isaias, Jeremias, Paulus in sermonibus suis propriis prorsus ut „filii aetatis suae" appareant. — Cf. Egger *n. 32; 161 sqq.*

b) Et haec per se ad expositionem adversariorum dijudicandam sufficiunt; habemus autem etiam positivam rationem contra assumptionem illam. Si nimirum vel in ipsis rebus profanis imperfectio quaedam i. e. error occurrerit, hic error certo certius divinitus in Scripturis produci non potuit, ideo inspiratus esse nequit. Ergo ejusmodi erroribus admissis, Scriptura non jam ex integro esset inspirata: id quod certae doctrinae catholicae contradiceret. Cf. *encycl. Providentissimus n. 31.*

„Eben deswegen — ita iterum Egger *n. 163 alin. 3* — leugnen wir auch die Konsequenz, die Hummelauer zieht: ‚Es genügte den Hagiographen für den steten Wechselverkehr mit ihren Zeitgenossen dasjenige Maß des Profanwissens, welches auch andern zugänglich war; also darf auch für ihre Schriften kein größeres Maß statuiert werden'. — Dieser Schluß mag immerhin a priori wahr sein; denn absolut gesprochen, dürfte es für unser Seelenheil genügt haben, wenn Gott den heil. Schriftstellern beim Schreiben nur jenen Beistand geleistet hätte, welchen er ihnen bei ihren Reden leistete . . . Nachdem aber Gott einmal beschlossen hatte, ihre Schriften förmlich zu inspirieren und deren auctor principalis zu werden, so konnte er auch keinen profanen Irrtum in denselben zulassen; und weil dies natürlicher Weise nicht möglich war, eben weil die inspirierten Schriftsteller Kinder ihrer Zeit waren, so mußte er sie übernatürlich erleuchten, damit sie nur Richtiges mit unfehlbarer Wahrheit niederschrieben. Wer also mit der Inspiration der ganzen hl. Schrift mit Einschluß profaner Gegenstände Ernst macht und die Inspiration nicht zu bloßer Assistenz degradiert, darf auch keine profanwissenschaftlichen Irrtümer in der Bibel zulassen, mochten die Hagiographen sonst noch so sehr Kinder ihrer Zeit sein".

c) His simul apparet summa hac in re disparitas inter verbum Dei scriptum et traditum, summa etiam

disparitas inter librum primo et divinitus conscribendum et librum deinceps humanitus conservandum. In traditione enim, quemadmodum etiam in conservandis libris sacris immiscetur operatio humana sibi relicta, in inspiratione, essentiam quod spectat, non ita.

Si igitur Holzhey exceperit, supervacaneum et inutile esse, ut hagiographis ejusmodi largior scientia profana divinitus tribuatur — jam *in forma* scias *distinguere:* inutile est, iis tribui largiorem profanam scientiam et cognitionem quoad extensionem scientiae in genere vel in iis, quae Deus accuratius homines edocere sive inspirare noluit *tr.* inutile est quoad modum et certitudinem sciendi res particulares et in iis, quae Deus humanum genus sive directe sive indirecte docere voluit, qualia sunt inprimis multa facta historica *ng.*

d) Si *porro* Deus semel voluit sub inspiratione, ideo etiam sine errore ejusmodi doctrinas et veritates profanas hominibus communicare: absque dubio viam et rationem invenit hanc suam voluntatem exequendi.

„Es ist eine ganz sekundäre Frage, auf welche Weise Gott die Aufnahme von Irrtümern in die heil. Schrift gehindert hat: ob durch eine unmittelbare Offenbarung oder durch Hinlenkung des heil. Schriftstellers auf eine natürliche, aber wahre Quelle, oder durch Hintanhaltung einer Herübernahme von Irrtümern aus einer trüben Quelle. Jedenfalls wird Gott, der nicht ohne Not zu außerordentlichen Mitteln greift, auch bei der Inspiration profaner Gegenstände dem menschlichen Verfasser in der Regel auf möglichst einfache und natürliche Weise die richtige Erkenntnis beigebracht haben. Ich sage: ‚in der Regel'; denn warum sollte nicht wegen des innigen Zusammenhanges zwischen Religiösem und Profanem wenigstens ausnahmsweise auch eine direkte Offenbarung profaner Dinge angenommen werden dürfen?" (Egger *n. 165 p. 236).*

4. Tota difficultas nunc instauratur per istam considerationem: Hagiographi modo loquendi et cogitandi reliquorum hominum sese accommodare debebant; ergo etiam de erroribus et opinionibus falsis eidem adnexis participare!? — Cf. quae supra exposuimus *p. 308, c.*

a) Zanecchia in opusculo *Scriptor sacer sub divina inspiratione p. 85* ita de hac re disserit: „Dum scriptores ad munus hagiographi divinitus assumpti fuerunt, homines esse minime desierunt atque ita scripserunt, ut intelligerentur ab hominibus, quibus Scripturam tradebant; modo igitur humano divinam instructionem impertiebant. Instructio autem humano modo

et hominibus tradita secum necessario adfert characteres indolis, culturae ac individualium dispositionum scriptoris necnon notas naturalium scientiarum, documentorum, traditionum, legendarum etc., prout illo tempore ac loco, ubi hagiographus scripsit, in populo vigebant, et quibus hagiographus in divina instructione tradenda usus est". „Ut igitur concludamus — ita ille infert *p. 90* — narrationes biblicae neque omnes historicam veritatem habent, neque omnes historica veritate destitutae sunt, et quam plures ex eis inveniuntur, in quibus fundamentum designat veridicum atque historicum factum, forma vero et circumstantiae, quibus traditur, ex poëtica arte proveniunt; similiter omnes biblicae assertiones veritatem continent, haec tamen neque semper absoluta est, neque ubique relativa manet, sed in aliquibus absoluta est et in aliis relativa" i. e., si recte intellexerimus, ex parte carent veritate historica assertiones biblicae.

In eundem sensum intelligi possunt, quae Holzhey *l. c. p. 44* proponit: „Der überwiegende Teil des Inhaltes (der Bibel) war der natürlichen Erkenntnis des menschlichen Autors zugänglich, die Form blieb fast ausnahmslos seiner Individualität überlassen und auch in den Ausnahmsfällen, in welchen Inhalt und Form geoffenbart wurden, geschah dies, wie aus Mittel und Adresse der Offenbarung deutlich hervorgeht, in einer nicht dem Geber, sondern dem Empfänger der Offenbarung adäquaten, darum unvollkommenen Form; selbst wenn also Inhalt und Form des alten Testamentes durchgehends inspiriert wären, so würde der Umstand allein schon, daß es in der individuellen Sprache eines Volkes und eines Zeitalters geschrieben ist, bedingen, daß es an den Unklarheiten, den Mängeln und der Vieldeutigkeit der Begriffsbestimmung, die jeder menschlichen Sprache unvermeidlich sind, teil habe. Es ist für Menschen bestimmt, deren Erkenntnisvermögen notorisch unvollkommen ist, und das selbst beim Lichte göttlicher Wahrheit nur ‚Stückwerk' zu fassen vermag." — Statim intellexeris, quod, si illatio valeret, Deus veritatem in ejusmodi rebus ne posset quidem per inspirationem communicare.

Eundem modum procedendi Peters ipsi Salvatori nostro attribuit, de quo conferas *die grundsätzliche Stellung der kath. Kirche zur Bibelforschung p. 64.*

b) Contra doctrinam propositam haec notentur: Ex argumentis adversariorum sequitur quidem, quod sacer scriptor sub ipsa inspiratione linguam et modum veritatem proponendi eum eligere debeat, qui ab hominibus coaevis intelligatur. Nullatenus vero iisdem ra-

tionibus unquam ostendi potest, quod Deus, auctor Scripturae principalis, summam suam veracitatem manumittere et in ipsis erroribus et mendaciis proferendis hominibus sese accommodare debeat. Deus autem est, qui omnium, quae a s. Scriptura proponuntur, judiciorum et enuntiationum constituitur enarrator et magister.

5. Rei desperatae succurrit Lagrange, vim argumenti repetens ex analogia, quam confrater ejus Lacôme ex modo procedendi magistri humani desumpsit; hic nempe ipsis ideis falsis discipuli utitur ad veritatem demum insinuandam; a pari Spiritus Sanctus poterat erroribus et ideis falsis hominum uti ad suam sublimem doctrinam eis ingerendam.

„Quand donc le maître — ita Lagr. *la méthode historique p. 97* — ayant à se mettre en communion avec l'élève, s'ingénie à deviner les conceptions bizarres et folles qui ont germé dans son cerveau; quand, les ayant découvertes, il s'en empare et les fait jouer pour glisser au travers d'elles quelques atomes de vérité; quand pour lui mâcher les premières bouchées d'astronomie, il reprend les vieux mythes et les vieux errements, personnifiant le soleil et le faisant s'élancer, dans sa course quotidienne, de son lever à son déclin, le maître approuve-t-il par là toutes les illusions qui voltigent dans une jeune tête? Or l'Esprit-Saint, dans la Bible, est en vérité ce pédagogue, ce prédicateur. Il est maître à côté des autres maîtres de la terre, maître comme eux, à leur façon . . ."

Refutatio. — a) Jure merito P. Brucker *Études LIV (1891) p. 504* ad hanc theoriam reponit, se non credere magistrum humanum prudentem et religiosum seu diligentem istum in modum procedere: ut discipulum in erroribus suis relinquens et modo suo procedendi etiam confirmans, accedat ad instructionem.

„Je crois qu'un maître humain, s'il est sage et consciencieux, n'agira pas de cette manière; jamais, pas même au point de départ, il ne s'étayera des conceptions fausses de son élève, au risque de les lui faire prendre pour la vérité ou de discréditer ses leçons à l'avance. À plus forte raison, le Maître divin, Vérité suprême, ne peut demander le secours de l'erreur, à un degré quelconque, pour ouvrir l'accès des intelligences à sa doctrine surhumaine. Il ne saurait exploiter (qu'on me passe l'expression) que ce qu'il y a de vrai et de bon dans nos idées". Hucusque P. Brucker.

b) Certissime vero nemo prudens magister prius ipse discipulum edocebit errores et mendacia, quibus doctrinam suam inauguret; hoc autem praecise Deus plerumque faceret, si in Scriptura falsas quasdam doctrinas, vel profanas, homines edocuisset. — Si vero falsas praemissas adhibet in argumentatione, quae dicitur ad hominem, iste modus argumentandi ut talis manifesto apparebit et de facto, ubicunque in Scriptura adhibetur, manifestus est.

c) Si Lagrange insuper inculcat, Deum utpote supremum Dominum, hominem obligare posse ad obedientiam fidei etiam absque ullis argumentis: ergo etiam si praemissae falsae sunt *(cf. l. c. p. 100 sq)* — retinendum est, quod Deus propter ipsam suam essentialem perfectionem mentiri neque implicite neque explicite potest. Unde neque ipse falsas praemissas docere, neque in falsa argumentatione doctrinam suam exponere unquam potest: nam argumentatio ejusmodi fieri non potest, quin iterum ipsae praemissae saltem implicite affirmentur.

Ceterum quod homo obligatur, ut Deo credat etiam absque ullis argumentis, rationem habet praecise inde, quia Deus summa veritas est; cum qua ratione sicut apprime convenit, ut nullum adjungatur argumentum, ita vehementer repugnat, ut proponatur falsum. Quare in argumento proposito *concedas antec.;* et *neges consequentem* et *consequentiam.* Ceteroquin cf. quae exposuimus *p. 191 sq;* Egger *l. c. 254 b.*

De aliquibus rebus affinibus postea recurret sermo, ubi de veritate quoad res *physicas* agemus.

Scholion: Breviter respiciamus ad ea, quae objiciuntur ex ipsis ss. Scripturis. — 1. Contra factum nimirum, ita inferunt, non valet argumentum. *Atqui* multi errores in ss. Scripturis, maxime quoad doctrinam profanam inveniuntur. *Ergo* non potest negari, inspirationem cum errore conjungi posse.

Resp.: Accuratior ad singula, quae hac in re excipi possunt, responsio ab exegetis cordatis repetenda est; nos replicatione quadam magis generali heic contenti esse de-

bemus. — Et inprimis hic iterum occurrunt, quae supra de ipsa inspiratione agentes jam audivimus; recolligas, quae *p. 71 sqq* de hac re dicuntur et quae hac comprehendi possunt distinctione: inveniuntur errores in exemplaribus apographis vel in versionibus *tr.* in ipso textu originali vel in textu nostro, in quantum certo concordat cum originali *subd.:* in assertis, quae sunt propria hagiographorum qua talium *ug.* in iis, quae ex mente aliorum proferuntur *tr.* vel *cc.*

2. Ceteroquin nobis aliquid ut error apparere potest, quod tamen reapse erroneum non sit, idque duplici ex ratione: *Primum* non intelligentes rectum sensum ipsius s. Scripturae falsus intellectus, quem nos verbis s. Scripturae submittimus, contradicere poterit veritati. *Ex altera parte* possumus id, quod profana scientia gloriatur se invenisse, tanquam verum admittere, quin sit; et ita contradictionem in Scripturis apprehendere cum iis, quae vera solum existimamus. Haec jam Augustinus animadvertit celebri loco, quem supra citavimus, vel et alibi *c. Faustum XI 5:* „In Scriptura s. si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor hujus libri non tenet veritatem, sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut non intelligis".

3. De iis, quae scientiam physicam vel historicam spectant, postea accuratius nobis agendum est; hic pauca addam, quae quoad res fidei et morum in quaestione moventur.

a) Si v. g. manna ut esca angelorum et ut panis caeli sive de caelo exhibetur, quem Deus de caelo pluerat *(Sap 16, 20; Ps. 77, 24 sq; 104, 40; Jo 6, 31),* his ratio quaedam loquendi poëtica immiscetur, cujus sensus sine difficultate recte intellegitur. Nihil aliud his significatur, nisi quod Deus ipse, qui est in caelis, ad modum, quo angelos suos pascat, vel ministrantibus angelis tunc populum suum in deserto mirabiliter nutriverit, quum ei sine labore i. e. neque aranti neque serenti neque metenti cibum daret. Cf. Cornely *com. in libr. Sap. p. 539 sq.*

b) Quoad libros maxime antiquiores praeprimis urgent anthropomorphismos, quasi in iis Deo falso attribuerentur membra vel et defectus humanos. Sed anthropomorphistice de Deo loqui,

etiam nunc inter nos consuetudo est; haec autem consuetudo, quae hominibus fere necessaria est ad res de Deo capiendas et describendas, absque periculo errandi adsumitur, cum ex altera parte constet de Dei spiritualitate. Reducitur hic modus loquendi ad simplicem metaphoram.

§ 3. **Doctrina de veracitate Scripturae magis evolvitur.**

Ad veracitatem s. Scripturae recte intellegendam, tanquam supremum principium retinendum est: Necessario vera dicuntur ea, quae ex mente Scripturae proponuntur sive affirmative sive negative, omnia igitur quae ab hagiographo asseruntur, sive directe, sive indirecte eo quod dicta aliorum allegata approbantur. Non necessario in se vera retinentur ea, quae non ex mente scriptoris s. in libro sacro proferuntur, multo minus quae aliorum hominum enuntiationes exponuntur, ut epistolae, sermones, de quibus sacrae litterae nobis enarrant. Recolligas, quae de hac re enarravimus *p. 178 sqq.*

Hac ratione fieri potest, ut quae dicta in ss. litteris inveniuntur sibi contradicant, v. g. quae de morte Antiochi ibi leguntur; haec uno loco per ipsum hagiographum narrantur, et haec vera dicantur oportet; alio loco in aliqua epistola ab hagiographo allegata leguntur, et ibi non necessario vera credi debent. — Similia occurrunt in sermonibus allegatis s. Pauli vel s. Stephani aliorumve.

I. *De variis generibus loquendi.* — 1. Patet hac in quaestione de veracitate Scripturae attendendum esse etiam ad varia genera loquendi, quibus in suo ordine dictinctis certe non eodem modo veritas competat.

a) Aliter nimirum sentiendum erit de veritate fabulae et parabolae, aliter de veritate narrationis proprie historicae. *Haec* vera erit, si ea, quae historicus narrat, revera facta sunt et eo modo facta sunt, quo enarrantur; *parabola* seu *fabula* autem ex integro, factum quod attinet, ficta esse potest: veritas ejus consistit in aptitudine, qua vere illustret doctrinam, ad quam illustrandam assumitur, vel potius quod doctrina, ad quam illustrandam adhibetur, vera sit. — Possunt quidem et ipsae parabolae ex ordine objectivo et historico depromi; nihil vero cogit, ut res, quas Christus in parabolis proponit, tanquam facta vere historica admittas.

b) Aliter quoque sentiri potest de veritate carminis, quamvis de re historica agat, necnon de veritate enarrationis poëticae, cum poëtarum sit, multa ornamenti gratia adjungere. - Si-

mile quid teneas de modo, quo non raro prophetae futura annuntient. „Cum hi prophetae visione [quadam] rem ut praesentem vident quasi in tabula depictam, disparet coram iis successio temporum et ea, quae longis intervallis separantur, oculo mentis eorum simul obversantur: quae autem simul vident, saepe simul enuntiant, ipsa futura ut praesentia aut praeterita". Ceteroquin cf. Pesch *n. 494 sqq.*

c) Nihil porro impedit, quominus etiam ejusmodi genera loquendi per inspirationem divinitus ad instructionem generis humani adhibeantur; id quod ad evidentiam usque elucet ex exemplo Christi Domini, qui Deus-Homo et ipse aperuit in parabolis os suum eructans abscondita a constitutione mundi" *(Mt 13, 35)*. — Et si breviores ejusmodi narrationes sub inspiratione enuntiari poterant, eodem modo etiam longiores; imo per se nihil prohibet, quominus per integros libros similes enarrationes sub inspiratione protrahantur. Quare quaestio illa, num libris Esther, Tobiae, Judith historiae proprie dictae proferantur an potius ut fictae narrationes ad finem didacticum dirigantur, a priori argumentando ex ipsa notione vel conceptu inspirationis dissolvi non potest, sed recurri debet ad externa testimonia in ss. Scripturis vel in s. traditione hac de re emissa. — Neque hac in re recentiores quidquam novi invenerunt; cf. Egger *n. 14.*

2. Retinendum igitur est, omnia quidem in ss. Scripturis vera esse, sed ea veritate quae secundum suum cuique libro ingenium seu indolem competit, sive historicus est liber sive propheticus, sive poëticus sive didacticus.

Intellexeris, quo jure et nos de relativa quadam veritate singulorum s. Scripturae librorum loqui possimus. Ceteroquin et sub aliis respectibus veritas librorum sacrorum non absoluta est. Ita scientiam Dei, qui est ipsa veritas absoluta, libri sacri certe non exhauriunt; neque exhauriunt omnem rerum suarum veritatem seu non omnia dicunt, quae de rebus expositis per se dici possunt; neque teneri potest sacrum scriptorem totum scientiae suae thesaurum protulisse. Neque modus loquendi Scripturae semper ita determinatus est, ut sine ambiguitate pateat, neque Scriptura semper intimam rerum essentiam adaperire intendit; quin etiam poterat, cum consuetudo fert hominum, de rebus v. g. physicis secundum externam enarrare apparentiam (ea tamen conditione, ut hanc externam apparentiam cum intima rerum natura nullatenus confundat).

Sub omnibus his respectibus facile admittimus, veritatem etiam librorum sacrorum relativam tantum esse; nullatenus autem relativam veritatem eo sensu admiseris, ac si in sacris libris vera permixta sint falsis, sive eo sensu ac si ea, quae sacer scriptor sive explicite sive implicite affirmat, ex parte vera ex parte falsa et erronea sint. — Et si difficultas proponitur: nullus liber ut effectus creatus absoluta veritate praeditus est; atqui, etiam libri inspirati humani vel saltem creati sunt; ergo neque libri sacri absoluta veri sunt i. e. possunt errare — *respondeas: Dist. maj.:* nullus liber absolutam i. e. omnem veritatem continet *cc.* nullus liber in iis, quae tradit, meram veritatem sine ullo errore admixto exponere potest *ng.* Et *transmissa minore,* similiter *dist. csq.*

II. Quaeritur, num difficile sit dignoscere ad quodnam genus litterarium aliquis liber pertineat, et quaenam consequenter in eodem veritas inveniri debeat.

1. Nonnulli auctores hanc difficultatem justo plus extollunt, ita ut impossibile fere foret rem invenire.

Ita inter alios Zanecchia totam rei solutionem ab ipsa scriptoris intentione repetendam esse merito quidem statuit *(cf. o. c. 85);* quid autem proprie intenderit scriptor, difficulter inveniri immerito hisce verbis adauget: „Oporteret — ita disserit *o. c. 84* — ut communiter dicitur, reviviscere tempore illo ac loco, ubi hagiographus librum suum composuit, et notitiam possidere non solum status animi ipsius hagiographi, sed etiam status, quem scientiae naturales illo tempore habebant, et cognoscere documenta, traditiones, legendas, figuras rhetoricas orientales, quae in usu erant illo tempore et loco, ubi hagiographus librum conscripsit. Nisi enim sufficiens horum omnium notitia habeatur, mens hagiographi in libro expressa parum accurate conspici potest, et ideo nec plene comprehendi, quid Deus inspiratione sua per hagiographum doceat, num reales vel apparentes tantum contradictiones in Scriptura inveniantur et num pronuntiata naturalium scientiarum necnon antiquitatis documenta biblicis assertionibus vere adversentur". Omnis sic fere via ad verum sensum sacrorum librorum perveniendi praecluderetur.

2. Neque tamen necessarium est, ut haec omnia sciveris. Absolvitur res in genere eodem modo, quo in re-

liquis libris, qui inter homines conscribuntur; neque enim difficulter dignoscitur Caesarem v. g. libris de bello gallico veram et proprie dictam historiam exhibere voluisse, Ciceronem autem in quaestionibus tusculanis librum philosophicum . . Sic ex expressa professione scriptoris, sed etiam ex libro in se inspecto, ex materia tractata et modo tractandi communiter intellegitur, in quonam genere scribendi hic vel ille auctor versari intenderit. Intentio scriptoris utique inquiri debet; sed haec in ipsis iis, quae pronuntiat, facile manifestatur; si autem aliud intenderit, ac quod verba ejus proxime sonant, hoc praecise indicare debebat; alias mendaciis vel restrictionibus pure mentalibus luderet, quod in sacro scriptore admitti nequit. — Deus certe res numquam ita proponet, ut homines necessario vel fere necessario in errorem inducantur, ex lege ordinaria sumentes v. g. pro historicis, quae historica non essent. Cf. Egger *o. c. n. 10.*

Neque in re nostra sufficit, ut ostendatur mera possibilitas peculiaris generis literarii, qua transeam a communi sensu et intellectu ad genus quoddam scribendi translatum admittendum; sed ne pereat omnis fides in hac re, necessitas ostendi debet. Sic narratio, quae in Scripturis habetur de Tobia, narratio fictitia *(Novelle, Roman)* per se esse potest; quia tamen totus ejusdem habitus historiam arguit, haec possibilitas abstracta ex sese non sufficeret, ut verum ejusdem sensum historicum relinquerem.

Ceteroquin si omnia plane in libro nonnisi ex ipsa demum intentione auctoris prius cognita dignoscenda sunt, unde tandem haec ipsa intentio nunc nobis cognoscenda erit? Si non prius aliqua saltem verba auctoris in se inspecta bene dijudicare valebo, intentio ista communiter occulta manebit.

III. Facile jam et theoria quaedam dijudicatur, quam proponit Lagrange *o. c. p. 89 sqq.* — 1. S. Scriptura — ita ille — non est collectio quaedam thesium vel affirmationum categoricarum. *Atqui,* haec assumptio subintellegitur, verum est id tantum, quod sacer auctor categorice affirmat. *Ergo* non necessario omnia vera sunt, quae in Scriptura leguntur.

„Tout ce que les auteurs sacrés enseignent, Dieu l'enseigne et cela est donc vrai. Mais qu'enseignent les auteurs sacrés? Ce qu'ils affirment catégoriquement! — Or on l'a dit depuis

longtemps, la Bible n'est point un recueil de thèses ou d'affirmations catégoriques. Il est tel genre littéraire, dans lequel on n'affirme absolument rien quant à la réalité des faits; ils servent uniquement de base à une leçon morale, telle la parabole. Or l'inspiration ne change pas les conditions des genres littéraires; chacun doit être interprété selon ses règles . . . Cette formule me paraît encore la plus propre à résoudre les difficultés élévées contre la véracité de la Bible".

Neque, quae est opinio ejusdem auctoris, sacra Scriptura in multis partibus quidquam omnino docere vult; charisma enim inspirationis ex ipsa natura sua refertur ad scribendum; scriptio autem ex natura sua nihil aliud intendit, nisi ut scientiae prius acquisitae tales, quales sunt, conserventur. Possunt autem falsae esse ista aetate. Ergo inspiratio errores non excludit.[1])

Huc referas, quae Peters *Bibel und Naturw. p. 39* disserit: „Hiernach ist es verständlich, daß in der hl. Schrift objektiv falsche naturwissenschaftliche Anschauungen als Formalelemente für die Aussagen der hl. Schriftsteller sich vorfinden können, unbeschadet der Wahrhaftigkeit dieser Schriftsteller usw." et iterum *p. 41:* „Die Wahrheit der hl. Schrift in diesen Dingen würde nur dann leiden, wenn ihre Absicht dahin ginge, uns über diese naturwissenschaftlichen Dinge objektiv richtige, abschließende Belehrung zu bieten; das ist aber zweifellos nicht der Fall. Sie sagt über diese Dinge überhaupt nichts aus, verwendet sie vielmehr einfachhin so, wie sie dieselben vorfand, als formale Elemente für ihre religiösen Aussagen".

2. *Resp.:* a) Praenotemus cum Egger *p. 251 n. 178:* „Das [erste] Argument Lagranges leidet, wie es bei seinen ‚Plaudereien' (causeries nennt er selbst seine Konferenzen) oft der Fall ist, gar sehr an Bestimmtheit und Klarheit [der Begriffe]. Es frägt sich nämlich, was er unter kategorischen Behauptungen versteht. Ist darunter jeder Satz gemeint, wodurch man etwas absolut [bestimmt] und gewiß behauptet, im Gegensatz zu

[1]) L'inspiration conduit à l'écriture; de sa nature, l'écriture a pour but de fixer et de conserver une connaissance antérieurement acquise. De sorte que le charisme de l'inspiration n'a pas pour objet premier d'enseigner, mais de conserver le souvenir des vérités révélées et des faits de l'histoire, qui permettent de comprendre l'ordre et la suite de la révélation, quoique le but de l'écrivain sacré puisse bien être l'enseignement. La conception de l'inspiration est plus vaste. Il résulte de ce premier point, que la doctrine contenue dans un livre inspiré n'est pas nécessairement parfaite dans son sens propre, historique et littérale. Dieu . . a résolu peut-être de conserver la mémoire des idées imparfaites qu'on avait sur la divinité dans un stage donné de la révélation" *(p. 90).*

bedingten und ungewissen Aussagen? oder versteht Lagrange unter kategorischer Behauptung nur förmliche Lehrsätze oder Thesen", wie man sie im Katechismus oder Gesetzeskodex oder einem theologischen Lehrbuch aufstellt? „Offenbar nimmt er den Ausdruck in diesem letzteren Sinne; denn er spricht von ‚Thesen oder kategorischen Behauptungen'".

b) Secundum hanc distinctionem argumentum auctoris illius facile resolvitur. S. Scriptura non est collectio affirmationum categoricarum i. e. thesium, quae hic et nunc proprie et actu defendendae proponantur *tr.* vel *cc.*, non est collectio affirmationum in sensu logico seu dialectico *ng.* — S. enim Scriptura sicut et alii libri necessario componitur serie quadam sententiarum, enuntiationum seu judiciorum, in quibus omnibus et singulis aliquid affirmatur vel negatur; ejusmodi vero sententiae necessario verae sunt aut falsae; sub inspiratione divina falsae esse nequeunt; ergo necessario in Scriptura sacra verae declarentur oportet.

Facile autem *distinguas* et *minorem:* Veritas in solis affirmationibus categoricis invenitur: si intellexeris sub ista voce solas affirmationes quasi pro disputatione ex professo propositas *ng.*, si generalius intellexeris propositiones, in quibus aliquid affirmatur vel negatur *cc.*[1])

IV. Oritur adhuc quaestio, num verbis s. Scripturae plus veritatis competere possit ex inspiratione et intentione divina, quam ipse hagiographus intenderit vel intellexerit. De hac quaestione, quae certe non nova ss. patribus jam cognita erat, haec ex ordine proponenda esse videntur; respiciamus autem hoc loco solum ad sensum litteralem, omisso sensu typico.

1. Est sententia complurium recentiorum theologorum, in s. Scriptura non proponi, nisi quod Deus prius posuerit in mente hagiographi. Inde inferunt: Omnia quidem, quae in Scriptura docentur, Deus ipse docet; sed neque Ipse quidquam docet, quod hagiographus prius non in mente habuerit seu intel-

[1]) Hoc sensu et Fonck scribit: „Lehren im eigentlichen Sinn will Gott in der hl. Schrift freilich nur das, was sich auf das ewige Heil der Menschen und den Weg zu demselben bezieht; eine wirkliche Aussage liegt aber in jedem Satz vor, der ein Urteil über irgendein objektives Faktum enthält, mag dies nun religiöser oder historischer oder naturgeschichtlicher oder überhaupt profanwissenschaftlicher Art sein" *ZfkTh XXXI (1907) S. 416.* — Cf. inprimis responsum *comm. biblicae d. d. 18 Junii 1915.*

lexerit. Ex mente igitur scriptoris prorsus determinari debet, quid Deus dicere voluerit. — Porro inspiratio non mutat sensum terminorum neque proprietates propositionum neque genus litterarium librorum; unde secundum eas, quae ex his elementis deducuntur, communes hermeneuticae regulas etiam sensus sacrae Scripturae investigandus est; et quidquid hoc modo ex s. Scriptura erui nequeat, tanquam sensus Spiritus Sancti per se teneri non potest.

Huic sententiae omnino consentiendum est, in quantum affirmative tenet, ea esse Dei, quae ipse hagiographus scribendo verbis suis conscribere intenderit. Etiam id in sententia merito retinetur, quod nihil divinitus in Scripturis positum est, quod in verbis s. Scripturae nullo modo continetur; nam Deus certo certius per verba hagiographi ad homines loquitur, et sic nihil hominibus intimare poterit, nisi quod aliquatenus his verbis exprimitur.

2. Sed restat ulterior quaestio, num hagiographus omnia perfecte omnino intellexerit, quae Deus verbis ipsi traditis exprimere voluerit, etiam omisso sensu typico. Certe quidem Deus hagiographum in inspiratione variis illustrat judiciis; sed haec illustratio, ut supra vidimus, proxime et per se respicit judicia qua scribenda; unde ejusmodi judicia divinitus percipere potuit, quorum sensus et internus valor ex parte eum fugerit, cf. *p. 104 sqq.*

Quare cum quaestio sub hoc respectu ponitur, ex sensu clarissimorum patrum necnon et theologorum negative resolvitur. Ita praeeuntibus s. Augustino et s. Hieronymo nudis verbis rem exhibet s. Thomas: „Sciendum quod, quia mens prophetae est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut factis Spiritus S. intendit“ *(2, 2. q. 173. a. 4)*. Eique consentit Suarez dicens: „Advertendum fieri posse, ut verba prophetae aut visio illi demonstrata plura mysteria contineat, quam ipse intelligentia percipiat: quia, cum prophetae lingua et mens sint Spiritus Sancti instrumenta, quae non adaequant virtutem principalis agentis, non est necesse omnia intelligi a prophetis, quae Spiritus S. intendit“ *(de fide disp. 8 n. 5)*. — Huic sententiae ceteroquin omnes ii theologi subscribant oportet, qui in Scripturis veteris testamenti jam mysteria propria christiana adumbrata quaesiverint, de quibus apostolus: „Mysterium, inquit, quod absconditum fuit a saeculis, nunc autem manifestum est sanctis suis“ *(Col 1, 26)*.

Hanc sententiam suam fecit supremus pontifex Leo XIII in *encycl. Providentissimus* declarans: „Librorum sacrorum verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subjiciuntur, quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnumquam ampliore

quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur; alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit" *(n. 16)*.

3. Iis, quae diximus, jam et rationes rei fere indicatae sunt. Verbis nimirum s. Scripturae mysteria involvuntur, quae, sicuti nunc non plene intelleguntur, ita a fortiori inter veteres hagiographos non plene intellegebantur. Ita omnis prophetia annuntiationi ejus, quae in Christo exspectanda erat, salutis inserviebat; haec annuntiatio et doctrina paulatim in mentibus hominum excrescere et augeri debebat; quare primi hagiographi, quae hac de re annuntiabant, non eadem claritate perspexerunt ac posteriores, v. g. evangelistae. — Quoad vaticinia optimus iterum commentarius ipsa rei adimpletio est; quare iterum ii, qui adimpletioni adsistunt, melius sensum prophetiarum intellegere poterant quam ipsi prophetae, quibus primitus per Deum communicatae erant.

Merito Pesch, quem hac in re secuti sumus, concludit „Ergo bene fieri potuit, ut Deus per verba Scripturae aliquid significare vellet, quod ipsi hagiographi non perspexerunt; ideo ad Scripturam recte exponendam sola praecepta [communia] hermeneuticae non sufficiunt, sed recurrendum etiam est ad traditionem ecclesiae, cui Deus cum Scriptura charisma dedit rectae expositionis" *(n. 499 sqq)*.

Articulus II.

De Scripturae veracitate quoad res physicas.

Dicentes omnia s. Scripturae asserta necessario vera esse, excludimus certe etiam errores in rebus physicis. In his vero peculiaris urget difficultas. Quare peculiarem de hac re instituere debemus inquisitionem. Magna nimirum vi et vehementia hic maxime multi arguunt auctores: facta quoad hujusmodi res in Scriptura affirmari, quae certis dogmatibus scientiae naturalis adversentur.

Audiamus ex. g. Peters hac de re disserentem in opusculo *Bibel- und Naturforschung p. 21:* „Die Naturforschung hat also — das steht einfach fest — in zahlreichen Punkten, worin sich die Bibel mit ihr berührt, auf dem Boden ihrer rationellen Methode unablässig arbeitend, eine Reihe absolut gesicherter Resultate ergeben, die den naturwissenschaftlichen Daten der Bibel ebenso sicher widersprechen. Oder ist es etwa astronomisch noch zweifelhaft, daß die Erde sich um die Sonne dreht, daß die Fixsterne

gewaltige Sonnen sind . . ., daß der Mond viel tausendmal kleiner ist als die meisten der uns sichtbaren Sterne? In der Bibel aber sind Sonne und Mond im Gegensatz zu den Sternen ‚die großen Lichter' am Himmel".

Rationem vero, cur hoc accidere potuerit, exponit altero opusculo *„Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung"* hisce verbis: „Was von Gott ist, ist erhaben über jeden Irrtum; denn Gott kann nicht irren und nicht Urheber des Irrtums sein. Was aber von den Menschen ist, das ist menschlich, und hier kann das Menschliche sich ansetzen, der Irrtum. Und dies war manchmal der Fall in den naturwissenschaftlichen Dingen; denn die Autoren der heiligen Bücher waren in diesen Dingen Kinder ihrer Zeit . . . Ueber Fragen der Astronomie und Kosmologie, der Geologie und Paläontologie, der Zoologie und Botanik, der Physik und Chemie dachten und urteilten sie alle wie ihre Zeitgenossen; in den Formen der profanen Weltanschauung[1]) ihrer Zeit brachten sie deshalb auch die religiöse Heilslehre in ihren Schriften zur Darstellung, in derselben Weise wie sie zum Ausdruck der Begriffe die ihnen geläufigen Worte, zum Schreiben der Worte das übliche Alphabet verwendeten, ohne ein besonderes Charisma der Irrtumslosigkeit in Sachen der Orthographie, Grammatik und Stilistik zu besitzen . . . Man kann deshalb in astronomischen und kosmologischen, in geologischen und paläontologischen, in botanischen und zoologischen Fragen aus der heil. Schrift wohl erforschen, welche Meinungen die Menschen damals in diesen Dingen hatten, und insoferne sind die Darstellungen dieser Dinge in der Bibel relativ wahr. Aber keineswegs gibt die Bibel eine absolut gültige Antwort über derartige profanwissenschaftliche Fragen, die für ihren Heilszweck völlig gleichgültig sind. Es war eine von orthodox-protestantischen Einflüssen nicht freie Ueberschätzung der heil. Schrift, daß man auch in solchen Dingen eine absolute Wahrheit in der heil. Schrift suchte, eine Anschauung, die notwendig als Hemmschuh für die Entwicklung der natürlichen Wissenschaft wirken mußte" *(p. 41sqq)*.

Quae hac de re tenenda sunt, his fere comprehenduntur: S. Scriptura de rebus physicis non scientifico, sed vulgari modo loquitur atque loqui debet; neque tamen per ipsum hunc modum

[1]) Cum auctor hic loquitur de „formis persuasionis universalis" *(von Formen der profanen Weltanschauung)*, in quibus hagiographi loquantur, ipse sub hoc nomine ipsas has persuasiones intellegit, quibus veritates religiosae quodammodo investitae appareant, non vero quem nos supra distinximus modum loquendi mere externum *(electionem vocabulorum, formam grammaticam, stilum)*.

quidquam falsi de illis rebus affirmatur, quae in sua objectiva veritate prorsus non attinguntur.

§ 1. **Modus loquendi in re physica scientificus non est.**

Praenota: Abstrahimus in nostra inquisitione a modo poëtice de his rebus loquendi; neque enim quisquam ejusmodi poëticas enuntiationes, quibus v. g. Job loquitur de „columnis caeli", ad verbum sumpserit. De hac re cf. Peters *Bibel und Naturwissenschaft p. 46 ff.*

Deus — et hoc absque controversia admittitur — per Scripturam s. institutionem de ejusmodi rebus physicis directe et per se non intendit . . Notissima sunt verba s. Augustini: „Non legitur in evangelio Dominum dixisse: mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis et lunae: christianos enim facere volebat non mathematicos" *(de actis cum Felice manichaeo I 10).* Quare quoad has res Deus homines accuratius docere non debebat, priusquam suam inchoavit divinam religiosamque instructionem. Hoc semel supposito, Scriptura in ejusmodi rebus ea ratione cum hominibus conversari debuit, quo ipsi inter sese conversabantur vel et nunc conversantur.

Atqui omnes homines, quando in suis conversationibus sermones permiscent de rebus ordinis physici (quamdiu non de industria et ex professo de iis instruere volunt), de iisdem loquuntur secundum modum, quo extrinsecus sensibus nostris apparent. Sic loquimur de solis ortu et occasu, de caeli firmamento, unde pluvia et grando cadat, et de aliis hujusmodi rebus; hoc vel nunc facimus, cum optime sciamus rem in se ipsa et in ordine objectivo ita non se habere et si, quis aliter ageret, risui se exponeret.

Quare et ipsa Scriptura, si jam cum iisdem hominibus conversari volebat, eundem loquendi modum observare debebat; alias verba ejusdem Scripturae non facile intellegerentur, certe intellecta non essent ab iis hominibus, ad quos primitus destinata erant.

Haec est doctrina Leonis XIII, qui in *encyclicis litteris citatis n. 28:* „Spiritus S., inquit, qui per scriptores sacros loque-

batur, noluit ista [scil. intimam adspectabilium rerum constitutionem] docere homines, nulli saluti profutura; quare (hi sacri scriptores), potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describunt et tractant aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita ipsos inter homines scientissimos".

§ 2. Sub modo loquendi vulgari rerum veritas intacta relinquitur.

I. *Ipsa res demonstratur.* — 1. Modus de rebus physicis loquendi vulgaris per se et directe ad externa phaenomena, ad opticam apparentiam magnitudinis, motus etc. refertur. „Vulgari autem sermone — ita Leo XIII pergit — quum ea primo proprieque efferantur, quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer . . . ea secutus est, quae sensibiliter apparent *(S. Th. I q. 70 a. 1 ad 3)*, seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more". *Atqui* ista sensibilis et externa apparentia verbis omnino conformis est; *et ideo* sub hac ratione modus iste loquendi ab omni errore alienus est, neque quidquam falsi affirmatur.

„Als einfache Wiedergabe der Sinneswahrnehmung kann der volkstümliche Ausdruck nicht falsch sein und keinerlei Irrtum enthalten; denn die Sinne irren nicht in der Beobachtung des ihnen entsprechenden Gegenstandes. Der Irrtum würde erst hinzukommen durch das Urteil des Verstandes, wenn er aus der Sinneswahrnehmung den Schluß ziehen wollte: weil die Augen sehen, daß die Sonne sich jeden Morgen am Horizont zeigt und am Abend wieder verschwindet, bewegt sie sich wirklich, auch nach dem objektiven Sachverhalt, um die Erde herum" (Fonck *ZfkTh XXXI S. 411)*. Et eundem in sensum Peters *Bibel und Naturwissenschaft p. 47 sq:* „Heute ist es mit der Sprache des Volkes so, wie es in der Zeit des Josue war: jeder sagt, die Sonne geht auf, geht unter, steht hoch, steht tief. Auch wer die wissenschaftliche Sicherheit des heliozentrischen Weltsystems kennt, gebraucht diese Wendungen, ohne daß er dadurch eine astronomische Behauptung aussprechen wollte [?]; zur Zeit des Josue war es nicht anders. Daher besagt der Ausdruck des Buches Josue: ‚Sonne steh still gen Gabaon . . ', nicht etwa, daß die Sonne wirklich die Erde umkreise und nun in diesem ihrem Laufe Halt machen solle, sondern ledig-

lich, daß jenes Phänomen des Stillstandes eintreten solle. Die wissenschaftliche Frage, ob die Wirklichkeit und der Augenschein sich hiebei decken, lag Josue so gut wie dem Verfasser des Buches Josue völlig fern; keinem von beiden ist es eingefallen und konnte es einfallen, diese astronomische Frage bejahen oder verneinen zu wollen".

2. Manifesta est consequentia in argumento: Falsitas enim ibi est, ubi judicium. Atqui in omnibus illis modis loquendi res quidem exhibentur, ut in phaenomenis externis apprehenduntur sensibus, ultra id vero quod sensibiliter apparet, de intima rerum realitate et essentia judicium non fit, neque modus loquendi formaliter rei ipsi attribuitur. Ergo quod attinet hunc internum rerum ordinem, falsitas in vulgari loquendi modo subesse nequit.

Quod in isto modo loquendi nullum judicium includitur de rei enuntiatae intima realitate, clarissime inde manifestum est, quod et ipsi homines doctissimi et harum rerum peritissimi, qui ordinem objectivum bene perspexerint, eundem modum loquendi retinent; immo ipsum Verbum aeternum Christus eundem modum loquendi adhibet dicens: „Pater vester solem suum oriri facit super bonos et malos" *(Mt 5, 45)*. Si autem hic modus non ad merum phaenomenon sensibile restringeretur et judicium de objectiva rei realitate necessario adnexum haberet, isti viri aut semper de his rebus mentirentur, aut verbis luderent, aut metaphoris uterentur; nihil horum rationabiliter affirmatur. Neque enim, quod ultimum attinet, homines in ejusmodi rebus continuo usu metaphorice loqui solent. Cf. J. G. Hagen *astronomische ‚Irrtümer' in der Bibel ZfkTh XXXI (1907) p. 750 sqq.*

De facto igitur nos, qui systema heliocentricum novimus et amplectimur, et veteres, qui nihil de hac re sciverunt, modo nostro loquendi idem prorsus exprimimus; quin nos de nostra scientia necessario cogitaverimus, vel illi de suo errore. Differentia est inde, quod nos simul de nostra scientia cogitare possumus, illi de suo errore. Eo ipso autem utrumque prorsus concomitanter se habet.

3. *Neve igitur dixeris:* Hagiographi, cum istum in modum de phaenomenis sensibilibus loquebantur, reapse in mentibus suis falsa judicia fovebant et adnectebant, quemadmodum et patres congregationis sacri Officii temporibus Galilei rem intellexerint. „Naturwissenschaftliche Ausdrucks- und Denkweise fielen im Altertum [cum Kopernikus nondum extiterit] zusammen, und es ist den biblischen Schriftstellern nicht eingefallen, sie zu trennen und etwa den Gedanken zu fassen, daß die Ausdrücke nur dem Augenschein entsprechend seien" (Peters *Bibel und Naturwissenschaft S. 44).* — Magna igitur, ajunt, differentia est inter illos antiquos scriptores et homines nostrae aetatis; nos enim scimus rem aliter se habere, atque modus manifestat loquendi; hagiographi autem existimabant se rem, uti est in se, verbis suis adaperire; quare illi errabant, nos non ita.

Ad hanc rem nota: a) Nos in verbis Scripturae qua talis nihil intendere debere, nisi id quod verbis scriptis hagiographi manifestaverint vel quod verba extrinsecus sonant. Relate ad hanc externam et necessariam significationem ea, quae subjective apud se scriptor senserit, concomitanter se habent. Quare in dijudicanda veritate Scripturae haec extra computationem manent. „Ausdrucks- und Denkweise — ita Fonck *l. c. p. 411* — fielen zusammen, insoferne mit dem volkstümlichen Ausdruck der Sinneswahrnehmungen auch das irrige Urteil des Verstandes und die falsche Naturauffassung tatsächlich verbunden sein mochten; sie fielen aber keineswegs zusammen in dem Sinne, daß die Ausdrucksweise auch dieses irrige subjektive Urteil irgendwie hervortreten ließ . . . Man mag also von subjectiv falscher Naturanschauung der Hagiographen reden; von objektiv falschen Ausdrücken und naturwissenschaftlichen Irrtümern in den inspirierten Schriften kann nicht die Rede sein".

b) Neque tam necessario ejusmodi judicium de objectiva realitate rerum verbis adnectitur, quam adversarii supponunt; „nam, ut apposite notat Pesch *n. 510,* cum loquimur de solis ortu et occasu et similibus, non cogitamus in secreta mente: noli tamen me tam stultum habere, quasi nesciam, quomodo res objective se habeant. Sed simpliciter abstrahimus ab intima rerum natura et significamus ea, quae sensus referunt". Quemadmodum autem nos non cogitamus in isto modo loquendi de rerum interna natura, ita neque majores nostri cogitasse praesumere possumus.

„Num igitur sacri scriptores reipsa sciverint, quo pacto absolute se habeant haec, quae ad magnitudinem motumque orbium caelestium spectant, prout in astronomia statuitur, otiosa quaestio est. Nam evadunt instrumenta Spiritus S. in sacro codice conscri-

bendo in eo tantum, quod verba significant juxta legitimum et communem sensum, quem illa exhibent" (Schiffini *n. 55).*

c) Neque aliter sentiendum est, quando ejusmodi expressiones originem trahere videntur ex erroneis de natura rerum opinionibus, quod v. g. renes sint sedes affectuum, cor sedes cogitationum. — Neque enim in ejusmodi formulis loquendi istae erroneae opiniones affirmantur, sed alia prorsus res, quae ex usu hominum quidem istis formulis exprimitur, tamen a falsitate vel veritate earundem opinionum independens esse plane cognoscitur. Ita modum loquendi quod attinet, quando v. g. s. scriptor dicit: *Deus scrutatur renes et corda,* is quidem ortum duxit ex erronea ista physiologica opinione; quod vero attinet ipsum sensum, qui sub tali modo loquendi subest, is ab praedictae opinionis veritate vel falsitate plane independens et verissimus est. Neque enim quidpiam aliud tali propositione significatur nisi Deum omnia, quae homo vel mente volvit vel voluntate fovet, etiamsi sint abditissima, intueri. — Sic v. g. etiam in usu profano et scientifico modus ille loquendi, quo calor dicitur fieri latens, ortus est ex erronea de natura caloris opinione; id tamen nihil obstat, quominus etiam moderni physici modum illum loquendi communiter adhibeant, licet prorsus opinionem repudient, quae modum illum loquendi primum induxit. Cf. de San *de div. trad. et Scriptura p. 294;* Schiffini *l. c. n. 58.*

II. *Interna rei ratio.* — 1. Ultima hujus rei ratio haec reddi potest: Nos ipsas substantias vel essentias rerum non intuitive cognoscimus, sed ex qualitatibus et operationibus accidentalibus ad earum cognitionem pervenimus; rudes maxime vel et homines in communi ultra hanc notitiam non procedunt. Nunc vero pleraque nomina non a viris litteratis, sed a vulgo rebus physicis primitus imponuntur. Et ideo formulae de his rebus loquendi tam saepe non internae rerum naturae, sed externis potius adaptatae sunt phaenomenis. Cf. Crets *o. c. p. 331 sq.* — Subest igitur ejusmodi formulis loquendi res ipsa vere, certe non falso cognita, sed inadaequate apprehensa et ex accidente quodam denominata.

2. Unde omnino apparet, etiam per ejusmodi locutiones aliquid affirmari et judicium haberi de re physica; enuntiatur enim prorsus illud, quod in rerum ordine phaenomenis externis subsit, accidisse, quamvis non affirmetur

idem accidisse etiam modo illo, quo apprehenditur. Sic lingua illa, quae secundum rerum externam apparentiam efformata est, non minus veras realitates denotat, quam lingua scientifice exculta, quamvis easdem non eodem modo exhibeat.

3. Cum vero auctor quidam (cf. *supra p. 324)* existimat, ejusmodi affirmationes et enarrationes se non habere nisi ut elementa formalia prorsus in eundem modum, quo res grammaticas, orthographicas, stilisticas: vehementer fallitur. Haec enim omnia, sicuti et certa quaedam genera litteraria *(allegoriae, parabolae, assumptio sententiae in exemplum)*, ex natura sua vel ex usu communissimo et notissimo inter elementa formalia vel technica *(Ausdrucksmittel)* inveniuntur, quod autem assertiones ipsae ordinis physici qua tales *(Aussagen)* huc referendae sunt, certe non est evidens et ab auctore illo non probatur.

Neve dicas: Haec omnia tamen non ratione sui, sed propter religionem et fidem tantum nos edocendam, ergo ut media enuntiantur. Neque enim eo, quod ad religionem et fidem tanquam ad finem diriguntur superiorem, jam non asseruntur, sed praecise ut assertae et ut affirmatae huic fini inserviunt vel inservire possunt. Sunt igitur media quidem religiosae instructionis, non tamen media pronuntiationis.

III. Quae omnia cum ita se habeant, manifestum est, etiam Deum in ss. Scripturis ejusmodi modum loquendi salva sua divina dignitate adhibere potuisse. Erat *enim* aptissimus atque, ut ex dictis apparet, innocens modus communicandi cum hominibus; imo supposito, quod Deus evolutionem scientiarum pure humanarum directe promovere nolebat, ad tempus unice possibilis.

1. Profecto etiam per istum modum loquendi Deus finem suum optime assequi poterat. Hic finis erat, certe non ut intimam rerum naturam homines edoceret, sed aut ut omnium istarum rerum relationem ad Deum creatorem adaperiret aut ut, quemadmodum series narrationis hoc postulabat, de rebus vitae communis sermonem misceret, cum v. g. de occasu solis vel de consurgente aurora erat loquendum etc. . . . Ad utrumque autem finem prorsus indifferens erat, utrum secundum sensibilem apparentiam an secundum rerum internam naturam facta ejusmodi significarentur; utrum v. g. diceretur Deum stabilisse firmamen-

tum, an exponeretur Eum omnia secundum leges a Kepler inventas ordinasse.

2. Neque volumus excludere, quod propter connexionem cum revelatione *(per accidens)* divina instructio etiam directe in ejusmodi rebus physicis et factis naturalibus versari potest, ita ut facta quoque physica ut talia et, ut sunt a parte rei, asserantur. Quod si fit, certo certius etiam quoad haec verbo Dei sua propria veritas competit; et si vel tunc apparebit dissidium inter scientiam et verbum inspiratum, peculiaria quaedam principia observari debent, in quibus enucleandis jam s. Augustinus sollicitus erat. S. Thomas autem omnia fere hisce verbis complectebatur: „In hujusmodi quaestionibus duo sunt observanda: *primo* quidem ut veritas Scripturae inconcusse teneatur; *secundo* cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat; ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur et ne iis via credendi praecludatur" *(1 q. 68 a. 1)*. *Ceteroquin* etiam a physicis multa ut certo cognita praedicantur, quae proprie inter incognita adhuc reputanda sunt. — Haec doctrina, quam etiam Leo XIII *litt. encycl. cit.* iterum inculcat *n. 33*, maxime prae oculis habenda est in interpretatione eorum, quae ab ipso initio Scripturae primo capite Geneseos traduntur; cf. Pesch *n. 505 sqq.*

3. Quia tandem etiam his omnibus suppositis modus loquendi est et manet hominis hagiographi, industria et elementum humanum a compositione librorum sacrorum nullatenus removetur, sed potius retinetur. Neque verba Scripturae inde duplicem quodammodo sensum praestabilitum *(„praestabilierten Doppelsinn"*: Peters *Bibel und Naturwissenschaft 44)* adsumunt, ac si verbis Scripturae unus sensus (hagiographi) falsus, et alter (ipsius Scripturae) verus competeret. Ipsius Scripturae enim unus tantum sensus est, quamvis ipse scriptor sacer subjective ex sua parte falsa judicia concomitanter admiscuerit. Id quod uberius etiam accidere potest in quotidiana vitae consuetudine, quando plures, qui unum sermonem audiverint, ejusdem verba diversis modis intelligunt et interpretantur.

Scholion. Nunc ad singularia quaedam descendendum esset, ut intelligeres, quomodo doctrina exposita in singulis foret adhibenda. Sat multa praeeunte Peters collegit Fonck *ZfkTh XXXI (1907) p. 420 sqq (praes. p. 422)*; quae in duas deinde classes dividit. Quae tamen in priore classe recensentur, peculiarem difficultatem non praebent et ex dictis sufficientem solutionem inveniunt.

Peculiarem considerationem movent ea, quibus facta quaedam desumpta ex ordine physico quodammodo magis directe asseruntur: cum v. g. vespertiliones inter aves seu melius inter volatilia, cum lepores et hyrax syriacus *(Klippdachs)* inter animalia ruminantia enumerantur *(Lev. 11, 16; Dt. 14, 7)*, vel cum „granum sinapis minus dicitur esse omnibus seminibus" *(Mc. 4, 31)*, vel cum legitur *Job 20, 16:* „occidet eum lingua viperae", quasi vipera ipsa lingua mortem inferre posset.

a) Quoad haec *praeprimis* notandum est, ea ex parte verba esse aut ipsius Domini Jesu *(Mc. 4, 31)* aut aliorum hominum ut amicorum Job, de quibus ratione inspirationis non exigitur nisi veritas citationis, non autem per se veritas rei citatae.[1])

b) Quoad reliqua teneas: Nemo tenetur in practico usu admittere systema quoddam particulare a certo quodam auctore (v. g. Linné) rebus naturalibus illatum; sed sicut hic, ita et alius proprium sibi systema poterit ordinare. Et ita inter populos varios varia systemata populari modo facta inveniuntur: haec vero communiter non tam ex interna rerum natura considerata composita sunt, quam ex iis, quae extrinsecus apparent. Secundum classificationem ejusmodi popularem olim lepus et hyrax inter animalia ruminantia, vespertilio vero et locustae inter aves seu melius inter volatilia *(Flugtiere)* connumerabantur. Moses nunc systema populare, quod tunc in usu erat, respicere debebat; pro populo enim rudi et inculto leges ejus conditae sunt.

Idem usus vel hodie in casibus practicis observatur. „Trotz aller Wissenschaft — ita Fonck *l. c. 428* — und trotz aller Etymologie dehnt das Volk seine Namen nach gewissen äußeren und leicht bemerkbaren Kennzeichen auch auf andere Tiere aus, die das von der Etymologie bezeichnete Merkmal tatsächlich nicht an sich tragen. Mag die Wissenschaft ihre Klasse ‚pisces' noch so

[1]) Qua ratione vero ejusmodi dicta Christi suam sibi veritatem servent, non est nostrum hic indagare, cum id non pertineat ad inspirationem qua talem. Cf. Fonck *l. c. p. 424 sqq; moderne Bibelfragen p. 54 sqq.*

genau beschreiben und die Etymologie mehr oder minder wahrscheinliche Meinungen über ‚Fisch' und ‚Piscis' aufstellen, für das Volk bleibt der Wal ein Fisch, obwohl er zu den Säugetieren gehört, und es rechnet sogar mit den Fastengeboten der Kirche die Wasserhühner zu den Fischspeisen, obwohl sie Landtiere sind". — Lepores igitur animalia ruminantia sunt ex classificatione populari et ex sensu legis, quamvis non secundum specificationem scientificam: eundem in modum vespertiliones inter volatilia recensentur. Et hac suppositione facta idem auctor pergit: „Niemand wird darin einen naturwissenschaftlichen Irrtum sehen, weil etwa die Benennung der heutigen wissenschaftlichen Definition der Klasse ‚aves' nicht entspricht".

c) Cum igitur excipiunt: in Scriptura sacra lepores inter ruminantia animalia habentur; atqui in his error subest; ergo . . .: *distinguemus majorem:* lepores inter ruminantia recensentur, ex classificatione vulgari, quae tunc in usu erat, quam legislator tunc sequi debebat *cc.* inter ruminantia ex systemate nunc vigente magis scientifice exulto *ng. Contrad. min.:* in his error habetur: si classificatio illa systema scientificum hodie vigens supponeret *cc.* si respexerit systema tunc vigens vulgare et secundum rei externam apparentiam factum *ng.*

Alia autem, quae Scripturae exprobrantur, immerito inter errores reputantur, aut eo quod reapse recte intelligi possunt, aut quod vulgariter et poëtice intelligi debent. Horum contexere catalogum, longum est.

Articulus III.

De veritate Scripturae quoad res historicas.

In articulo antecedente, ubi de veracitate Scripturae quoad res physicas egimus, statuimus hagiographos, quando de rebus ordinis physici sermo immiscendus foret, communiter tenuisse modum loquendi vulgarem, qui magis rerum apparentiam externam respiceret. Hunc modum nonnulli theologi simpliciter transferre volunt etiam ad alias scientias naturales, maxime ad relationes historicas, in quibus ejusmodi apparentia haberetur inde, quod historicus res ipsas gestas exhiberet secundum opiniones vulgares, quibus objectiva veritas non necessario competeret. Quare ab initio de discrimine disserere debemus, quod intercedit inter sententias physicas et enarrationes historicas; deinde

statuemus positive absolutam sacrae historiae veritatem; in fine respiciemus ad quaedam in specie artificia, quibus fautores scholae ut ajunt largae contrarium defendere conantur.

§ 1. De notabili discrimine inter dicta physica et relationes historicas.

I. Pro opinione, qua etiam res Scripturae historicae secundum externam tantum apparentiam aestimari possint, auctores hujus viae ad duas maxime rationes provocant.

1. *Inprimis* premunt certam analogiam, quam historia in genere cum reliquis scientiis profanis et in specie cum physica ineat. Quod igitur aequum sit de physica, jure etiam ad historiam applicari condendunt.

Ita Hummelauer ratiocinatur *o. c. p. 97:* „Hat denn etwa das menschliche Naturwissen vor den übrigen Profanwissenschaften das Recht voraus, daß über dasselbe allein inspirierte Autoren in volkstümlicher Weise und nach dem Augenschein sich ausdrücken dürften? Sind seine Fachfragen die einzigen, die für das Heil belanglos sind? konnten einzig auf diesem Gebiete des Profanwissens die Väter irrtümlichen Ansichten das Wort reden?"

Positivam quandam rationem Peters adjungit: „Es ergibt sich die Gültigkeit desselben Grundsatzes [wie man ihn für die Beurteilung des Verhältnisses der Naturwissenschaften zur Bibel bereits allgemein anerkennt] auch für das Gebiet der historischen Wissenschaften sofort als notwendige Folgerung. Denn, wenn die heiligen Schriftsteller keine Offenbarungen [!] über naturwissenschaftliche Probleme erhalten haben, so gilt, bis das Gegenteil für den einzelnen Fall bewiesen ist, dasselbe für geschichtliche Fragen, zumal es sich überall, wo eine Kontrolle ihrer Berichte möglich ist, zeigt, daß ihre historischen Kenntnisse nirgends sich über den Stand der damaligen geschichtlichen Bildung erheben. Die konsequente Anwendung unseres Grundsatzes aber auch auf das geschichtliche Feld ist der einzige gangbare Weg, um das so gewaltig erweiterte historische Wissen unserer Zeit, in der ganze Jahrtausende aus dem Schutt der Ruinenhügel sich gespenstisch wieder erheben, mit den heiligen Urkunden unseres Glaubens in Einklang zu bringen."[1])

[1]) *Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung p. 45.* — Facile autem concesseris auctori, revelationes non necessario factas esse neque quoad res physicas neque quoad historicas.

In eundem sensum scribunt Zanecchia *o. c. p. 85 sqq.* Holzhey *Schöpfung, Bibel und Inspiration p. 51 sqq.*

2. *Alteram rationem* auctores isti sibi adesse existimant ex auctoritate Leonis XIII, qui, postquam exposuerit, quae in rebus ordinis physici tenenda sint, pergit: „Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim juvabit transferri" *(n. 30).*

Peters haec verba liberiore quodam modo germanice interpretatur: „Dieselben Grundsätze können sodann nach Gefallen auf andere verwandte Wissenszweige, besonders auf die Geschichte angewendet werden" *(p. 48).* Hummelauer autem eandem rem ad usum deducit his verbis: „Die Geschichtsauffassung des inspirierten Verfassers ist eine unentwickelte wie seine Naturauffassung; er gibt uns Geschichte nach dem Augenschein, wie sein Naturwissen ein Naturwissen nach dem Augenschein ist: ‚Juvabit transferri'" *(p. 63 sqq).*

II. Quid dicemus ad haec? — 1. Quod alteram attinet rationem, illatio ex ipsis litteris encyclicis Leonis XIII certe beneplacito *(„dem Gefallen")* singulorum theologorum permissa non est, imo nulla legitima erit.

In qua re *praeprimis* nota: principium istud sic in genere admissum gravissimas fert consequentias, ut ipsi auctores hujus opinionis fatentur. Posset aliquis statim inferre: „e. g. quidquid dicunt apostoli vel Christus ipse de scriptoribus sacris veteris testamenti, ‚secundum apparentiam' i. e. secundum popularem traditionem loquuntur, eorum testimonia de veritate rei nihil dicunt. Idem valet de principiis philosophiae et ethicae naturalis, quae magna pars sunt librorum sapientialium: ‚secundum apparentiam' dicta sunt, objectivum valorem fortasse nullum habent. Periculum igitur est, ne immodica applicatione illius ‚juvabit transferri' auctoritas s. Scripturae valde diminuatur ejusque libri fiant collectio dictorum secundum apparentiam, quae vix ad aliud utilia sunt nisi ad describendum statum mentis hominum tunc viventium" (Pesch *p. 523 nota).* — In ejusmodi vero rebus, quae tam graves inferunt consequentias, temere non est procedendum, sed accuratissime res novae sunt probandae.

a) Tantum autem abest, ut haec illatio ex textu vel ex contextu encyclicae probetur, ut etiam positive excludatur. Verba enim illa: ‚Haec ipsa deinde . . .', sua natura respiciunt ea, quae immediate ante peracta sunt. Immediate ante vero haec proferuntur: „Sane quamquam ea,

quae speculatores naturae certis argumentis certa jam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab ipsis tradita postea in dubitationem adducta sint et repudiata; quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgessi in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadunt, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas". — Hoc *igitur* juvabit transferri; et ideo sensus erit: „Sicut refutandi sunt naturae indagatores, si terminos disciplinae suae transgressi falsa statuunt pro veris, simili modo deinde agendum est quoad caeteras scientias, maxime quoad historiam".

b) Idem confirmatur per verba subsequentia, quae exhibent hujus rei rationem: „Dolendum enim [est] multos esse, qui antiquitatis [historica] monumenta, gentium mores et instituta similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proterant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas infirmetur et nutet". Quibus molitionibus s. pontifex apta remedia opponit haec: „Fieri potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint, quod considerate judicandum est nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum; fieri etiam potest, ut germana alicujus loci sententia permaneat anceps, cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae; at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem . ." — Ecce nullum verbum indicatur de ejusmodi interpretatione sacrae historiae secundum apparentiam; imo omnis error expresse ab historia relegatur.

„Dies ist der Kontext — ita Egger *o. c. p. 131* — so wie er sich von selbst darbietet, ohne jede Künstelei, womit man in der neuen Schule den Zusammenhang konstruiert; (sie interpretiert) nämlich so: ‚da die Menschen über Naturdinge oft nach dem Augenschein reden, so muß man dies auch auf die Geschichte anwenden, wo man auch nach dem Scheine

redet; denn es ist zu bedauern, daß manche Historiker mit feindseliger und unbilliger Gesinnung die Schrift durchforschen; man darf aber denselben auf keine Weise zugeben, daß sich in der heil. Schrift Irrtümer finden; man muß sie vielmehr mit aller Kraft widerlegen'. Dieser Kontext mag, wie Pesch *(n. 515)* mit Recht bemerkt, ein ‚artificium logicum' sein; einen natürlichen Zusammenhang sucht man vergebens".

c) Audiamus, quid de ejusmodi conatu Benedictus papa XV in suis ad natalem MD s. Hieronymi *lit. encycl. Spiritus Paracliti* senserit! „Neque minus, inquit, ab ecclesiae doctrina ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum absoluta inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo relativa, quam vocant, et concordi vulgi opinione: idque non verentur ex ipsis Leonis pontificis verbis inferre, propterea quod principia de rebus naturalibus statuta ad disciplinas historicas transferri posse dixerit. Itaque contendunt hagiographos, uti in physicis secundum ea, quae apparerent, locuti sint, ita eventa ignaros rettulisse, prouti haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur, neque fontes scientiae suae indicasse neque aliorum enarrationes fecisse suas. Rem in decessorem nostrum plane iniuriosam et falsam plenamque erroris cur multis refellamus?" *(n. 10)*.

Dixeris: non est quidem ejusmodi formalis et immediata rerum connexio, adest tamen realis et mediata connexio propter ipsam analogiam, quae inter utramque scientiam sub hoc respectu interest. Sic ad alteram jam rationem res deducitur.

2. Neque ulla omnino analogia vel similitudo inter historiam et scientiam naturalem sub isto respectu intercedit.

a) Si enim homines in rebus physicis denotandis modo loquendi utuntur populari et vulgari, sensus ejusmodi enuntiationum omnino determinatus et minime ambiguus est. Neque enim quisquam ignorabit, quid loquens de motu solis, de firmamento et de similibus rebus dicere velit; unde his nemo decipit, nemo decipitur; et formulis istis de rebus physicis vulgariter loquendi sua constat veritas. *Prorsus aliter* res se habet in narratione hi-

storica; haec enim fit eo fine, ut rerum praeteritarum notitia etiam ii accipiant, qui iisdem non interfuerunt. Ast cum narratio rebus ipsis non est conformis, si haec secundum vagos et incertos rumores fieret, utique neque ulla notitia communicatur; sermo aut frustra profertur aut errorem spargit.

„Wir lesen im Buche Josue: die Sonne stand still, und: Josue besiegte die fünf Könige der Ammorhäer. Beide Sätze berichten Tatsachen. Der Inhalt des einen Satzes ist ein Naturvorgang, der sich alle Tage wiederholt und den jeder selbst kontrollieren kann; der Inhalt des andern Satzes ist ein geschichtliches Ereignis, von dem absolut nichts mehr übrig ist als das Zeugnis [die Quelle = „der Augenschein"] darüber. Der erste ist wahr, wenn auch nur die Tatsache wahr ist, daß die Sonne wirklich durch längere Zeit an einer und derselben Stelle des Himmels sichtbar war . ., was immer der physische Grund dieses Phänomens sein mochte. Ganz anders im zweiten Fall: Wenn Josue die fünf Könige nicht wirklich besiegt hat, so ist die ganze Erzählung falsch; denn da gibt es keine von der Wirklichkeit verschiedene Tatsache"; Egger *o. c. n. 102.* Cf. et Fonck *der Kampf um die Wahrheit p. 185; moderne Bibelfragen p. 67;* Pesch *n. 513.*

b) *Alterum* ingens *discrimen* inter historiam et scientias physicas in eo invenitur, quod in rebus physicis exponendis vix directa intentio scriptoris versatur; de his per incidens communiter sermo fit. Historicum hagiographus agit in directa intentione; unde integri libri de rebus historicis directe agunt; in aliis multa facta historica inseruntur et traduntur. Ideo si haec facta historica fide digna jam non sunt, magna pars Scripturae auctoritate et fide denudatur. Cf. Fonck *Kampf p. 186.*

„Hummelauer selbst — ita Egger *n. 101* — hatte gesagt, daß es sowohl dem Naturmenschen als dem Professor, wenn sie vom Auf- und Niedergehen der Sonne reden, ferne liegt zu behaupten, daß Augenschein und Wirklichkeit sich decken *(S. 55).* Nun frage ich aber: liegt etwa auch dem Geschichtsschreiber, der uns Tatsachen nach bestimmten Quellen erzählt — die Quellen sind ja nach Hummelauer der *historische Augenschein (S. 58)* — fern zu behaupten, daß die Quellen der Wirklichkeit entsprechen? Im Gegenteil; gerade darum erzählt er diese Tatsachen, weil er sie in den Quellen gelesen, und weil er die Quellen für glaubwürdig hält."

c) His fere indicatum est *tertium* notabile *discrimen:* Interna nimirum natura rerum physicarum ad ordinem salutis non pertinet, in factis vero historicis ipsa oeconomia salutis magna saltem ex parte evolvitur; sic peccatum protoparentum historicum factum est, et in ipso hoc facto dogma vertitur fundamentale; sic si, quae de Christo in evangelio traduntur, vera non sunt, actum est de religione christiana (cogita v. g. de resurrectione et de aliis miraculis Christi!) — His cohaeret, quod „Deus, qui scientiam naturalem hominibus tradere noluit, multa tamen facta historica directe revelavit et hominibus credenda proposuit; unde in ipso symbolo apostolico quorundam factorum professio facienda est: Credo in Jesum Christum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in caelum" (Pesch *n. 514).*

Imo merito tenetur, totam historiam sacram non esse sine relatione ad oeconomiam salutis. „So sollen die meisten Teile des a. T. dem auserwählten Volke in stets neuen geschichtlichen Bildern seine besondere Berufung und spezielle Führung und Vorsehung vor Augen halten, durch die Jahve der Herr es leitet und rettet und vor allen Feinden behütet und auf sein endliches Ziel die Erweckung des Messias aus der Mitte seiner Brüder, vorbereitet . . So stehen die historischen Berichte der Bibel, im Unterschied von den naturwissenschaftlichen Angaben, überall im engsten Zusammenhang mit der Geschichte der Offenbarung; sie fordert daher auch gebieterisch eine andere Beurteilung, als ihr in den gelegentlichen naturwissenschaftlichen Bemerkungen und Angaben zuteil wird" (Fonck *o. c. p. 187);* cf. Delattre *le critérium à l'usage de la nouvelle exégèse biblique p. 35 sqq.*

d) Rem comprehendit Benedictus XV *l. c.* pergens: „Quae est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur, quae ‚sensibiliter apparent' ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum contra lex historiae praecipua haec sit, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere? Recepta semel istorum opinione, quo pacto incolumis consistat veritas illa, ab omni falso immunis, narrationis sacrae,

quam decessor noster (Leo XIII) in toto litterarum suarum contextu retinendam esse declarat?"

Apparet igitur ingens discrimen in dijudicandis dictis historicis et enuntiationibus ordinis physici; unde illud ‚Juvabit transferri' in sensu adversariorum male adhibetur.

§ 2. Ostenditur absoluta s. historiae veritas.

Hucusque potius negative de veritate sacrae historiae egimus negantes ad eam simpliciter transferri posse ea, quae de enuntiationibus ordinis physici merito teneantur. Jam positive ostendemus sacram historiam, in omnibus, quae tanquam historice facta profert, omnino veracem et fide dignissimam profitendam esse.

Qua in re praenotandum est: 1. Audivimus jam, quod sicut parabolae, allegoriae, ita et alia hujusmodi enarrandi genera, relationibus historicis per se similia, objectum inspirationis esse possunt. Statim aliquis concludere potest: ergo etiam narrationes populares vel et epicae seu romanenses per inspirationem fini revelationis divinae subjici poterunt. Reapse per ipsam naturam et notionem sacrae inspirationis hoc alterum non magis excluditur quam priora genera dicendi, supposito semper quod intentio fallax auctoris et suspicio mendacitatis et specialis quaedam indecentia efficaciter removeri potest.[1])

Quare in argumentatione nostra ex ipsa inspirationis notione procedere vix possumus, arguentes v. g.: Inspiratio plenissimam veritatem exigit; atqui etiam sacra historia inspirata, ergo vera quoque omnino dicenda est. Etenim statim aliquis exceperit: negandum esse suppositum, historiam, quae in s. Scriptura contineatur, in genere historiae proprie dictae inveniri.

2. Extat autem via duplex, qua ad propositum nobis finem pertingere possumus. Possumus ostendere sacros historiographos genuinam et proprie dictam historiam in operibus suis intendisse et tradidisse; quo probato, eandem historice veram esse immediate sequitur. Possumus autem etiam directe ostendere ex fontibus revelationis, sacram historiam in omnibus et singulis suis assertis et enuntiationibus sensu historico et obvio intellectis summa veritate frui; unde iterum, quidquid est de distinctione generum litterariorum, historia sacra absolute vera

[1]) Cf. tamen L. Hugo *kathol. Exegese unter falscher Flagge v. 29 sqq.*

sit opportet. Hanc alteram viam in praesenti articulo ineamus; alteram postea in *art. sequente* ingrediemur.

I. Sacram historiam omnino veram esse, probatur ex s. Scriptura.

I. *Res probatur.* — 1. *Materia argumenti.* Huc referas inprimis modum, quo et Christus et apostoli et alii jam antiquitus sacri scriptores facta per Scripturam narrata allegant et ad argumentationem adhibent. Audiamus pauca, quoniam non est necessarium, ut in re evidenti abundemus.

a) Christus arguens veritatem resurrectionis coram ipsis eruditis inter judaeos provocat ad id, quod narratur *Exod 3*, et de hoc dicit: „De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob?“ *(Mtth. 22, 32);* cf. etiam *Mtth. 23, 35; 24, 37.* — Multa simul ex sacra historia allegat invehens in nazaretanos hisce verbis: „In veritate dico vobis, multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est caelum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra; et ad nullam earum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae ad mulierem viduam; et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman syrus“ *(Lc. 4, 25).* — Eundem in modum allegat, quod narratum est de Davide, „quomodo cum ipse esurisset et qui cum eo erant, intraverit in domum Dei et panes propositionis sumpserit et manducaverit et dederit his, qui cum ipso erant . .“ *(Lc. 6, 3 sqq);* similiter inducit Jonam, „qui in ventre ceti fuerit tribus diebus et tribus noctibus“, laudat ninivitas, „qui poenitentiam egerint in praedicatione Jonae“, provocat ad reginam Austri, quae „a finibus terrae venerit audire sapientiam Salomonis“ *(Mt. 12, 40 sqq).* Cf. *Jo 8, 31. 59.*

b) Quemadmodum Christus, ita et discipuli ejus hanc sacram tractabant historiam, quibus Ipse aperuerat sensum, ut intelligerent Scripturas *(Lc. 24, 45).*

Auctor *ep. ad Hebraeos* integro capite undecimo „nubem“ adducit testimoniorum historicorum: „Fide — ita incipit cum ipso primo capite Genesis *(1, 3)* — intellegimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent; fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo . . . Fide Henoch translatus est, ne videret mortem; et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus; ante translationem autem testimonium habuit placuisse Deo . . Fide Noe responso accepto de iis,

quae adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suae . . Fide, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in haereditatem; et exiit nesciens, quo iret; fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, coheredibus repromissionis ejusdem . . Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam praeter tempus aetatis . . propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tanquam sidera caeli in multitudinem et sicut arena, quae est ad oram maris innumerabilis . . Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: quia in Isaac vocabitur semen . . Fide et de futuris benedixit Isaac, Jacob et Esau. Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit et adoravit fastigium virgae ejus. Fide Joseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est et de ossibus suis mandavit. Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus a parentibus suis eo, quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis . . Fide reliquit Aegyptum non veritus animositatem regis; invisibilem enim tamquam videns sustinuit; fide celebravit pascha et sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. Fide transierunt mare rubrum tamquam per aridam terram; quod experti aegyptii devorati sunt. Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel et prophetis". Integram sic fere sacram historiam hic auctor ut principium argumentationis allegat.

Similiter autem et alias Paulus necnon et Petrus et Jacobus et Judas partes et particulas historiae sacrae proferunt. Ita v. g. Petrus *2 Petr. 2* ad ea provocat, quae de diluvio et de Noe enarrantur, pro exemplo adducit „civitates Sodomorum et Gomorrhaeorum, quas in cinerem redigens eversione damnavit Deus", qui „et justum Loth oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit; deterret a via Balaam et Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suae vesaniae: subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetae insipientiam". Et ita omnes fere apostolorum epistolae refertae sunt ejusmodi allegationibus ex sacra historia, ut longum sit omnia hic enarrare. Cf. Egger *p. 368 sqq;* citantur ibi *1 Petr 3, 19 sqq; Jac 2, 23. 25; Jud v. 5. 7. 9. 11; 1 Cor 10.*

c) Idem tandem modus jam in scriptis veteris testamenti per omnes fere libros inde ab ipsa Genesi tenetur, ubi v. g. *26, 3 sqq* legitur: „Benedicentur in semine tuo [verba diriguntur ad

Isaac] omnes gentes terrae, eo quod obedierit Abraham voci meae . .“ In libro Exodi autem ea, quae praecesserant, expresse confirmantur: „Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta, quae scripta sunt, coram Pharaone“; cf. et *Num 14, 13; 20, 14 sqq; Dt. 1, 6—3, 3; 4, 3, 32 sqq; 9; 10; 11 etc.* — Ex libris posterioribus autem inprimis legas *Eccli 44; Sap 10 sqq;* ex psalmis *Ps 77; 82; 104; 105; 134.*

d) Speciatim autem de libris Mosis eorumque antiquissimis partibus merito animadvertit Méchinau *(l'historicité des trois premiers chapitres de la Génèse 71):* „Consideremus exempli gratia prima Geneseos capita tria, quorum indoles allegorica vel legendaria, criticis nostris evidentior appareat. Tuto dixeris, ne unam quidem circumstantiam inveniri, ne ex minimis quidem, quae ab uno vel altero sacro auctore posteriore sive veteris sive novi testamenti non ut res realis allegetur“. Cf. etiam periodicum *Scuola cattolica sett. 1911 p. 26.*

2. Ex his omnibus fructum jam colligamus! Facta nempe singula sacrae historiae non solum graviora sed et minutissima, non solum quae communiter in variis fatis populorum accidunt, sed etiam maxime stupenda et miranda, sine ullo discrimine, semper tamen prorsus affirmate tamquam fontes et principia argumentationis in rebus gravissimis ipsius fidei adhibentur, prorsus in eundem modum, quo et enuntiationes religiosae et theoreticae sacrae Scripturae allegantur; adhibentur res et facta, quae ex sacra historia certis personis acciderunt, „tanquam testium, qui adhuc loquuntur“ *(Hebr 11, 4),* quin unquam vel umbra dubii appareat de veritate eorum.[1])

---

[1]) Diximus: *„maxime stupenda absque ullo discrimine cum rebus ordinariis allegari“.* Qua in re notat Egger *n. 254:* „Die Zitationsweise des Apostels ist zwar verschieden, aber immer derartig, daß klar ersichtlich ist, er rede von Tatsachen. Bald spielt er nur an, bald bringt er den Kern der Tatsache, bald auch einzelne und oft sehr kleinliche Umstände: wenn er z. B. sagt, daß die Mauern von Jericho eingestürzt seien, nachdem die Israeliten siebenmal um dieselben herumgegangen; daß Jacob bei seinem letzten Segen gegen die Spitze des Stabes gewendet angebetet habe; daß das Volk sich gesetzt habe zu essen und zu trinken und zu tanzen; daß an einem Tage zur Strafe der Hurerei 23.000 umgekommen seien usw. In bezug auf die Glaubwürdigkeit des Erzählten jedoch finden wir nirgends einen Unterschied: alles wird mit gleicher Bestimmtheit und Sicherheit zitiert, die Umstände nicht minder als der Kern. Die wunderbarsten und an sich

Atqui haec omnia summam persuasionem de veritate eorum, quae historica allegantur, arguunt; secus eodem jure dubitaveris de veritate eorum, quae ex assertis religiosis et doctrinalibus Scripturae eodem prorsus modo allegantur; neque testes invocati defuncti adhuc loquuntur, si nunquam vel nuspiam inter vivos extiterint. „Was hätte z. B. die Berufung (Christi) auf David zu Nobe oder auf Jonas im Bauche des Walfisches für einen Sinn gehabt, wenn nicht Christus sowohl als seine Zuhörer an die historische Wahrheit dieser Tatsachen geglaubt hätten?" (Egger *p. 375).*

Continua *igitur* serie sacri sibi succedentes testes inde ab ipsis temporibus Mosis usque ad tempora Christi Ejusque discipulorum librorum antecedentium historicorum intemeratam et sacrosanctam quoad omnia et singula veritatem testificantur. — Accedit, quod unus vel alter istorum inspiratorum historiographorum etiam expressis verbis accuratam et perfectam narrationum suarum veritatem et objectivam earundem realitatem asseruerunt, ut Lucas et Joannes; cf. *Lc 1, 1 sqq; Jo 19, 35; 20, 31; 21, 24; 1 Jo 1, 1 sqq.*

II. *Res confirmatur.* — Novum quoddam momentum haec omnia habent inde, quod ejusmodi historicae allegationes saepissime fiunt ad singularem et paternam Dei providentiam erga populum suum illustrandam et filiis istius

unglaublichsten biblischen Ereignisse führt der Apostel mit kindlicher Naivität an, ohne die leiseste Andeutung eines Zweifels an ihrem historischen Werte. Er will offenbar nur Tatsachen reden lassen. Personen und Ereignisse sind ihm nicht bloße Bilder, die man erdichtet; sondern Vorbilder, die wirklich gewesen: „. . Murret nicht, wie einige von ihnen murrten und durch den Würgengel umkamen . .' ‚Es sind Zeugen, die noch sprechen'."

Diximus, *„ejusmodi allegationes fieri ad res gravissimas arguendas"*. Ita Petrus v. g. *2 c. 2, 5;* de qua re idem auctor *p. 368:* „Der Apostelfürst beruft sich hier auf die biblische Erzählung von der Sündflut, und zwar nicht bloß der Substanz oder dem Kern nach, sondern auch in verschiedenen Umständen . . . An diese Tatsachen knüpft er verschiedene dogmatische Lehren von der Strafgerechtigkeit Gottes und seiner Langmut, von der Taufe als der geistigen Arche zur Rettung der Seelen. Allen diesen Dogmen dient in der Argumentation des Apostels die Sündflut zur Unterlage; mit der Leugnung ihrer Tatsächlichkeit würde der Beweis selbst hinfällig."

populi inculcandam; de qua re inde a libris Deuteronomii usque ad psalmistam et ad ultimum veteris testamenti historicum librum amplissima et frequentissima adsunt sacra testimonia. *Atqui* ejusmodi procedendi modus sensu caret, si historica earum rerum veritas non omnino admittitur, quibus providentia divina illustrari et exhiberi praesumitur.

Ad illustrandam majorem relegas v. g. *Exod 19, 2:* „Et dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem; ego enim induravi cor ejus et servorum illius, ut faciam signa mea haec in eo; et narres in auribus filii tui et nepotum tuorum, quoties contriverim aegyptios et signa mea fecerim in eis; et sciatis, quia ego Dominus". — Maxime consideraveris, quae dicuntur *Dt 31, 24 sqq:* „Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine atque complevit, praecepit levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens: Tollite librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium"; coll. *32, 6 sqq.* – Hac in re relegas tam multos psalmos, qui integri in hoc argumento versantur v. g. *77; 104 sq; 134.*

Merito Egger animadvertit: „In der Tat gibt es kaum ein alttestamentliches Buch, welches nicht auf das Eingreifen Gottes in der Weltgeschichte überhaupt, besonders aber in der wunderbaren Auserwählung und Leitung des Volkes Israel Bezug nimmt" *(o. c. p. 375).*

III. *Exceptiones:* a) Persaepe sacri Scriptores facta et gesta, quae allegant, in sensum transferunt spiritualem; ita s. Paulus nubem, quae Israelitis antegressa est, manna, rupem, unde Moses aquam eduxerat, et alia multa sensu allegat minime historico. Ergo nihil de veritate affirmat eorum historica.

Cum jam de hac re locuti simus supra, hic sufficiat dictum illud s. Augustini, quod extat *de civ. Dei XIII, 21:* „Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi; tamquam ideo non fuerint duae mulieres Agar et Sara, et ex eis duo filii Abrahae, unus de ancilla, alius de libera, quia duo testamenta in eis figurata dicit apostolus; aut ideo de nulla petra Moyse percutiente aqua defluxerit, quia potest illic figurata significatione etiam Christus intelligi, eodem apostolo dicente: ‚petra autem erat Christus'". — Ceteroquin historicas allegationes frequentius inferunt, quae ejusmodi spiritualem transfigurationem non admittunt.

b) Excipiunt etiam: citationes ejusmodi ex sacra historia per Christum depromptae argumenta erant ad hominem, quibus Christus opinioni vulgari se accommodavit; ideo ex illis sacrae histo-

riae peculiarem valorem non esse tribuendum. — Audivimus jam, quid de ejusmodi accommodationibus dicendum sit; cf. supra *p. 191.* „Ein Rationalist — ita Egger *p. 375* — kann eine solche Hypothese aufstellen, ein Katholik aber nicht. Wenn man den Herrn schon einmal solcher Akkommodation für fähig hält, so ist es um die absolute Glaubwürdigkeit seiner Worte ohnedies schon geschehen. Welche Lehre Christi könnte man nicht illusorisch machen durch die Hypothese, er habe sich nur an eine vielleicht irrige Volksmeinung akkommodiert?"

Conclusio: Expressa igitur professione et modo, quo sacri auctores relationes historicas Scripturae tractabant, absolutam totius s. historiae veritatem non minus manifeste exhibent quam veritatem religiosae ejus doctrinae. Omnia enim et singula, magna et parva, ordinaria et extraordinaria, fundamentalia et quae videri possint accidentalia, omnia absque discrimine ex sacra historia in sua argumentatione coram judaeis et christianis adhibent. Neque igitur dubitant, quin ea de s. Scripturae auctoritate et veritate participent. — Nihilominus jure merito Tertullianus hac in re hunc in modum disserit: „Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut par incertae"; sed „ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cujus sunt Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum" *(de Praesc. c. 19).* Quaestionem igitur nostram ad traditionem revocat Tertullianus; unde et nos exponamus argumentum jam alterum, multo luculentius et manifestius.

II. S. historiae veritas ostenditur ex traditione.

1. Praeprimis ss. patres et scriptores ecclesiastici rem nostram magis implicite tenent, eo quod et ipsi facta s. Scripturae historica prorsus in eumdem modum, quo dicta ejusdem theoretica et religiosa, allegant iisque argumenta in rebus fidei gravissimis conficiunt.

Pauca hic exhibebimus exempla, cum opera ss. patrum iis abundent et vel obiter eorundem opera inspicienti facillime occurrant. „Dicit Scriptura — en modus solemnis, quo Barnabas auctoritatem Scripturae propriam pro rei historicae veritate induxit! — ‚et fuit Moyses in monte jejunans quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et accepit testamentum a Domino, tabulas lapideas scriptas manu Dei etc.'" *(4, 7 et alibi saepe v. g. 6, 12; 12;*

13, 2 sqq). Rationem autem hujus modi argumentationis idem auctor reddidit *1, 7* hisce verbis: „propalavit *enim* Dominus per prophetas, quae praeterierunt, et futurorum dedit nobis initia scire"; cf. etiam *5, 3.*

Clemens rom. *porro* in sua *ep. ad corinthios* integram fere s. Scripturae historiam percurrit, „percurramus, inquiens, omnes mundi aetates", eo fine, ut „discamus, quod in omni generatione volentibus ad ipsum converti Dominus poenitentiae locum concesserit: Noe poenitentiae praeco fuit et, qui ei obtemperarunt, salvati sunt; Jonas ninivitis excidium praedicavit, illi autem peccatorum poenitentiam agentes precibus Deum placarunt et salutem consecuti sunt, licet alieni a Deo essent" *(7, 5).* Non vacat omnia adferre; necesse esset integram fere epistolam inde a. c. 4 relegere; antequam autem enarrationem suam inchoat, et ipse praemittit verba illa gravissima: Γέγραπται γὰρ οὕτως — sic enim scriptum est" *(4, 1),* quibus omnia, quae deinceps enarrantur auctoritate, sed et veritate Scripturae communiuntur.

Quam multa autem et quam gravia dogmata s. Irenaeus ex factis historiae biblicae, sub auctoritate ejusdem Scripturae allegatis, probat! Et ipse ita procedere minime potuit, nisi prius opinioni de intemerata hujus historiae veritate assensisset, quam et expressis hisce verbis testificatus est: „Spiritus Dei ab initio in universis dispositionibus Dei adfuit hominibus: et futura annuntiavit, et praesentia ostendit, et praeterita enarrat" *(VI 33, 1).*

Unum sit nobis in re manifesta exemplum! Audiamus, qua ratione ipsum resurrectionis dogma ex factis biblicis ostendere praesumpserit: „Quoniam autem — ita *V 5* — multo tempore perseverant corpora, in quantum placuit Deo bene habere: Legant Scripturas, et invenient eos, qui ante nos fuerunt, septingentos et octingentos et nongentos annos supergressos; et consequebantur corpora ipsorum longinquitatem dierum, et participabant vitam, in quantum ea Deus vivere volebat. Quid autem de illis dicamus? Quandoquidem Enoch placens Deo, in quo placuit corpore, translatus est, translationem justorum praemonstrans; et Helias, sicut erat in plasmatis substantia, assumptus est, assumptionem patrum [gr: πνευματικῶν] prophetans. Et nihil impedivit eos corpus in translatione et assumptione eorum. Per illas enim manus, per quas in initio plasmati sunt, per ipsas assumptionem et translationem acceperunt; assuetae enim erant in Adam manus Dei coaptare et tenere et bajulare suum plasma, et ferre et ponere, ubi ipsae vellent. Ubi ergo primus positus est homo? scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit: ‚et plantavit Deus paradisum in Eden contra orientem et posuit ibi hominem, quem plasmavit'; et inde projectus est in hunc mundum non obediens . .

Si autem quis impossibile aestimet tantis temporibus permanere homines, et Heliam non in carne assumptum, consumptam autem carnem ipsius in igneo curru: intendat, quoniam Jonas quidem in profundum projectus est, et in ventre ceti absorptus salvus iterum exsputus est terrae jussu Dei. Ananias etiam et Azarias et Misael missi in caminum ignis septuplum exardentem, neque nociti sunt aliquid neque odor ignis inventus est in eis . . Quemadmodum igitur his qui nunc sunt hominibus, ignorantibus dispositionem Dei, incredibile et impossibile videtur, tantos annos posse aliquem hominem vivere, et [tamen] vixerunt, qui ante nos fuerunt, et vivunt, qui translati sunt, ad exemplum futurae longitudinis dierum, et de ventre ceti et de camino ignis salvos exiisse, et tamen exierunt educti velut manu Dei ad ostensionem virtutis ejus: sic et nunc, quamvis quidem ignorantes virtutem et promissionem Dei contradicant suae saluti, impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare, non tamen incredulitas talium evacuavit fidem Dei". — Ceteroquin cf. de hac re *ZfkTh XXX (1906) 57 sqq.*

2. Jam ad explicita sanctorum patrum testimonia, accedamus, paucis etiam in hac re contenti!

a) „Nec illud vos decet ignorare — ita graecos alloquitur (Ps.-) Justinus in *cohort. ad. gr.* — nihil a graecis ante olympiades accurate scriptum (ἀκριβὲς [-ῶς] ἱστόρηται) neque ullum esse vetus monumentum, quod rem a graecis aut barbaris gestam perhibeat: sola ante illud tempus extabat prophetae Moysis historia, quam divino afflatu (ἐκ τῆς θείας ἐπιπνοίας) litteris hebraeorum commendavit." Haec igitur Mosis historia, quae in *c. 9* etiam „divina apud nos historia" vocatur, sola accurata declaratur eo, quod et ipsa qua talis ex divina inspiratione procedit; unde et factum est, ut, „velut uno ore et lingua una (ἐκ ἑνὸς στόματος καὶ μιᾶς γλώττης) tum de Deo et mundi origine, tum de hominis creatione et animae humanae immortalitate . . . tum de omnibus rebus, quarum necessaria nobis cognitio est, summa et secum ipsis constantia et inter se consensione nos docuerint" *(c. 8)*.

Cum qua doctrina prorsus conspirat ea, quam Justinus *dial. c. Tryph. c. 7* exponit: „Extitere longe ab hoc tempore viri quidam . . beati et justi et Deo cari, qui Spiritu Sancto afflante locuti sunt . . Hi verum soli et viderunt et hominibus nuntiarunt, neminem metuentes neminem reveriti nec gloriae cupiditate victi,

sed ea tantum praedicantes, quae audierant et viderant Spiritu Sancto repleti; extant adhuc eorum scripta, quae si quis legat, plurimum inde et ad principiorum (περὶ ἀρχῶν) et ad finis et ad eorum, quae philosophus scire debet, cognitionem adipisci poterit, fidem illis habens." — Dubitaveris fors, an huc pertineat historia sacra qua talis et in omnibus rebus, quae enarret: dein attendas, quomodo „principiorum et finis" cognitionem connumeret et opponat ad ea „quae philosophus scire debet", et ulterius observes, qua ratione Justinus eandem historiam in argumentatione proferat, alloquens Tryphonem ejusque compartes *c. 58:* „Scripturas vobis referam; referens igitur per Moysen divinus sermo ea, quae Jacob Abrahae nepotem spectant, ita loquitur: ‚et factum est, quando concipiebant oves in utero accipientes, et vidi eas oculis in sonmis etc.'"; — allegatur autem tota ista historia ex *Gen. 31, 10 sqq.* Cf. *ZfkTh l. c. p. 65 sq.*

b) „Filius itaque est — ita Tertullianus *contra Praxeam 16* — qui ab initio judicavit, turrim superbissimam elidens linguasque dispertiens, orbem totum aquarum violentia puniens, pluens super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphurem: Dominus a Domino. Ipse enim et ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usque ad patriarchas et prophetas, in visione, in somno, in speculo, in aenigmate ordinem suum praestruens ab initio semper, quem erat persecuturus in finem . . . Propter nos enim sicut scripta sunt, ita et gesta sunt, in quos aevorum fines decurrerunt". — De historicis factis alio loco: „Haec autem, inquit, aut nega scripta, aut — quis es, ut non putes accipienda, quemadmodum scripta sunt, maxime quae non in allegoriis et parabolis, sed in definitionibus certis et simplicibus habent sensum" *(ib. 13).* — Brevissime rem comprehendit *de carne Christi 3* dicens: „non potest non fuisse, quod scriptum est".

c) Non minus clare sententiam suam aperit s. Hippolytus sive auctor *philosophumenorum X 33,* ubi de prophetis i. e. hagiographis veteris testamenti haec profert: „Praeterita quidem dicentes in memoriam eorum reducebant genus humanum; praesentia autem mon-

strantes, ne incuriosi essent, suadebant; futura autem praedicentes, singulos nostrum oculis cernentes ea, quae multo tempore ante praedicta sunt, perterritos reddebant expectantes et futura. Talis nostra est fides, o homines universi: qui non vanis verbis fidem habemus, . . sed vi divina verbis dictis fidem non denegamus" *(M PG 16, 3452);* „οὐδὲν γὰρ ὅλως ψεύδεται ἡ γραφὴ οὐδὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πλανᾷ τοὺς δούλους αὐτοῦ τοὺς προφήτας" *(in Dan IV 6;* ed. Berol. 199).

d) Haud aliter Clemens alex. disserit, qui inter alia multa, de quibus cf. *ZfkTh l. c. 94 sqq:* „Moyses, inquit, erat theologus et propheta; genus ejus et res gestas et vitam ipsae Scripturae, quae [utique in hisce rebus historicis] sunt fide dignae, praedicant" *(Strom I 22; M 8, 895).* Et magis in universum *Strom VI 9 (M 9, 299):* „Quae sunt autem apud nos oracula, et de iis, quae sunt, respondent; et de futuris, ut erunt, et de iis, quae facta sunt, ut fuerunt". „Qui divinis ergo Scripturis firmo judicio credit, demonstrationem accipit, cui contradici nequit (τὴν κρίσιν βεβαίαν ἔχων), Dei scilicet, qui Scripturas nobis dedit, vocem *(ib. II 2; M 8, 941 A).* Hunc in modum „gnosticus per Scripturam novit antiqua et conjicit futura" *(ib. VI 11; M 9, 313).*

Consentit prorsus parens quoque ipsius historiae ecclesiasticae Eusebius ille caes: „Post bonitatem, inquiens, amissam, primam humanarum stirpium evolvit historiam Moyses, quarum patriarcham praedicat Adamum . . Aevum igitur, quo hic paradiso pulsus vitam protelavit, divinus per Moysem Spiritus edisserit, tum recta serie posterorum ejus successionem enumerat itemque tempora pro singulorum aetatibus; prorsus ut jam inde ab Adamo contexere nobis liceat atque ordinare hebraeorum chronologiam" *(Chronicorum I 16, 3).*

e) Cum quadam indignatione vero Julius africanus reprehendit eos, qui putabant in genealogiis evangeliorum ideo factam esse „enumerationem et permixtionem nominum sacerdotalium, ut ostenderetur merito Christus rex simul atque sacerdos". „Caveamus, inquit, a minuto hujusmodi religionis artificio, ut nominum permutatione Christi regnum ac sacerdotium comprobare velimus". Praeterquam quod frustra componeretur falsitas ejusmodi: quod majus est, „evangelistae mentiti essent, dum non veritatem assererent, sed simulatam laudem . . neque praevalebit hujusmodi sermo in Christi ecclesia contra accuratam veritatem, nempe ut mendacium consarcinetur ad

Christi laudem atque praeconium . . Merito timeat, quisquis falso sermone veritatem vult stabilire, non veram sententiam concinnans; nam si generationes abluderent nihilque germani seminis ad Josephum conferretur, sed ea res ad fulcimen tantummodo nascituri dicta esset, nempe quod rex atque sacerdos foret is, qui venturus erat, deficiente probatione totoque orationis ornatu in futilem hymnum desinente, nullam Deo laudem hinc accedere exploratum fit, quia totum mendacium est, sed damnationem potius dicenti conflari, quia, quod nihil est, aliquid esse jactavit." Et quamvis nullam omnino explanationem inveniremus, qua difficultatem ibi occurrentem dissolveremus, principium inconcussum tenendum erit: „τὸ μέντοι εὐαγγέλιον πάντως ἀληθεύει" *(M PG 10, 51 sqq)*. Ceteroquin cf. *ZfkTh XXX (1906) 104 sq.*

3. Manifestissime fides ss. patrum se prodidit in controversiis contra Origenem habitis, qui hanc communem ecclesiae fidem de veritate historiae biblicae ex parte saltem in discrimen vocavit.

a) In hac re statim a limine valde attendendum est ad statum quaestionis seu ad id, quod Origenes proprie denegavit; neque enim veritatem sacrae historiae ex integro addubitavit. Sententiam ipse suam hisce verbis accuratius exposuit: „Ne quis autem suspicetur nos hoc dicere, quia nullam historiam Scripturae factam esse sentiamus, quoniam aliqua ex his non facta esse suspicamur" *(de princ. IV 19)*.

Haec *„aliqua non-facta"* porro non ita multa esse, ex aliis ejusdem scriptoris verbis merito concluditur; *contra Celsum* enim et haec pronuntiat: „Moyses non ut praestigiator, sed ut vir pius et rerum omnium Deo devotus et divini Spiritus particeps judaeis leges tulit, quas illi dictavit Deus, et quae acciderant perscripsit, ut vere gesta fuerant" *(III 5; coll. et 39)*. Et postquam in *comm. in Philem.* multa facta ex singulis veteris testamenti libris perstrinxit, discursum suum his concludit: „Oportet unumquemque fidelium credere omnibus quoque, quae scripta sunt de Ezechia, quod in diebus ejus retrorsum repedaverit umbra solis. Est ergo fides nostra primo quidem omnium in Dominum nostrum Jesum Christum, consequenter vero etiam in omnes sanctos patriarchas vel prophetas vel apostolos Christi eo ordine, quo superius diximus" *(ex apol. Pamphili c. 6; M 17, 589 sq.)* — Quibus verbis nonnulli etiam id ostendere conati sunt, quod Origenes veritatem historiae prorsus intemeratam retinuerit; quamvis in cassum.

Retinendum enim est, Origenem veritatem sacrae historiae in aliquibus denegasse, et ideo litteram in allegoriam transtulisse; haec autem non ita multa esse, pari jure tenetur.

b) Quamvis autem Origenes in rebus paucissimis a litterali et historico sensu recederet sacramque historiam proderet, nihilominus omnium exinde in ecclesia pastorum in se convocavit contentionem.

De hac re jam ipse non semel testatur; ita *hom. 1 in Levit. c. 1:* „Si secundum quosdam etiam nostrorum simplicem sequar intellectum et absque ulla, ut ipsi ridere nos solent, stropha verbi et allegoriae nubilo vocem legislatoris excipiam, ego ecclesiasticus, sub fide Christi vivens et in medio ecclesiae positus, ad sacrificandum vitulos et agnos et ad offerendam similam cum thure et oleo divini praecepti auctoritate compellor. Hoc enim agunt, qui inservire nos historiae et servare legis litteram cogunt. Sed tempus est nos adversus improbos presbyteros uti s. Susannae vocibus . ., dicentes: ‚angustiae mihi undique'; si enim hoc consensero vobis, ut legis litteram sequar, ‚mors mihi erit'; si autem non consensero, ‚non effugiam manus vestras'; sed melius est me sine ullo gestu incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. Incidamus ergo et nos, si ita necesse est, in obtrectationes vestras, tantum ut veritatem verbi Dei sub litterae tegmine coopertam ad Christum jam Dominum conversa cognoscat ecclesia". Cf. etiam *hom. in Gen. 13, 3.*

α) Ex agmine autem eorum, qui sententiam Origenis impugnabant et hinc inde acerrimis vocibus condemnabant, pauca tantum testimonia seligemus.[1]) „Neque enim — ita Methodius *de resurrectione 2* — certos homines ferre possum, qui consulto nugantur ac Scripturas impudentissime detorquent, quo suum illis de resurrectione sine carne dogma procedat: qui ideo et ossa quaedam intelligibilia et carnes similiter intelligibiles commenti sunt, ac suis allegoriis alias aliter sursum deorsumque sese convertunt". Et alibi in *convivio decem virginum* Thaliam facit loquentem: „Periculo non vacat subjecti textus verba omnino spernere, praesertim Geneseos, ubi de condenda rerum hujus universitatis mole ac statuenda immobilia feruntur Dei oracula ac decreta" *(or. III 2; M 18, 63).*

[1]) Largiora invenies collecta *ZfkTh. XXX (1906) p. 431 sqq; XXXI (1907) 229 sqq.*

β) Multo vehementius in Adamantium invehit Eustathius antioch. in l. *de Engastrimytho:* „Origenes non horret mythos appellare, quae Deus creata perfecisse traditur fidissimusque ejus servus Moyses scriptis consignavit. . . Divinis oraculis a Moyse traditis mythorum nomine insignitis sensum invertit litteraeque traditioni non vult, ut quis animum intendat. Nonne item puteos ab Abraham effossos aliaque ad eos pertinentia allegoriis exponit tantaque sermonum copia in immensum protracta omne de illis negotium disterminat in aliam sententiam translatum, licet ad haec usque tempora in regione illa oculis adhuc conspiciantur? Nonne Isaac et Rebeccae res gestas immutavit, inaures et armillas sermones esse aureos dicens, et universum denique argumentum per vim distortum, ad ea quae animo cernuntur et ratione intelliguntur traductum, cavillationibus deturpavit? etc. . ." „Quid inde opus est — ita rem suam finit — ultra progredi? Omnia, ut verbo expediam, allegoriis ex nominibus desumptis exponit, rerum argumenta de medio tollit — ἀναιρεῖ τὰς τῶν πραγμάτων ὑποθέσεις" *(21 sq).*

γ) Acerrime demum Origenem aversantur tres in pugna sodales: Epiphanius *nimirum*, Theophilus, Hieronymus: „Plerique — ita Epiphanius *Ancoratus 54* — de paradiso allegorice disputant atque inter caeteros furiosus Origenes adumbratam nescio quam speciem pro veritate in mundum invexit . . . Quodsi nusquam est in terra paradisus neque vera sunt, quae in Genesi continentur, sed allegorice dicuntur, nihil deinceps consequens ac veritati consentaneum erit, sed ad allegoriam universa transferuntur . . . Fidelium porro est Scripturarum veritatem non infitiari, sed ingenue profiteri, quemadmodum infidelium est repudiare gratiam". Et secundum principium istud totam historiam creationis et propagationis generis humani percurrit, ut in fine demum sub *c. 63* declaret: „Ita quippe ab initio ad hanc usque diem sacrosancta sensit ecclesia . . . Desine igitur, Origenes et vos Origenis discipuli; veriores quippe vobis omnibus ac praeceptore vestro apostoli sunt et prophetae . . Scriptura ubique vera est et certa". — In sua autem *ad episcopum Joannem epistola* inter alia id maxime Origenem accusat, quod „veritatem historiae allegoriae depravans mendacio infinita verba multiplicaverit" *(M PG 43, 384).*

Simili modo Theophilus alex. in *1 ep. paschali:* „Origenes, inquit, absque ullo divinae vocis testimonio vim facere nititur veritati et extincta lucerna invenire eam" *(n. 10)* et in *altera paschali* eundem interpellat: „Quae illum ratio, quis disputationum ordo perduxit, ut allegoriae umbris et cassis imaginibus Scripturarum tolleret veritatem?" Fideles autem in eadem epistola provocat, ut „cum (Deum regem judaeorum) invenerint jacentem in praesepi, humili videlicet eloquio Scripturarum, offerant ei aurum et thus et myrrham id est fidem probatam et omni veritatis splendore fulgentem" *(c. 19).*

Hieronymus denique, praeterquam quod epistolas et Epiphanii et Theophili in latinam linguam vertens suas fecit et per orbem christianum divulgavit, ex propria quoque persona inter alia multa haec scripsit ad Pammachium et Oceanum: „Congregavi libros Origenis, fateor, et ideo errores non sequor, quia scio universa, quae scripsit. Credite experto; quasi christianus christianis loquor; venenata sunt illius dogmata, aliena a Scripturis Sanctis, vim Scripturis facientia" *(c. 3),* et *in Dan 10, 4* ait: „eorum deliramenta conticescant, qui umbras et imagines in veritate quaerentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut flumina et arbores et paradisum putent allegoriae legibus se debere subruere" *(M PL 25, 554).*

δ) Hisce vero veritatis propugnatoribus integer mox acclamavit orbis christianus, ut Hieronymus jam laetabundus ad Theophilum scribit: „quod totus mundus exultet et in tuis victoriis glorietur erectumque Alexandriae vexillum crucis et adversus haeresim trophaea fulgentia gaudens populorum turba prospectet" *(ep. 86; PL 22, 754),* et iterum: „Vox beatitudinis tuae in toto orbe pertonuit et cunctis Christi ecclesiis laetantibus, diaboli venena siluere; nequaquam amplius antiquus serpens sibilat, sed contortus et evisceratus, in cavernorum tenebris delitescens, solem clarum ferre non sustinet" *(ep. 88; PL 22, 755).* – Similiter triumphat Epiphanius ad Hieronymum scribens: „Quomodo porrectis in altum Moysi manibus vincebat Israel, sic Dominus confortavit famulum suum Theophilum, ut super altare ecclesiae alexandrinae contra Origenem vexillum poneret et impleretur in eo, quod dicitur: scribe signum hoc, quia delebo funditus Origenis haeresim a facie terrae cum ipso Amalech" *(inter epp. Hier. 91; PL 22, 758).*

c) Neque ipsi Origenis amici hac in re ducem eum sequebantur; eum potius benigne interpretantes a labe ista lavare conabantur, ut Pamphilus et Eusebius in apologia pro Origene confecta. Vix unus Gregorius nyssenus ejus sententiam amplecti ausus est; certe non ille „Origenis apertissimus propugnator" Didymus, qui in verba *ps. 21: „Diviserunt sibi vestimenta mea"* haec profert: „Praeter historicum sensum putabis vestimentum Jesu vulgares Scripturarum voces; quisque enim eorum has quidem Scripturas accipit, illas rejicit; sic vero tunica Jesu indivisa non manet. . . . Ecclesia vestimenta non dividit nec sortem mittit super ea: totam enim habet atque induit, stans ad dexteram Jesu sicut regina vestimento deaurato circumdata et distincta *(PG 39, 1282)*.

Inter Origenis propugnatores s. Athanasius quoque connumeratur. Nihilominus et ipse: „In quolibet libro, inquit, videre est prophetias, legislationes et historias; idem namque spiritus est in omnibus et secundum divisionem ejus in singulis factam unusquisque datam sibi gratiam administrat et implet, sive prophetia sit sive legislatio sive historiae commemoratio, sive psalmorum gratia . . Neque refert, sive plus sive minus quis habuerit ejusmodi necessitatis, ut unusquisque teneatur sine defectu proprium perfectumque ministerium implere" *(ep. ad Marcellinum 9 sqq)*. „Absurdum enim fuisset — ita alibi *or. in incarn. Verbi 7* — Deum, veritatis patrem, nostrae utilitatis et conservationis causa mendacem videri".

Eusebius autem Origeni addictissimus, tenens ipsas psalmorum inscriptiones ex inspiratione scriptas esse, ad justificationem tituli psalmi 33 haec habet: „Dicet forte quispiam: cum in historia de Achimelech non feratur, Davidem immutasse vultum suum, lapsu graphico nomen Achimelech pro nomine Anchus positum est; clare enim in historia Anchus dicitur immutasse vultum suum, quando salivae ejus defluebant et quasi tympano pulsabat. At ego audax temerariumque facinus esse arbitror, pronuntiare confidenter divinam Scripturam lapsam esse et tale vitium praeferre, ut pro viro alienigena sacerdos Domini ponatur: cum maxime hebraica lectio et reliqui interpretes omnes Achimelech circumferant. Restat igitur, quandoquidem inscriptio [Psalmi] vera profert, ut exquiramus, quomodo et quando David vultum suum immutavit coram Achimelech".[1])

[1]) De his Origenis amicis sicut et de aliis cf. *ZfkTh. XXX (1906) p. 671 sqq.*

4. Controversiis his contra Origenem compositis consensus idem imperturbatus jam perduravit in ecclesia Christi. Pro quo consensu larga et luculentissima testimonia colligi poterunt ex scriptis Titi bostrensis *adv. manich. III praef. (PG 18, 1210 B),* Basilii M., maxime ex *homiliis in Gen.* et *in Pss.,* Gregorii naz. *or. apolog. 2, 104 (PG 35, 504)* et alibi, Hilarii pict. ex. g. *com. in Matth. 7 (PL 9, 954 B),* Ephremi ex. g. *de Heli. (ed. graeco-latin. III p. 6 D),* Diodori (?) *quaestiones et responsiones ad orthod. (PG 6, 1295),* Theodori mopsuest. ex. g. *com. in Os 1, 3 (PG 66, 130),* Chrysostomi, cujus inter alia multa cf. *hom. 2* et *13 in Gen. (PG 53, 27; 108),* Severiani *or. in mundi creatione 5 et 6,* Isidori pel. *epp. l. I ep. 21 (PG 78, 196),* Theodoreti praeter alia *in Dan c. 5* et *in Os. 1, 4 (PG 82, 1397 B et 1556 A).*

Cyrilli alex. autem inter alia haec sunt verba: „Nullo nobis argumento persuadebitur, Scripturam repudiare et historiam vanitatis condemnare, et rem ipsam inhonestatis coarguere putareque, ut quidam, non ita gestam neque ad nuptias sive matrimonii consuetudinem adscitam esse Gomer, quando et conceptum et partum sacra Scriptura docet, meminitque et nominis filii et patrem ipsius mulierculae nominatim exprimit et insuper ipsam nomine appellat" *(in Os. t. I, 3; PG 71, 258).* — Idem magis in genere declarat *in Is or. IV 7:* „Speculatio spiritalis, quae bona est et utilis et intelligentiae oculos maxime collustrans, cordatissimos quidem efficit . .; qui autem exponere volunt, quae scriptura divinitus inspirata continentur, hi opus omnino habent etiam narratione historiarum, ut undequaque veritas divinos sermones consequatur — χρεία δὴ πάντως καὶ ἀφηγήσεως ἱστοριῶν, ἵνα πανταχόθεν τὸ ἀληθὲς τοῖς θείοις ἕπηται λόγοις" *(PG 70, 192; 198);* „neque enim quidquam mythici in Scriptura continetur; plena autem omnia veritatis" *(contra Jul. III; PG 76, 632 B).*

Eadem semper et ubique resonat doctrina, quam vehementius omnibus inculcat s. Augustinus; qui, ut pauca tantum praelibemus: „Nos vero, inquit, in nostrae religionis historia fulti auctoritate divina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant caetera in saecularibus litteris, quae, seu vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt, quo recte beateque vivamus . . Cui enim melius narranti praeterita credimus quam qui etiam futura praedixit,

quae praesentia jam videmus?" *(De civ. XVIII 40).* — Id exemplo concreto illustretur. quod profert idem s. doctor *QQ. in Gen. q. 72:* „Quidquid horum est et si quid aliud est, quod me forte, ne commemorarem, praeterierit: mentiri tamen Scriptura non potest, quae dicit Rebeccam iisse ad interrogandum Dominum eique Dominum respondisse"; en quomodo regulam suam historiae applicet! Cum summo rigore denique eandem normam inculcat in celeberrima *epistola (28) ad Hieronymum data*, quae et ipsa ex statu quaestionis et controversiae non est sine respectu ad s. historiam.[1])

5. *Sensus theologorum.* — a) His vocibus patrum fideliter respondent, quae legimus apud scholasticos tum recentiores tum vetustiores. Ita, ut pauca celebriorum doctorum seligamus testimonia, s. Thomas principium suum generale: *„Hoc tamen tenendum est, quod quidquid in s. Scriptura continetur, verum est"* — ipse ad historiam trahit, ex. g. *S. th 1 q. 102 a. 1.* Ibi agitur de quaestione, utrum paradisus mere materialiter sit intelligendus ut locus corporeus; et respondet provocando simul ad s. Augustinum: „Respondeo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit de civ. Dei XIII 21: *‚Quae commode dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen et illius historiae fidelissima veritas rerum gestarum narratione commendata credatur'.* Ea enim quae de paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicae proponuntur; in omnibus autem, quae sic Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiae, et desuper spirituales expositiones fabricandae. Est ergo paradisus"; cf. etiam, quae ad 4 exponit. — Ideo inter ea, de quibus fides habenda sit [non utique secundum se, sed in ordine ad alia] s. doctor recenset ex. g. quod Abraham habuit duos filios, quod per tactum ossium Elisaei suscitatus est mortuus et alia hujusmodi" *(2. 2 q. 1 a. 6 ad 1;* cf. etiam *ib. q. 2 a. 5 in corp;* in *II Sent. dist. 12 q. 1 a. 2).*

Prorsus in eundem modum rem nostram asserit s. Bonaventura, qui *in III Sent. dist. 24 a. 1 ad 4:* „Haereticus, inquit,

[1]) De his sicut et de aliis cf. *ZfkTh. XXXV (1911) p. 421 sqq; 601 sqq.*

judicaretur, qui pertinaciter negaret, quae in s. Scriptura dicuntur . . non quia omnia, quae in s. Scriptura continentur, teneant rationem objecti proprii et motivi respectu ipsius fidei, sed quia consequuntur ad ejus objectum proprium. Quia enim s. Scriptura edita est ab ipsa Veritate increata et a Spiritu Sancto, qui contradiceret s. Scripturae, contradiceret ei, cui fides assentit propter se, videlicet ipsi summae veritati". Et ideo et ipse *in I Sent. dist. 27 a. unic. q. 4 concl. 3* eum, qui sciens Scripturam defendat, quod Jacob fuit pater Isaac[i], haereticum declarat, „quoniam contradicit Scripturae sacrae". Cf. et *Breviloquii prooem. § 5; opera ed. ad Claras Aquas V 207.*

Errorem porro eorum, qui opinati sunt sacros auctores in libris canonicis non semper fuisse divino spiritu locutos, impium vocat Melchior Canus; et „ut reliquas Scripturae partes praetereamus", ex ipsa historia hanc affert rationem: „in sacris historiis distingui discernique non posset, quid ex Deo, quid ex homine sit, quid auctor ex revelatione divina, quid contra ex spiritu humano et ingenio proferat; quocirca fluctuaret passim et legentium et audientium fides, dum ignoraret, quonam spiritu, hominis an Dei, unaquaelibet chronicorum sanctorum particula fuisset scripta" *(de loc. theol II 17).* — Hunc porro in sensum etiam intelligas, quae apud Bellarminum legeris *de conc. II 12:* „In Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide sive de moribus, sive affirmatur aliquid generale et toti ecclesiae commune sive aliquid particulare et ad unum tantum hominem pertinens".

b) In hoc statu res permansit, donec saeculo XVI Cajetanus, alter in hac re Origenes, in interpretandis maxime Mosis libris liberiores modos „a torrente doctorum sacrorum alienos" inducere conatus sit. Sed et ipse statim a reliquorum doctorum catholicorum coetu derelictus et impugnatus est, vehementius ab Ambrosio Catharino, ab Alphonso de Castro et Gabriele Pratello, qui cardinalem haereticis accensere non dubitaverint. Mitius, sed omnino strenue eum rejiciebant etiam Melchior Canus et Alexander Natalis. Facultas autem parisiensis, quamvis censuram contra commentarios Cajetani emissam rogatu fratrum praedicatorum non promulgaverit, criticam tamen Ambrosii Catharini suam fecit. Cf. Hurter *Nomencl. litt. II 1208 sq.*

Audiamus, qua ratione rem notet Alphonsus de Castro *adv. haereses l. II (sub voce Adam et Eva) haer. 6:* „Quamvis multa — ita de Cajetano agit — utilia scripsit, quia tamen suo ingenio mul-

tum fidebat, in aliquos lapsus est errores, e quibus unus est iste, quo asserit: Evam non esse formatam ex costa Adae. Quae autem s. Scriptura in libro Genesis de formatione Evae narrat, dicit ille non esse juxta litteram intelligenda; sed juxta mysterium, non quidem per allegoriam, sed per parabolam. Somnus enim ille, quem Dominus misit in Adam, ut inquit, similitudinem gerit defectus virtutis virilis, unde naturaliter producitur homo: quia homo dormiens semihomo est, et similiter principium generans mulierem, semivirile est etc. . . . Haec sunt, quae ille de hac re docet in commentariis super Genesin. An autem propter hunc et alios ejus errores ille sit haereticus censendus an non, aliorum esto judicium; ego siquidem de doctrina in praesentiarum dissero, non de persona . . Haec jam enarrata assertio convincitur esse haeretica, quia aperte oppugnat Scripturam sacram et totius ecclesiae consensum . .“

Canus autem, quamvis mitius de Cajetano judicaverit, eum declarans et appellans etiam patrem, tamen inspecto contra eum torrente patrum et doctorum ita eum alloquitur: „Te in concilium voco, Cajetane, te non in lyceum aut academiam induco, sed in sanctorum patrum pacificum honorandumque conventum; pone tibi ob oculos, rogo te, tam numerosam seriem eruditissimorum virorum, quos in hunc usque diem tot saeculorum consensus approbavit, quos praeter admirabilem sacrarum litterarum peritiam vitae quoque pietas mira commendat. Aspice illos, obsecro te, quodammodo adspicientes te et mansuete ac leniter dicentes tibi: ‚itane nobis omnibus, quos ecclesiae Christus praeceptores dedit, spiritus intelligentiae defuit? itane tu unus adversum nos pugnare audes, et ecclesiam credis unius sensum hominis secuturam, hujus vero sanctissimi gravissimique senatus commune judicium deserturam? utrum plus tribuendum esse judicas tot eruditorum, sanctorum martyrumque praejudiciis, an tuo singulari privatoque judicio? respondebisne ad haec aut omnino hiscere audebis?‘“ *(De loc. theol. VII 3 concl. 5).*

c) Quare non est mirum, si et ipsa auctoritas in ecclesia suprema hanc sententiam suam fecit, qua de re cf., quae supra jam allegavimus ex *lit. encycl.* Benedicti XV *Spiritus Paraclitus n. 10* (supra *p. 337).*

III. Testimonium traditionis ab exceptionibus defenditur.

I. Contra consensum theologorum nubeculam quamdam auctorum dissentientium inter alios profert Bonaccorsi *questioni bibliche (1904) 242 sqq;* recenset ibi Lessium, Bonfrère, Gonet, Frassen, Rich. Simon, Du Pin, Chrisman,

Calmet, Jahn, Haneberg, Janssens, Drey, Aberle, Kuhn, de quibus cf. Pesch *de inspiratione n. 315, 327, 411.*

Quid respondebimus ad ista? — 1. Relegas horum auctorum testimonia, quae etiam in extenso allegat Bonaccorsi, videbis ex ipsis verbis, quod ibi plerumque saltem directe non agitur de veritate seu veracitate Scripturae, sed de ratione inspirationis tantum, in qua exponenda utique a communi doctrina ecclesiae aberrabant, ut et nos supra exposuimus. Quamvis autem rectam inspirationis notionem dereliquerint, de veritate ejusdem Scripturae vix ullus eorum dubitare ausus est; imo nonnulli eorum hanc fidissimam veritatem etiam expresse statuerunt.

Ita v. g. Chrisman in *Regula fidei § 51 prop. 5:* „Facta, inquit, quae nec antea nec in actuali scriptione revelantur, fide divina proprie non sunt credenda . . v. g. illud *2 Tim 4: Lucas est mecum solus,* et alia sexcenta; unde haec non fidem divinam, sed pure catholicam faciunt. — *(Prop. 6.)* Quare tantum abest a dogmate, ut ne quidem certum et necessarium sit, ut singulae veritates et sententiae immediate a Spiritu S. sacris scriptoribus suggerantur aut inspirentur; sufficit namque ea inspiratio, qua Spiritus S. auctores sacros inter scribendum direxit, ne errarent . . ."

2. *Deinde* notandum est, quod isti auctores vel in suo errore promptam invenerunt contradictionem multique eorum censurae et animadversioni ecclesiasticae subjecti sunt.

„So wurden die Werke von Chrisman, Dupin, Simon, Stattler, Jahn auf den Index getan; auch Holden wurde auf das entschiedenste zurückgewiesen; schon d'Argentré brandmarkte Holdens Behauptung, die historischen Teile der hl. Schrift seien nicht Worte Gottes, als einen schweren Irrtum und eine paradoxe, in den katholischen Schulen unerhörte Lehre *(animadvers. in analys. fidei);* selbst die Ansicht von Lessius, daß die nachfolgende göttliche Approbation eines Buches zum Begriffe der Inspiration ausreiche, stieß sofort auf entschiedenen Widerspruch auf Seite der katholischen Schulen" (Egger *p. 341).* — Alii ut Haneberg errorem suum ipsi emendarunt vel emendari curarunt.

3. Nec *denique* ad consensum, ut est infallibile doctrinae ecclesiae criterium, requiritur, ut nemo omnino inveniatur inter doctores, qui contraria seu adversa doceat (id quod inter homines impossibile est), sed quod consensus eorundem doctorum moraliter unanimis sit et ut

talis per sat longum tempus perduraverit. Consensus autem ss. patrum et doctorum per multa saecula prorsus unanimis erat, et per reliquum tempus usque ad nostram aetatem tam conspirans, ut in nulla alia re similem fere inveneris, nisi cum jam agitur de ipsa existentia Dei.

II. Neque ulla notabilis difficultas ex causa illa Galilei desumi potest, ex eventu illo „maxime incommodo" — jenem „unbequemen Ereignisse, das für den Exegeten ungefähr das sein sollte, was für den Christen die Erinnerung an die letzten Dinge ist: eine Mahnung zur Vorsicht und Duldsamkeit" (Peters *die grundsätzliche Stellung p. 37).*

In ista quidem causa theologi s. Officii quaestionem, num sol moveatur terraque stet, ex auctoritate s. Scripturae et sub provocatione ad consensum ss. patrum affirmandam esse censuerunt. Nihilominus causa ista cum nostra quaestione comparari nequit. Etenim

1. *Inprimis* ipsi theologi non ita absolute, sed magis hypothetice (pro statu quaestionis tum vigente) rem considerabant, parati etiam ad rem retractandam, si argumenta meliora pro causa Galilei proferrentur; adducti magis rationibus philosophicis quam theologicis.[1])

Ita jam anno 1661 P. Fabri S. J animadvertit, fautores novi systematis nullum protulisse pro re sua efficax argumentum; merito igitur ecclesiam sensum Scripturae literalem retinere et vindicare, quamdiu contrarium non ostenderetur; argumentis vero seriis semel prolatis, ecclesiam non dubitaturam esse, aptam Scripturae interpretationem permittere. Alia testimonia in hac re invenies apud Ad. Müller *Galileo Galilei II p. 195 sqq;* Egger *l. c. p. 343 sq.* — Ergo non agitur in illa decisione s. Officii de sententia absoluta et definitiva neque de ea, in qua omne dubium excludatur; in nostra autem quaestione semper absolute profertur sententia, modo qui dubium nullum admittat.

2. Quod *deinde* attinet consensum ss. patrum, ad quem theologi in controversia Galilejana etiam provocabant, altera disparitas observari potest. *Neque enim* quaestio ista, num sol stet an moveatur, unquam diserte et directe a

[1]) Cf. Ad. Müller *Galileo Galilei und das kopernikanische Weltsystem (1909) I p. 155.*

patribus agebatur, sed ad summum res ista ex communi modo cogitandi et loquendi praesupponebatur et, ut in ipsa s. Scriptura invenitur, ad usum deducebatur. Veritas autem sacrae historiae directe asserebatur et in controversiam acta defendebatur et tanquam res fidei summi momenti ad depositum revelationis christianae trahebatur.

„Die Untersuchungen, die man über die Lehre der Väter vom Stillstand der Erde anstellte, haben über die Ueberzeugung nicht hinausgeführt, wie sie auch Inhofer, der stärkste exegetische Bekämpfer der Theorie Galileis, nicht anders gewann, als daß die Väter das Stillstehen der Erde doch mehr ‚vorausgesetzt' als behauptet, gelehrt oder verteidigt haben, und daß sie sich hierin lediglich an die ‚gemeinsame Ansicht der Philosophen angeschlossen' hätten" (Grisar *Galileistudien [1882] 255).*

In ista igitur quaestione patres tanquam testes in re fidei considerari nequeunt, cum eorum testimonium ibi neque directe neque indirecte cum doctrina fidei connecteretur — non *directe,* cum non, sicuti in nostro casu, rem fidei tractare vel defendere intenderent; non *indirecte,* quia nullum dogma (puta: dogma inspirationis) tunc ex illis rebus periclitari apprehenderent.[1])

3. Accedit *denique,* quod in quaestione nostra patres et postea theologi per decursum saeculorum semper sibi constantes in uno sensu et consensu haerebant: id quod in quaestione altera prorsus desideraveris. „Kaum ist diese (Frage) aufgerollt, beginnt auch der Zweifel, der bei fortschreitender Untersuchung immer mehr zunimmt, bis endlich die alten Anschauungen ganz aufgegeben werden" (Egger *Absolute oder relative Wahrheit 344).*

III. *De sententia s. Hieronymi in specie.* — Majorem difficultatem fautores laxioris sententiae ex dictis quibusdam s. Hieronymi deducunt; quare de eo distinctim nobis agendum erit.

1. De vera hujus sancti viri sententia hac in re nullo modo dubitari potest.

a) Praetermissis alias ejusdem testimoniis clarissimis unum in extenso hic addamus, quod legitur in *comm. in Philem:*

[1]) Cf. Egger *Streiflichter über die freiere Bibelforschung 43.*

„Quod autem dico, tale est: Credit quispiam in conditorem Deum — non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis ejus vera esse, quae scripta sunt, Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, Enoch translatum, Noe naufrago orbe solum servatum; quod primus Abraham de terra sua et cognatione jussus exire circumcisionem, quam in signum futurae prolis acceperat, posteris dereliquit; quod Isaac oblatus victima sit et pro illo aries immolatus coronatusque sentibus passionem Domini deformarit; quod Moyses et Aaron decem plagis Aegyptum afflixerint; quod ad vocem Jesu filii Nave precemque steterit sol in Gabaon et luna in valle Ailon. Longum est universa judicum gesta percurrere et totam Samson fabulam[1]) ad veri solis (hoc quippe

[1]) Etiam hunc terminum *„totam Samsonis fabulam“* ad sententiam suam trahunt adversarii nostri, duplici maxime ratione commoti: *primo* quod ipsa vox fabulae historiam confictam videtur inferre; et *deinde* quod additur, illam „Samsonis fabulam“ „ad veri solis trahendam esse sacramentum“, ideoque in sensu tantum allegorico esse veram. Attamen prorsus immerito hoc fit; etenim

a) vox ista fabula non necessario fictam historiam insinuat. Vox fabulae jam ex auctoritate vocabulariorum latinorum vox anceps est, quae et veram historiam et fictam narrationem significare possit.

Dicunt quidem, re in genere concessa remanere difficultatem, eo quod apud Hieronymum illa vox numquam occurrat in sensu vere historico; sed contra hoc est, quod in aliqua ejusdem epistola legimus: „Et ne veteres replicando historias longum faciam et excedam mensuram epistolae, brevem tibi fabulam [= narratiunculam] referam, quae infantiae meae temporibus accidit. Beatus Antonius cum a sancto Athanasio, Alexandriae episcopo, propter confutationem haereticorum [arianorum], in urbem Alexandriam esset accitus et isset ad eum Didymus vir eruditissimus, captus oculis, inter caeteras sermocinationes, quas de Scripturis sanctis habebant, cum ejus admiraretur ingenium et acumen animi collaudaret, sciscitans ait: Num tristis es, quod oculis carnis careas? . .“ Evidens est hoc loco agi de fabula, quae certo et determinato tempore accidit. — *Alibi* voces fabulae et historiae ut synonymas tractat; ita quam vocat persaepe fabulam Susannae, iterum historiam Susannae appellat v. g. *in Dan. 13, 58; contra Rufin. l. II.* Aliunde quoque constat, Hieronymum ea, quae de Susanna narrantur, vere historica habere; his v. g. ostendere vult, quod Daniel jam juvenis in populo suo celeber fuerit *(adv. Jovin. M 23, 245;* cf. etiam *ep. 1 M 22, 329; ep. 65 M 22, 624 etc.,* de quibus *Katholik XCI [1911] p. 275).*

Praeterea Hieronymus, quae de Samsone narrantur, aliis innumeris fere locis et ex integro spectata et quoad singulas particulas tanquam veram historiam tractat; quemadmodum etiam in ipso loco nobis obtruso medias inter historias proprie dictas ea connumerat *(cf. Katholik l. c. p. 286).* Quare sensus adversariorum prorsus excluditur in hoc textu, quamvis verum sit, vocem hanc apud Hieronymum non unius virtutis esse ejusque sensum in singulis textibus esse speciatim determinandum.

b) Sed nonne ipse Hieronymus eandem fabulam ad allegoricam trahit interpretationem et ita insinuat fabulam istam

nomen ejus sonat) trahere sacramentum. Ad regum libros veniam, quando in tempore messis obsecrante Samuele pluviae de coelo et flumina repente manarunt et David unctus in regem est, et Nathan et Gad prophetarunt mysteria, cum Elias igneo raptus est curru et Elisaeus spiritu duplici mortuus mortuum suscitavit. Haec et cetera, quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit nec adduci ad fidem veteris testamenti, nisi quaecunque de patriarchis et prophetis et aliis insignibus viris narrat historia, comprobarit: ut ex fide Legis [cf. de hac voce *ep. 121; M PL 22, 1024]* ad fidem veniat Evangelii et justitia Dei in eo reveletur ex fide in fidem, sicut scriptum est: justus autem ex fide vivit" *(PL 26, 608)*.

b) Inde, ex hac firma Hieronymi fide in veritatem sacrae historiae, tot ipsius conatus tam industrii et diligentes procedunt, quibus omnem contradictionem et mutuam inter varias s. Scripturae relationes repugnantiam removere conatur, de quibus conferas, si placet, Schade *die Inspirationslehre des hl. Hieronymus S. 50 ff.* — Hinc studium illud tam vehemens exarsit, quo cum s. Epiphanio et Theophilo alex. contra origenistas processit, de qua re supra audivimus.

c) Neque contrarium est, quod Hieronymus in sua *ad Pammachium epistola (ep. 57, 9)* difficultates ex historia sacra cumulare et etiam exaggerare videtur. *Etenim* etiam ibi aperte protestatur: „Haec replico, non ut evangelistas arguam falsitatis; hoc quippe impiorum est Celsi, Porphyrii, Juliani", et iterum: „Absit, absit hoc de pedissequo Christi dicere".

Etiam istud verum sit, quod Hieronymus allegoricae interpretationi justo plus faverit. Neque enim ignoramus ejus verba ex *tract. in Is. 6, 1:* „Non tam pertinaces sumus, ut allegoriam, si pia sit et de veritatis fonte ducatur, refutandam putemus; ita dumtaxat, si non sit contraria veritati, non pervertat historiam, si sensum Scripturae sanctae sequatur et non voluntatem perversi interpretis scripturarum prae-

---

allegorice tantum de Christo, vero sole, esse intellegendam? — Quoad hoc attende, quod antea sanctus doctor in eodem textu dixerat: „quod Isaac oblatus victima sit et pro illo aries immolatus coronatusque sentibus passionem Domini deformarit". Numquid et historiam Isaaci ideo allegorice tantum voluit intellegi, quod ad passionem Domini significandam eam traxerit? Nemo dicet! Ergo neque quoad „fabulam Samsonis" illatio ista valebit. — De hac re cf. etiam Delattre *autour de la question biblique p. 54—57.*

ferat auctoritati". De aliis testimoniis cf. Schade *l. c. p. 118 sq.* — Quodsi certo quodam tempore adhuc juvenis aliter senserit, valet ipsius Hieronymi verbum: „Erravimus juvenes, emendemur senes: credidistis confidenti, credite et neganti" *(contra Rufin III, 9; ep. 84, 6).*

d) Quare jam secundum ea, quae hucusque protulimus cognoscas, merito Benedictum XV in *lit. encycl.* saepe laudatis de conatu adversariorum s. Hieronymum in suas trahendi partes haec verba proferre: „Utinam novarum rerum fautores hic (in adversariorum fallaciis refellendis) sisterent; siquidem eo procedunt, ut doctorem stridonensem ad sententiam suam defendendam invocent, utpote qui historiae fidem et ordinem in bibliis servari, ‚non juxta id quod erat, sed juxta id quod illo tempore putabatur' et hanc quidem propriam esse historiae legem asseveraverit. In quo mirum quantum ad sua commenta detorquent verba Hieronymi" *(n. 11).* — De his verbis, quibus abutuntur adversarii, nunc pauca addenda sunt.

2. Verba ejusmodi, quibus exegetae moderni in suo conatu nituntur, sunt potissimum tria vel quattuor testimonia, quae prius allegemus.

a) *Primum* invenitur *com. in verba Matthaei: „Et contristatus est rex (Herodes)".* — Ad haec verba ista animadvertit Hieronymus: „Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Jesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator enim mentis suae et artifex homicidii *(coll. v. 5)* tristitiam praeferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente" *(M. PL. 26, 98).*

Alterum testimonium desumitur ex opere *contra Helvidium:* „Excepto, inquit, Joseph et Elisabeth et ipsa Maria paucisque admodum, si quos ab his audisse possumus aestimare, omnes Jesum filium aestimabant Joseph; intantum ut etiam evangelistae opinionem vulgi exprimentes, quae vera historiae lex est, patrem eum dixerint Salvatoris . . Evangelistae patrem Joseph dicunt, patrem Maria confitetur; non quod vere pater Joseph fuerit Salvatoris, sed quod ad famam Mariae conservandam, pater sit ab omnibus aestimatus . ." Et post pauca: „Sed jam satis disputatum est, cur Joseph pater Domini, cur Maria appellata sit conjux: in quo et hoc breviter continetur, cur fratres ejus quidam esse dicantur" *(M. 21, 187).*

Tertium testimonium invenitur in *com. ad Ez. l. IV ad c. 13, 1 sqq:* „Est autem ibi sermo contra pseudoprophetas, qui decipiebant populum et contra Dei mandata aliud prophetabant. Nec quempiam

moveat, quod prophetae appellantur; hanc enim habet sancta Scriptura consuetudinem, ut unumquemque vaticinationis suae et sermonis prophetam nuncupet, sicut prophetae apellantur Baal et prophetae idolorum et prophetae confusionis; unde et apostolus Paulus poëtam graecum prophetam vocat . ." et *ad v. 3:* „Cum prophetarum nomen secundum regulam Scripturarum bonis malisque commune sit, in eo differunt, quod boni prophetae esse dicuntur sapientes, mali autem stulti et insipientes" *(M 25, 108).*

Quartum denique legitur in *com. in Jerem. l. V 29 (ad c. 28):* „Et tulit Ananias propheta (qui prophetes tunc populo videbatur; v. 3) catenam de collo Jeremiae prophetae et confregit eam . .' Prophetam (Septuaginta) non dixere Ananiam, ne scilicet prophetam viderentur dicere, qui propheta non erat, quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat. Denique et Joseph in evangelio pater Domini vocatur, et ipsa Maria, quae sciebat se de Spiritu Sancto concepisse . ., loquitur ad Filium: ‚Fili quid fecisti nobis sic? ecce ego et pater tuus dolentes quaerebamus te'". Idem dictum recurrit ad v. 12 et iterum ad v. 15: „Quomodo prophetam poterat appellare (Ananiam), quem missum a Domino denegabat? Sed historiae veritas et ordo servatur, sicut praediximus, non juxta id quod erat, sed juxta id quod illo tempore putabatur".

b) Ex his testimoniis ita arguunt: Ecce ex sententia Hieronymi ad sacrae historiae veritatem non est necessarium, ut, quae referuntur, cum rebus ipsis objective concordent, sed sufficit, ut opinionibus popularibus tunc temporis vigentibus correspondeant. Neque *igitur* a s. Scriptura exigenda est absoluta veritas, sed quam ipsi vocant relativa tantum.

3. Ut responsum de his accuratius feramus, ante omnia distinguamus testimonium primum a tribus reliquis; et prius aperiamus, quid de his tribus sentiendum sit; postea addamus, quid in specie de primo (vel et altero) dici possit, si cui responsum idem pro omnibus convenire non videatur.

a) Quoad tria ultima testimonia statim animadverteris, quod semper et ubique sermo est de nuncupatione vel appellatione, de certo modo loquendi quoad res et personas. Ita quaeritur, qua ratione Joseph appellari, vocari, dici possit pater Jesu, qua ratione Maria con-

jux Josephi; quomodo pseudoprophetae nuncupentur simpliciter prophetae. Et ideo responsio in promptu est: Hieronymus morem quendam, etiam nunc vigentem inter historicos, inculcare vult, secundum quem res et personas ex usu, qui inter homines invenitur, denominamus, quamdiu huic loquendi modo periculum erroris non subest.

„La maxime — ita Delattre *le critérium à l'usage de la nouvelle exégèse biblique p. 61* — de s. Jérôme signifie: dans le langage de la vraie histoire en général et de l'histoire biblique en particulier, les opinions populaires colorent certaines locutions sans les pénétrer et sans en altérer la vérité, parce qu'elles s'y heurtent toujours à un pseudo ou à un putatif exprimé ou clairement sous-entendu ... La règle de s. Jérôme est d'un usage naturel. Les historiens catholiques du protestantisme parlent des réformateurs, au sens hérétique, sans qu'ils aient besoin de le rectifier par l'addition d'un pseudo, tout comme la Bible dit le prophète Ananie; le ton de leurs ouvrages et leurs noms seuls font connaître suffisamment leur pensée réelle. Dans une histoire de Mahomet, des écrivains chrétiens lui donneront le titre de prophète, à la façon musulmane, comme par distraction, sans se compromettre en faveur de l'islamisme". De eadem re cf. etiam ejusdem auctoris opus *autour de la question biblique p. 52—94.*

Poteritne nunc eadem responsio etiam applicari ad primum quem exhibuimus textum, qui ex commentario in Mtth. desumitur? Videtur hoc suaderi inde, quod etiam ibi s. doctor exemplum, unde rem suam illustret, desumit ex simili causa dicens: „Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Jesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant". Joseph pater isque putativus — Herodes contristatus utique putative: duo istae res saltem ex sensu Hieronymi ejusdem generis videntur esse; in priore casu de sola nominis nuncupatione agitur, ergo etiam in altero casu nihil aliud intenditur ab ipso. Ita aliquis inferre poterit.

Neque obstat, quod duo isti casus reapse non sunt prorsus paralleli; *etenim* s Hieronymus, saepe abundans in suo sensu, principium suum in genere verissimum etiam ad casus adplicare poterat, ad quos in rigore non quadrat, maxime cum impetu disputationis abreptus magis γυμναστικῶς quam δογματικῶς disceptabat et principia justo plus urgebat. — Tamen quoad hunc locum remanet quaedam obscuritas; etenim illud *„Et contristatus est rex"* certe idem non erit ac *„Et simulavit rex se esse contristatum"*; neque hac in re de simplici appellatione sermo esse videtur. Quare videamus, num fors hic aliud responsum inveniri possit.

b) Quoad primum testimonium *(in Matth)* fors juvabit, aliquantulum latius excurrere: respicere debemus ad celebrem illam controversiam, quae tunc temporis inter Hieronymum et Augustinum exarsit, et certam quandam similitudinem cum hac re servare videtur.

α) Occasionem controversiae illius exhibent, quae Paulus apostolus narrat *Gal. 2, 11*: quod nimirum ipse, „cum vidisset, quod (Petrus et Barnabas) non recte ambularent ad veritatem evangelii, dixit Cephae coram omnibus: Si tu, cum judaeus sis, gentiliter vivis et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?" — Hieronymus ista verba interpretatus erat eo sensu, quod omnia ista composito inter duos apostolos consilio facta essent: „Petrus nimirum sciens circumcisionem et praeputium nihil esse, edebat quidem ante cum gentibus; sed pro tempore [dein] ab eis se, ne judaeos a fide Christi perderet, (ficte et simulate) subtrahebat; unde et Paulus eadem arte, qua ille simulabat, ei restitit in faciem et loquitur coram omnibus non tam ut Petrum arguat, quam ut hi, quorum causa Petrus simulaverat, corrigantur" *(com. in Gal 2, 14)*.

Augustinus interpretationem istam Hieronymi legit; et praeterquam quod ei visum est, ejusmodi simulationes apostolis Christi non convenire, maxime reprehendit, quod, si interpretatio ista justa esset, Paulus ut scriptor inspiratus mendacium commisisset. Ita *ep. ad Oceanum* rem exponit: „Quod ait apostolus: ‚Cum viderem, quia non recte ingrediuntur ad veritatem evangelii, dixi Petro coram omnibus . .', nulla est hic tropica obscuritas; verba sunt propria apertae locutionis; hoc profecto doctor gentium his, quos parturiebat . . et quibus sub divina attestatione praedixerat: ‚quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior', aut verum dixit aut falsum; si falsum, quod absit, quae sequantur advertis . ." Clarius in *ep. ad Hieronymum ep. 82, 7* rem attingit, ubi exceptioni occurrit, quam Hieronymus ei opposuit: „Non est credibile hoc in Petro Paulum arguisse, quod ipse Paulus fecerat". „Non nunc inquiro — ita respondet Augustinus — quid fecerit (Paulus); quid scripserit, quaero. Hoc ad quaestionem, quam suscepi, maxime pertinet: ut veritas divinarum Scripturarum ad nostram fidem aedificandam memoriae commendata . . ex omni parte verax atque indubitanda persistat". — Intellexit Hieronymus adversarium, in *ep. 75* ejus reprehensionem repetens: „Asseris, me non debere docere mendacium, sed universa, quae scripta sunt, ita sonare, ut scripta sunt" *(n. 4)*.

Proxime Hieronymus Augustino opposuit rationes, quibus sententiam suam firmare conaretur; sed mox argumentatione Augu-

stini convictus, causam deperditam retractavit et, si non expresse eam revocavit et formaliter, tamen practice et ipso facto sententiam in *dial. contra pelagianos 1 22* dereliquit. Hucusque de illa controversia.

β) Si nunc rem, de qua maxime agebatur in illa controversia, comparaveris cum interpretatione quam idem Hieronymus dedit in verba Matthaei *(14, 9) „et contristatus est rex"*, maximam detexeris similitudinem inter utrumque casum. Quemadmodum Hieronymus *ad Gal 2, 14* existimavit Paulum modum agendi vel loquendi simulasse, ita hic insinuat Herodem tristitiam suam finxisse: „dissimulator mentis suae tristitiam praeferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente". Quemadmodum supra Paulus hagiographus, eo quod christiani verborum concertationem inter apostolos seriam putaverint, eandem ut talem ex mente Hieronymi rettulisset, ita et Matthaeus de tristitia Herodis simulata serio narrasset, eo quod homines circumsidentes eam putassent vere adesse. Quemadmodum quoad enarrationem Matthaei verus sensus ex contextu evangelii erui posset (considerato *v. 5: volens illum occidere, timuit populum*), ita existimavit Hieronymus etiam quoad *Gal 2* interpretationem suam considerato integro contextu necessario inveniri *(cf. ep. 112, 7 sqq)*. Et sicut Hieronymus quoad interpretationem suam in *Matthaei c. 14* ad consuetudinem provocavit Scripturarum, ita idem ex suppositione sua facere potuit quoad *Gal 2*.

Summa igitur similitudo inter utramque causam: quodsi igitur s. Augustinus interpretationem Hieronymi in *Matth 14* invenisset, eam simili modo reprehendisset, quo commentarium ejusdem in Gal 2 reprehendit; certo certius autem etiam Hieronymus illam similiter retractasset, ut retractavit interpretationem suam quoad altercationem apostolorum. Suberat in mente Hieronymi verum quoddam principium, quod et nos et omnes historici agnoscunt: „modum loquendi vel res appellandi . . ex usu hominum vigente determinari"; hoc inconsulte dilatavit ad istum sensum, quod res ipsae enarrari possint, ut sunt in ore et mente

hominum. Erravit igitur in adplicatione tantum principii ex sese verissimi.

γ) Alterum quod supra allegavimus testimonium, quod desumitur ex libro *contra Helvidium*, scriptum est, antequam controversia inter Hieronymum et Augustinum composita erat; et sic etiam in hoc testimonio principium nostrum non tam clare evolutum apparet. Quare, quae diximus ad Matth. 14, haec aliquatenus consideranda sunt etiam in hoc altero testimonio; si tamen in hoc testimonio illud incisum „quae vera historiae lex est" genuinum est; de genuinitate dubitant Vallarsi et Maffaeus.

δ) Luce autem clarius ut principium inconcussum et sacrosanctum apud Hieronymum apparet, quod enuntiavit ipse in *ep. de stationibus:* „Nulli dubium est facta esse, quae scripta sunt". Nos de ipso principio ejus sumus solliciti; poterat autem accidere, ut Hieronymus, qua erat homo, principium suum errans neglexerit. Nemo prudens inde statim concluserit: ergo deseruit vel denegavit ipsum principium.

4. Ceteroquin dictum, quod modo difficultatem facessivit in Hieronymo, occurrit nobis etiam apud Macarium magnetem, qui „legem historiae" declarat, quod evangelistae nihil scripserint, nisi „quod tunc tempore causae enarratae in ore hominum esset" — τὸν νόμον τῆς ἱστορίας φυλάττουσιν καὶ οὐδ' ἓν περαιτέρω γράφουσιν ἢ τὸ λεχθὲν τότε ἐν τῷ ζέοντι τῆς μανίας θορύβῳ (Blondel *Macarii quae supersunt l. II 17).* Sed etiam quoad hunc scriptorem Crusius jam contra Turrianum merito animadvertit: „Alia omnino censenda est accommodatio ad popularem usuque receptam loquendi formam, alia vero ad indocti vulgi praejudicia atque errores". Crusium autem sententiam Macarii omnino attigisse, ex iis manifestum fit, quae leguntur in eodem libro *c. 17,* quae breviter his ejusdem verbis comprehendi possunt: „si alius alio modo verba ponit, historiam non corrumpunt — ἄλλος ἄλλως εἰπόντες τὴν ἱστορίαν οὐκ ἔφθειραν.[1])

5. Simile quid dicendum erit de loco ex Summa s. Thomae *(1, 2 q. 98 a. 3 ad 2),* ubi legitur: „Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit *(sup. Gen. ad lit. XII 27),* in Exod. dicitur: ‚locutus est Dominus Moysi facie ad faciem': et paulo post subditur: ‚ostende mihi gloriam tuam': sentiebat ergo, quod videbat, et quod non videbat, desiderabat. Non ergo videbat ipsam Dei essentiam, et ita non immediate ab eo instruebatur. Quod ergo dicitur, quod ‚loquebatur ei facie ad faciem', secundum opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat Moysem ore ad os loqui cum

[1]) De Gregorio nyss. cf. Delattre *autour de la question bibl. p. 130 sqq.*

Deo, cum per subjectam creaturam i. e. per angelum et nubem ei loqueretur et appareret; vel per visionem faciei intellegitur quaedam eminens contemplatio et familiaris infra essentiae divinae visionem".

Resp: S. Thomas Scripturam quidem censet secundum opinionem populi loqui, ea tamen conditione, ut verus sensus omnino pateat, quin igitur consequentiae exegetarum modernorum ex ejusdem dictis deduci possint. Neque his verbis generale principium admittit, quod s. Scriptura secundum ejusmodi popularem opinionem quasi ex usu et consuetudine res gestas enarret, sed de particulari tantum casu loquitur hypothetice ita, ut et alteram eamque meliorem addiderit resolutionem. Cf. Schiffini *o. c. p. 176 Instabis.*

Quoad rem ipsam vero dicendum est, quod Moyses immediate cum Deo loquebatur, qui ei in aliqua specie visibili apparebat; hoc putabat populus Israel et hoc intellegebat sub illa phrasi „facie ad faciem". In hac suppositione Scriptura rem ex ordine objectivo enarrat, quin ulla falsitas subsit.

Alios modos loquendi patrum difficiliores eorumque explanationes videsis *ZfkTh XXXI (1907) p. 86 sqq.*

IV. De vi et efficacia hujus consensus Patrum in re nostra.

De consensu ss. patrum in re nostra non potest esse dubium. Auctores, qui adversae nobis sententiae favent, factum hoc ipsis incommodum non ignorant; difficultatibus tandem uno veluti ictu se subtrahere nituntur, declarantes dicta et sensum ss. patrum hac in re historica et profana negligi posse. Prorsus tamen immerito.

I. *Doctrina exponitur.* — 1. Primo quamvis de historia proxime agatur, est tamen quaestio de sacra historia, ideoque quaestio de ipsa Scriptura. Ejusmodi quaestiones ad forum ecclesiae; ideoque et ad ambitum authenticae testificationis patrum ejusdem ecclesiae pertinent.

„Cujus sunt Scripturae?" jam olim quaesivit Tertullianus; et respondet: „Ubi apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum . ." *(de praescr. 19);* et in capite immediate sequente nos remittit ad apostolos et succedentes eisdem ecclesias, quibus deinceps praeerant patres nostri. — Majore vero auctoritate Leo M. declaravit: „Cum ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati apostoli et patres nostri didicerunt et

docuerunt, nunc demum indisciplinatae moventur et impiae quaestiones, quas olim mox, ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit, per discipulos veritatis Spiritus Sanctus exstinxit" *(ep. 82 [al. 62] 1)*. — Eidem plane assentit, qui sedem eamdem post saecula hereditavit, Leo XIII, qui in litteris encyclicis *ad archiepiscopos etc. Galliae:* „Tout en encourageant, inquit, nos exégètes à se tenir au courant des progrès de la critique, nous avons fermement maintenu les principes sanctionnés en cette matière par l'autorité traditionelle des pères et des conciles, et renouvelés de nos jours par le concile du Vatican" *(Acta s. Sedis XXXII p. 202)*.

Dixeris forsitan, non omnia, quae in Scripturis habeantur, ecclesiae auctoritati subjacere vel authenticae interpretationi patrum; huc pertinere ea, quae sint ordinis profani; cujus est et historia. — *Reponimus:* agitur de historia, quae tamen minime profana est, sed praecise historia sacra; quae per ipsum Deum sive revelatione sive inspiratione hominibus tradita est, ut ostenderet vias, quibus ad salutem adduxerit genus humanum.

Ulterius urgebis: Ergo saltem sub hoc tantum respectu historia sacra subjacebit magisterio ecclesiae, non autem ubi res gestas magis indifferentes enarrat.

„Die einmütige Uebereinstimmung der Kirchenväter in der Erklärung der heiligen Schrift ist zweifellos nur maßgebend für das Gebiet der Heilswahrheiten . . Dagegen steht aber auch ebenso fest der Grundsatz der Freiheit in der Erklärung der Bibel für das weite Gebiet der natürlichen Wissenschaften . . Und die Gültigkeit desselben Grundsatzes ergibt sich auch für das Gebiet der historischen Wissenschaften sofort als notwendige Folge" (Peters *die grundsätzliche Stellung . . S. 38 f; 45)*.

Hac in re attentius considera! — a) Imprimis nunc non agitur de interpretatione, sed de quaestione, num interpretatione sive simplici intellegentia rerum supposita, res historicae necessario verae sint sub relatione inspirata; quae ceteroquin, dummodo de textu genuino constiterit, communiter non ita obscura est, ut nescio quo interpretationis artificio egeat, certe non pro iis, quibus primitus data est. Haec autem quaestio, num verax sit Scriptura plane in universum, de quacunque re agat, ergo etiam quoad res historicas, absque ullo dubio dogmatica est et magisterio ecclesiae subjacet: haec enim

immediate cohaeret cum dogmate inspirationis, qua Deus auctor est omnium, quae in sacro textu leguntur, et qua Deus, sicut in rebus religiosis, ita in rebus profanis sive naturalibus mentiri nequit.

Sic neque res scientiarum naturalium, quae in s. Scriptura attinguntur, simpliciter eximuntur a magisterio ecclesiae; sed quam primum constat de vero sensu eorum, quae in hac parte enarrantur, indirecte et ipsae res naturales declarationi et curae ecclesiae submittuntur. Ita quam primum constat, quid Scriptura dicere voluerit enarratione creationis, quae in 1. Genesis continetur, res enarrata custodiae ecclesiae commissa apparet, si non ratione sui, certe ratione inspirationis.

b) Ulterius certum est, quod multa facta historiae sacrae non solum utcunque sive indirecte ad depositum fidei pertinent, sed directe et formaliter in ipso inveniuntur, ut lapsus originalis enarratus in Genesi, enarratio nativitatis et resurrectionis Christi et alia hujusmodi multa; quare historia sacra magna ex parte directe etiam submittitur judicio ecclesiae. Tota autem historia sacra saltem ratione finis, quo enarratur, fini quoque ecclesiae subservit. Quodsi res ita se habet, statim dubius haerere poteris, qua extensione sacra historia ad magistros ecclesiasticos pertineat; vel etiam num ipsa fors integra jam ecclesiae subjaceat. Si vero ejusmodi controversia oboritur, ad quemnam, quaeso, spectabit hanc quaestionem definire? Certe ad ipsam ecclesiam.

Merito in causa affini card. Franzelin haec profert: „Si jam in antecessum verum esse constaret quod assumitur, has quaestiones ad fidem non pertinere, fateor consensum omnium patrum non effecturum, ut ad fidem pertinerent; sed hoc ipsum est quod quaeritur, utrum ad fidem non pertineant. Si autem patres constanter et asseveranter atque ita in iis consentiant, ut vel diserte vel modo tractandi prodant, eas haberi tamquam veritates fidei in praedicatione ecclesiastica et in intellectu catholico comprehensas, profecto ipse eorum consensus probat ineluctabili auctoritate, eas quaestiones ad fidem pertinere, et in eo, quod ita unanimes docent, certam fidem faciunt" *(de div. trad.³ p. 176 sq)*. Cf. Vinati *div. Thomas XXIV (1905) p. 251—282.*

2. Jamvero ss. patres expresso quoque et unanimi si quo unquam consensu et constanter per sae-

cula affirmabant, absolutam sacrae historiae veritatem ad fidem pertinere ecclesiae. De qua re nullum omnino remanet nec remanere potest dubium.

a) Hi divinae fidei custodes *primo* evidenter declarant, sacram historiam qua talem partem esse substantialem et homogeneam Scripturae sacrae eodem modo quo doctrinas religiosas, cum quibus fundamentum ipsius fidei nostrae constituant. „Mosaica quidem philosophia quadripartito dividitur, in partem historicam et eam, quae specialiter vocatur legalis: quae duae ad morum doctrinam pertinent: tertiam autem eam, quae pertinet ad sacrificia, quae ad physicam contemplationem spectat: et postremo quartam speciem theologicam" (Clemens alex. *Strom. I 28*). Eodem modo Athanasius *ad Marcellinum* scribit: „In quolibet libro [s. Scripturae] videre est prophetias, legislationes et historias": et hic statim addit: „idem namque Spiritus est in omnibus et, secundum divisionem ejus in singulis factam, unusquisque datam sibi gratiam administrat et implet, sive prophetia sit, sive legislatio, sive historiae commemoratio, sive psalmorum gratia" *(PG 27, 17 sq)*. Similiter Tertullianus *Apologet. 19*. — Tanta est patrum persuasio de aequali sacrae historiae valore et honore in s. Scriptura, ut Epiphanius asserere non veritus sit: „si paradisus non est in terra neque vera sunt, quae in Genesi scripta sunt, sed propter allegoriam dicta, nulla jam in ipsa consequentia" — οὐδὲν ἔνι τῆς ἀκολουθίας. Origenes autem ab omnibus fere incusabatur, quod per allegoricas nonnullarum historiarum interpretationes ipsam auctoritatem et fidem Scripturae destrueret. Cf. etiam Julium afr. *PG 10, 51 sqq* et quae leguntur de Theophilo alex., Epiphanio, Hieronymo aliisque in *ZfkTh XXX (1906) p. 340 sqq*.

b) Ex hac *porro* de sacra historia persuasione sola explicari potest, quomodo per omnia inde ab apostolis saecula omnes fere patres etiam ex factis historicis vel minimis argumenta theologica in rebus fidei desumpserint, dummodo per Scripturam ista enarrata sint. Etiam haec, ajunt, „ad profunda divinae cognitionis pertinent" (Clemens rom. *ib*), etiam haec ad divinam illam „auctoritatem" spectant, unde s. Cyprianus „propositos Fortunato titulos solidare" promittit *(de exhortatione martyrii, praef. n. 3)*. Ita non deliquimus futura credentes, qui jam didicimus Scripturas per duos gradus (praeteriti et praesentis) credere" (Tertullianus *Apol. 19*).

c) Neque jam miramur, cum patres etiam expressius fidem in sacram historiam profitentes audimus. Quoad ipsam historiam s. Chrysostomus non desinit inculcare, quod „grave periculum subeat ille, qui res, quae in s. Scriptura contineantur, non velit

fideliter admittere" *(hom. 13 in Gen. c. 3; PG 53, 108 sq.)*[1]) — Fideles obligatos esse ad Scripturam reverendam etiam in his rebus, Epiphanius declarat contra Origenem *Ancorat 54 sq; PG 43, 111;* et in re ipsius fidei Pamphilus amicum suum Origenem defendere se existimat, cum ostenderit ejus „catholicam fidem etiam quoad historiam biblicam sufficienter exhibitam esse" *(PG. 17, 585 sq).* Quae enarrat s. Scriptura, fidei spectacula vocat auctor *de spectaculis 10 (PL 4, 786).*

d) Unde summus ille enascitur horror aliquid ex his rebus historicis prodendi, quem manifestat v. g. Justinus *(dial. 7),* Julius afr. *(PG. 10, 51 sqq),* quos presse sequitur Cyrillus alex. declarans: „Nullo nobis argumento persuadebitur Scripturam repudiare et historiam vanitatis condemnare et rem ipsam inhonestatis coarguere putareque ut quidam non ita gestam . ." *(in Oseam t. I 3; PG 71, 25).* Qui hoc faceret, „peccaret" (Eusebius *chronic I 16, 22);* quemadmodum et Julianus ille impius peccata addiderit peccatis, cum reprehenderit historiam Moysis (Cyrillus alex. *contra Julianum III; PG 76, 632).* Et Theodoretus satis mirari non potest „temeritatem eorum, qui affirmare audent prophetam verba quidem proferre, facta autem nullatenus accidisse" *(in Oseam 1, 4; PG. 81, 1556);* hoc ethnicorum esse. Titus bostrensis censet *(adv. Manich. III praef; PG. 18, 1210)* et similiter Chrysostomus *hom. in paralyticum n. 3* et Hieronymus *ep. 57, 9 (PL 23, 575).*

Res haec tam clara est, ut ab ulterioribus testimoniis adferendis possimus abstinere.

II. Ad defendendam suam causam adversarii tandem etiam patrocinium invocant ipsius conc. tridentini et vaticani.

1. Illud concilium — ita ajunt — auctoritatem ecclesiae sanctorumque patrum quoad s. Scripturam interpretandam ad res fidei et morum restrinxit. Ergo in rebus profanis, quibus etiam historicas adnumerabis, exegeta inter ipsos catholicos liber prorsus declaratur.

Haec sunt verba concilii: „Praeterea ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum

[1]) Cf. *ZfkTh. XXXI (1907) p. 237.* Similiter Severianus, Isidorus pel., Theodoretus, de quibus cf. *ib. 245 sqq.*

sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat" *(s. 4 de can. Script)*. Cf. etiam vaticanum *s. 3 const. de fide, c. 2 de revel.*

Quid respondebis? — a) *Primo* in re et quaestione nostra non ita agitur de sensu alicujus textus in particulari ejusque interpretatione, agimus de quaestione magis generali: num in genere vera sit s. Scriptura in rebus historicis [vero utique verborum et textuum intellectu semper supposito]. Haec autem quaestio generalior et, quae cum ipsa cohaeret, quaestio de indole alicujus libri litteraria determinanda ex sese magis cum fide cohaeret; et ideo in declaratione concilii non comprehenditur, saltem non vi verborum.

b) *Praeterea* quoad ipsos textus particulares interpretandos concilium ex peculiari ratione tunc urgente in determinatis rebus („fidei et morum") vetat sensum sequi privatum contra sensum ecclesiae; et ideo affirmative quidem decernit vel definit, quod in rebus fidei et morum interpretatio ecclesiae tenenda sit. Inde tamen minime sequitur, ut omnes aliae res, res nimirum profanae, ab ejusdem authentica declaratione et interpretatione eximendae sint. Quare secundum hoc distingues antecedentem, et negabis consequentem propositionem et consequentiam.

Quam juste haec dicantur, inde intellegitur, quod concilium ipsum, cum jam rationem addiderit declarationis suae, prorsus in universum enuntiat: „Ecclesiae est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum", quin ullam restrictionem quoad res ullas addiderit. — Et eodem modo cum professione fidei tridentinae a Pio IV praescripta simpliciter profitendum est: „Item s. Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto".

Sed cur deinde omnino concilium in sua declaratione peculiariter res fidei et morum commemorat? — Propter historicas illius temporis circumstantias. Prote-

stantes *nimirum*, sacram Scripturam ut unicum revelationis fontem declarantes, varias suas perversas doctrinas ex textibus Scripturae falso intellectis probare et inter fideles spargere conabantur; in hoc conatu maxime abutebantur verbis, quae ad fidem et mores relationem inirent. Interpretationem *igitur* praecise textuum talium concilium tunc defendere debebat; neque tunc temporis necesse erat, ut quaestionem de interpretatione Scripturarum in genere solveret.

c) *Ceteroquin* propter ipsam inspirationem totius Scripturae, ex qua divinitus traduntur et docentur, quaecumque in Scripturis asseruntur et proferuntur, omnes simpliciter veritates in Scripturis propositae saltem per accidens ad res fidei pertinent, sive ordinis sunt religiosi sive profani. Et si demum nexum habuerint talem, ut praetermissa earum veritate ipsa inspiratio in periculum vocetur, arctius etiam sub hac ratione indirecte ad depositum revelationis et fidei pertinent.

2. Instant ex concilio vaticano: Quando vaticanum in eo erat, ut canonem concilii tridentini denuo inculcaret, unus ex patribus proposuit, ut delerentur verba ista: „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium", ea inprimis ductus ratione, quod alias „in rebus reliquis, puta historicis aliisque, libera cuique daretur ansa sanctissimum Dei verbum pro effraeni lubitu explicandi" *(col. lac. VII 226)*. *Atqui* postulatum istud recusatum est. *Ergo* hoc concilium certe res profanas definitione sua noluit comprehendere.

Resp: a) Haec instantia praevaleret, si patres concilii ea ducti ratione postulatum rejecissent, quod ipsis persuasum esset, res profanas reapse ab interpretatione ecclesiae eximi. Ratio vero, cur illud incisum retineretur, plane alia et opposita erat. „Concedo, ita reposuit V. Gasser causae relator, quod ecclesia jus habet judicandi de vero sensu . . etiam in rebus, quae ad historicam veritatem etc. spectant . .: quod attinet istas interpretationes circa veritates historicas, dico, hujusmodi interpretationes aut non sunt contra dogma inspirationis sacrae Scripturae et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, jam utique spectat ad res fidei, et proinde certe ecclesia de hac re judicandi jus habet".

Sed cur tandem aliquando non suppresserunt istam restrictionem, id quod certo certius facillime fieri potuerit? — Quia vaticanum decretum concilii tridentini voluit inculcare; et ea ibi legebatur. „Verba ista omnino deleri utique non possunt — ita idem Vinc. Gasser — nam habentur in tridentino; et proinde etiam in nostra constitutione dogmatica desiderari nequeunt" *(cf. col. lac. l. c. 240).*

b) Ceterum ecclesia ipsa praxi, post concilium tum tridentinum tum vaticanum continuo observata, quid cogitaverit ostendit. Interpretationes enim et quaestiones, quae de ipsis profanis rebus in s. Scriptura commovebantur, ad forum suum trahebat: ita in celebri causa Galilei. Ita Leo XIII in encyclica *Providentissimus* relationes ordinat, quae inter exegesin scripturisticam et scientiam naturalem cognatasque disciplinas tenendae sint; provincia denique, quae commissioni biblicae assignata est, ambitum rerum de se religiosarum longe excedit.

c) Quomodo ceteroquin et auctores a nobis alieni jus ecclesiae agnoverint, cf. Egger *p. 299 sq.* — Nec tamen jus ecclesiae ita intelligendum est, ac si semper et ubique positive omnes et singulos textus Scripturae explicare et interpretari debeat; hoc ordinarie doctis relinquit inquisitionibus theologorum vel exegetarum suorum. Sed certe id sibi vindicare intellegitur, quod nemo contra interpretationem ecclesiae semel manifestatam audeat quidquam interpretari. Hoc sensu de eo jure tenet Egger *302:* „Es ist [als] negatives Recht zwar immer in Kraft, wird aber nicht immer, sondern nur wenn eine Notwendigkeit vorhanden ist, ausgeübt; in unserem Falle also, so oft die Inspiration der hl. Schrift durch irgend eine falsche Auslegung gefährdet würde".

3. Provocant denique ad s. Thomam, qui *in II sent. dist. 12 q. 1 a. 1:* „Quaedam, inquit, sunt per se substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum et hujusmodi: in quibus nulli licet aliter opinari . . . Quaedam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto promulgatam esse: quae quidem ignorari sine periculo possunt ab iis, qui Scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia: et in his etiam sancti diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est, quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incepisse creatum, et hoc omnes sancti concorditer dicunt; quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione sancti salvantes, diversa tradiderunt." Ex sententia igitur s. Thomae — ita concludunt — in ejusmodi rebus, quae non sunt de substantia fidei per se, exegetae licet a consensu ss. patrum recedere.

In qua re quaeso attendas, quod s. Thomas non loquitur de consensu ss. patrum, a quo recedere liceat; sed solum dixit in ejusmodi rebus ss. patres diversimode sensisse. Insuper addidit, quod patres diversa sua expositione veritatem Scripturae salvaverint; unde in argumentatione adversariorum nulla extat consequentia.

V. Ratio theologica.

I. Ratio quam pro veritate sacrae historiae adhibemus, hisce breviter comprehenditur: „Si s. Scriptura deficit in historica veritate, omni jam auctoritate divina destituitur".

1. Haec est ratio ipsorum ss. patrum, quam semper et ubique in controversiis quoad rem nostram exortis attulerunt.

a) Hac fide et persuasione adductus Julius ille africanus de historia Susannae ad Origenem litteras dedit: „Miror, qui te latuerit hanc libri (Danielis) partem esse spuriam. Conficta ea esse ostenditur et multis probatur modis: *Primum* Susanna morte damnata. Spiritu correptus propheta [Daniel] exclamavit injustam esse sententiam: at Daniel alia semper prophetat ratione, nempe post visiones et insomnia etc. *Deinde* postea quam mirabiliter sic exclamavit, insolito prorsus illos redarguit modo, quo ne Philistion quidem mimus uteretur . . . Quomodo — quae est *tertia ratio* — qui Babylone apud chaldaeos captivi erant, qui talorum lusu vaeniebant, qui, ut de priore Israelis captivitate narratur, in plateas projiciebantur insepulti, filiis eorum abreptis ut eunuchi et filiabus ut essent pellices: hi sententiam mortis ferebant idque contra uxorem regis sui Joacim, quem throni sui consortem fecerat rex babyloniorum . ." Ecce quae profert, historicae difficultates sunt inde tamen statim infert: ergo ista Scripturae pars nullam prorsus divinam auctoritatem sibi meretur.

In eundem modum Epiphanius arguit dicens: „Si non est paradisus in terris et, quae in Genesi scripta sunt, vera non sunt: nulla jam ibi fides et consequentia" *(Ancoratus 54; PG 43, 111)* . . Et in controversia contra Joannem hierosolymitanum: „Si hoc, inquit, [quod Origenes in allegoriis veritatem historiae depravat] verum est, ubi est fides nostra? ubi praeconium resurrectionis? ubi apostolica doctrina, quae in ecclesiis hucusque perdurat? ubi illa benedictio ad Adam et ad semen ejus, et ad Noe et ad filios ejus: ‚crescite et multiplicamini'?" *(PG 43, 384)*. — Similiter et Theophilus alex. Origeni vitio vertit, quod modo suo procedendi vim inferat veritati et extincta lu-

cerna [ipsius nimirum Scripturae] eam invenire nitatur" *(ep. pasch. I n. 20)*: „quae enim - ita idem repetit in *altera ep. pasch.* — illum ratio perduxit, ut allegoriae umbris Scripturarum tolleret veritatem?" Haec autem vox tessera deinceps contra Origenem facta est.

Similia multa jam audivimus a Chrysostomo, Theodoreto, Cyrillo alex. multisque aliis, quibus Augustinus verbis illis assentit: „Petrus vere correctus est et Paulus vera narravit, ne sancta Scriptura, quae ad fidem posteris edita est, admissa auctoritate mendacii tota dubia nutet et fluctuet: non enim potest aut oportet aliteris explicari, quanta et quam inexplicabilia mala consequantur, si hoc concesserimus" *(ep. 40 [al. 9], 5)*.

b) Neque theologi hanc rationem ignorant: quorum nomine audiatur M. Canus, qui provocans ad s. Augustinum rem hisce verbis recolligit: „Sacrarum Scripturarum magna ex parte labefactatur auctoritas, si haec opinio [quod non omnes et singulae particulae inspiratae fuerint] vera est . . Et ut reliquas Scripturae partes praetereamus, in sacris historiis distingui discernique non posset, quid ex Deo, quid ex homine sit: quid auctor ex revelatione divina, quid contra ex spiritu humano et ingenio proferat: quocirca fluctuaret passim et legentium et audientium fides . ." *(de locis theol. II 17)*. Sine ambiguitate autem et s. Thomas ad eandem rationem provocat, dicens: „Ea quae de paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicae proponuntur; in omnibus autem, quae sic Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historica" *(S. th. 1 q. 102 a. 1)*; cf. *ib. 1 q. 32 a. 1; 2, 2. q. 110 a. 3 ad 1.* — Cf. *encycl. Pascendi* Pii X *(ed. Müller p. 49 sq; Herder 74 sq)*.

2. Est igitur vetustissima ratio, quam adferimus et quam nunc aliquantulum accuratius considerabimus.

a) Ut supra jam audivimus: historia sacra in Scripturis proposita et enarrata summum quoad ipsum depositum fidei momentum habet. Quamvis enim ordinarie rem religiosam vel dogma fidei directe non ingrederetur, cum rebus tamen religiosis et veritatibus christianae fidei intime connectitur, ita ut vel dogmata vere fundamentalia (cogita de peccato originali) in ejusmodi factis historicis proponantur implexa. In his igitur factis historicis homo christianus summa certitudine frui debet, ea nimirum quae est propria fidei christianae et divinae. Sed si jam historia sacra qua talis hac infalli-

bili fide digna non invenitur, si fidelis non est quoad omnia: illa certitudo nulla erit; quo enim jure admitteretur quoad haec facta, cum merito respueretur quoad alia? Cf. Hummelauer *Inspiration und Mythus, Stimmen aus M. L. XXI (1881) 448 sqq.*

Lagrange v. g. narrationem, quae in Scriptura de uxore Lot profertur *(Gen. 21, 26)*, comparat iis, quae acciderint secundum fabulas gentium cum Niobe; si hoc merito jam praesumpseris, cur non idem dices de iis, quae narrantur de muliere et uxore Adae *Gen. 3.* Et si ex sententia ejusdem auctoris, quae narrantur de carnali conjunctione inter Lot ejusque filias, non sunt nisi satyra quaedam, quid deinde erunt, quae de Noe post diluvium, quae de ipso diluvio narrantur; et si omnia ista incerta sunt, quid de iis, quae postea eodem modo eademque in Scriptura traduntur? et si sacris veteris testamenti historiis non est fidendum, qua ratione jam credemus evangeliis nostris?

Breviter: Historia sacra saltem ex aliqua parte summa et divina fide admitti debet. *Atqui* vacillante historia vel ex parte, neque quoad illa facta proprie dogmatica necessaria auctoritate pollebit. *Ergo* s. historia, qua late patet, eadem fide digna inveniatur oportet.

b) Ulterius historia sacra qua historia non solum ex parte, sed ex integro supernaturalis est finique supernaturali inservit; neque enim alium finem prosequitur, nisi ut ostendat divinam circa populum suum suavem providentiam, quomodo ipsa genus humanum integrum ex lapsu reduxerit ad salutem, et quomodo genus humanum huic divinae providentiae responderit. *Atqui* ejusmodi finis veracitatem historiae qua talis, et ideo propter integram ejusdem inspirationem in omnibus veritatem exigit.

„Comme la prophétie, l'histoire sainte se déroule dans un cadre surnaturel: elle comprend deux séries des faits. La *première* série se compose des actes de Dieu instruisant son peuple et lui rendant sensible la providence spéciale dont il l'entoure; la *seconde* série se compose des actes, bons et mauvais, et des vicissitudes du peuple ainsi conduit et protégé. Les deux ordres de faits se correspondent et se mêlent dans l'histoire sainte, comme dans la réalité" (Delattre *Critérium 35).*[1])

[1]) Concordat et Hummelauer dicens *o. c. p. 20:* „Eine der wichtigsten Glaubenswahrheiten, welche uns die heilige Geschichte ein-

Minor in argumento facile patet, quam L. Hugo verbis P. Murillo sic illustrat: „Schaue, wie Gott die persönliche Tugend und die Treue der Völker zu belohnen weiß! Zum Beispiel diene dir Tobias und Judith, die es beweisen. Jedoch darfst du dir nicht einbilden, daß an ihnen ein solcher Schutz der Vorsehung in Wirklichkeit sich zeigte . . . Durch diese Beweise steht uns fest, daß Gott die Macht, die Weisheit und den Willen besitzt, solche Wunder zu wirken, wann seine Stunde kommt; aber in der wirklichen Geschichte besitzen wir kein Beispiel, von dem man zum Gläubigen sagen könnte, in diesem Falle wissen wir mit Sicherheit, daß diese besondere und außerordentliche Vorsehung der göttlichen Macht eingegriffen hat" *(p. 27)*. Absona utique foret et stulta ejusmodi Scripturae argumentatio, nisi veritas historica enarrationibus ipsius omnino competeret.

c) Ut mox ex ipsa s. Scriptura et ex testimonio traditionis confirmabimus, libri historici s. Scripturae qua historici ecclesiae divinitus traditi sunt, prorsus in eundem modum quo religiosi libri qua tales eidem commissi sunt. *Ergo* quemadmodum hi religiosi libri in omnibus et singulis propter divinum auctorem fide digni declarantur, ita etiam libri historici in suo genere infallibiles sint oportet; et merito cum ss. patribus tenemus, historiam prorsus ut reliquam s. Scripturam propter inspirationem veracem omnino consistere, — „nisi forte, ut ait s. Augustinus *ep. 28, 5*, regulas quasdam daturus es, quibus noverimus, ubi oporteat mentiri, ubi non oporteat; quod si fieri potest, nullo modo mendacibus dubiisque rationibus id explices quaeso".

II. Criterium igitur saltem quoddam indicandum erit, quo jam verae historiae partes discernantur ab incertis.

1. Et profecto s. Augustinus ipso modo interrogandi, cui aperta subsit ironia, indicat se de ejusmodi criterio inveniendo simpliciter desperare; de regula enim quaerit, quibus noverimus, ubi oporteat mentiri. Non ita omnem spem abjicit Lagrange, qui in opusculo pri-

prägen will, ist diejenige von Gottes Fürsorge für sein auserwähltes Volk, welche ein Vorbild ist seiner Fürsorge für seine Kirche und ein Unterpfand seiner Fürsorge für den einzelnen. Wie vieles in der heiligen Geschichte steht aber mit dieser einen Wahrheit im Zusammenhang! Im großen Ganzen alles".

vatim ad amicos edito (*„Eclaircissement sur la méthode historique"*) hoc protulit criterium: „Croyons l'auteur quand il veut être cru, mais ne supposons pas toujours qu'il veut être cru. Cette situation, qui s'impose à nous, serait le domaine de l'arbitraire, si nous n'avions recours à un critérium objectif. Nous jugeons qu'il veut être cru, lorsqu'il raconte un fait qui va directement à son thème, dont la réalité sert de base à son enseignement, un fait grave, dont on savait qu'il avait pu être attesté, transmis, surtout s'il s'agit d'un fait révélé; car ce sont ceux-là qu'il a à coeur. L'auteur ne veut pas être cru sur la réalité des faits, quand il expose une parabole, raconte une histoire édifiante ou prophétique. Il laisse au lecteur le soin de juger, quand il s'agit de faits dont tout le monde sait, qu'ils se perdent dans la nuit des temps ou qu'il emprunte à l'opinion commune sans la garantir autrement" *(p. 69 sq)*. En criterium quo hic auctor discernere vult, ubi verum dixerit historiographus sacer, ubi non: criterium certe insufficiens et inane.

a) Et ut a levioribus incipiamus, suspicionem jam movent verba, quibus auctor criterium inducit: *„nous jugeons"*; his ipse auctor criterium subjectivum et incertum declarat. — Neque principium istud, a quo ejusdem expositio initium sumit, approbari potest: „credamus auctori, quando vult, ut sibi credatur". Est enim principium falsum; neque enim auctori credendum est, quando v. g. per narrationem suam me decipere vult. — Neque hucusque principium istud in ordine ad criterium exhibendum quidquam juvabit; nam haec praecise quaestio nostra est: qua ratione secure discernamus, ubi auctor fidem sibi vindicet, ubi non. Audiamus igitur ulteriorem expositionem!

b) Criterium propriam vim quaerit inde, quod sacer scriptor „rem proponat gravis momenti, quae thema suum seu propositionem respiciat, quae basim sive fundamentum praebeat instructionis ab ipso exhibendae, quae ipsi cordi est." *Attamen* etiam sub hoc respectu statim inutile ap-

paret, si non in abstracto, tamen cum rem in concreto consideraveris.

α) Scriptores *enim* sacri historici omnia, quaecunque enarrant, eodem stilo eodemque accentu proponunt, leviora similiter ac quae nobis videri possunt gravissima; neque unquam fere quidquam insinuant, quo singulari cuipiam rei peculiare attribuerint momentum.[1]) — Si vero unquam tale quid fecisse, si rem aliquam premere videntur (ut nonnemo sentire potest v. g. *Jo 19, 35; ib. 21, 23),* ea respiciunt, quae ex sese minima apparent. Sic autem non solum criterii illius nullam ansam praebent, sed ostendunt etiam et sibi vindicant aequalem credibilitatem in omnibus omnino rebus sive magnis sive parvis.

β) Sacra historia deinde non solum pro hominibus doctis, sed etiam pro hominibus illiteratis et simplicioribus divinitus tradita est. Criterium vero modo nobis propositum vix doctissimus homo adhibere valebit. Quomodo v. g. homo rudis eruet, quaenam peculiaris s. scriptoris fuerit propositio ejusque thema speciale, quaenam ad istud thema peculiariter electum directe respiciant; qua ratione homo illiteratus experietur, quidnam s. scriptor strictius docere voluerit et tanquam fundamentalem doctrinam, et quidnam testari et per aptam traditionem accipere potuerit?

Criterium tandem, quod hanc sibi normam proclamat: *‚fide digna apparere res gravioris momenti, e contra negligi posse res minoris momenti‘*, ex sese latas arbitrio singulorum aperit vias, cum uni facile appareat grave quod alii leviusculum.[2])

γ) Sic merito totum criterium ad id reducitur, quod auctor ejusdem in fine expositionis quoad facta quaedam particularia, maxime in Genesi enarrata, addit: „il laisse au lecteur le soin de juger“ — omnia nimirum studio vel arbitrio lectoris relinquit, et ideo arbitrarium sed et inutile est. Nihilque differt ab eo, quod jam olim s. Augustinus summa ironia explosit dicens: „An ibi

[1]) „Les auteurs inspirés procèdent par énoncés catégoriques depuis l'histoire d'Adam jusqu'à celle des apôtres inclusivement; nulle part ils n'insinuent même, qu'ils font les lecteurs juges d'un seul detail. Nous défions le R. P. Lagrange d'apporter un témoignage biblique en sens contraire“; Delattre *Critérium p. 55.*

[2]) „Comme élément du critérium, la note de gravité est trop élastique; il faudrait un sous-critérium en vingt articles comme pierre de touche des faits vraiment graves, d'autant plus que l'incident le plus futile devient souvent grave par suite de circonstances variant à l'infini“; Delattre *l. c. 44.* — Criterium tandem addens *‚un fait dont on savait qu'il avait pu être attesté, transmis‘* ex una parte; et ex altera parte: *„surtout s'il s'agit d'un fait révélé“*, vix non sibi contradicit. Prorsus intolerabile apparet, quando negative determinat, auctori sacro non necessario esse credendum, quando rem aedificantem narraverit vel historiam prophetica m.

verum dixisse videbitur (scriptor sacer), ubi hoc dixerit, quod lector sapit, cum vero contra sensum lectoris aliquid occurrerit, officioso mendacio deputabitur? non enim deesse poterunt causae, cur existimetur non solum potuisse, verum etiam debuisse mentiri, si huic regulae conceditur locus" *(ep. 40 [al. 9], 3.*

δ) Quae vera hac in re tenenda sint, meliore jure et ratione exposuit ex sensu communi Schiffini: „Quoties quis non in modum psittaci canens, sed sana mente et serio quidquam contigisse narrat, ipse se exhibet quasi testem veritatis eorum, quae enuntiando contigisse affirmat aut negat . . . Haec est elementaris regula humanae locutionis, quam non possunt ignorare, qui ceteroquin tantam peritiam linguarum orientalium ostentant, siquidem etiam orientales fuerunt et sunt homines . . . Quoties igitur quis sana mente et serio quidquam reipsa contigisse enuntiando affirmat vel negat, ut vera sit ejus enuntiatio, necesse est, rem fuisse prout enuntiatur: quod si hoc est prorsus dicendum de homine veraci, etiamsi humanitus solum loquatur, a fortiori est dicendum de homine inspirato divinitus ad loquendum, voce vel scripto".

„Atque ut sistamus in exemplo de diluvio noachico, certe scriptor sacer, qui in Genesi illud narrat, minime procul dubio significat, coaevos suos ita rem contigisse opinatos esse, sed factum quoddam historicum, ut historicum, aperte testificatur. Cum Moyses hanc narrationem scripto edidit, vel ipse quoque fuit deceptus habens ut veram communem illam opinionem de diluvio, vel contra scivit illam esse confictam et erroneam. Si primum, eo ipso narratio genesiaca est falsa, quia est expressio falsi judicii; sin alterum, narratio, nedum sit falsa, sed praeterea Moyses fuit mendax ac miserrimus impostor; in neutra hypothesi quasi scriptor inspiratus censeri potest."

„Dicetur fortasse, neutrum a Moyse creditum fuisse, videlicet opinionem illam, juxta quam scribebat, neque habuisse ut veram, neque habuisse ut falsam. Qui ita subsumeret, nec ipse intellegit quae dicit. Imprimis enim, etiam hac hypothesi conficta, narratio a Moyse conscripta pergeret esse purum putumque mendacium; neque enim quis solum tunc mentitur, cum exteriore sermone affirmat quidquam reipsa contigisse, quod interius negat; verum etiam quoties nihil interius judicans de re, quam profert, eam tamen sermone exteriore affirmat aut negat. Insuper, quale est istiusmodi locutionis genus, quo nihil dicitur, sed psittacorum more voces solum sine mente proferuntur? estne haec inspiratio divina quam catholica credit ecclesia? Non puto" *(o. c. p. 153 sqq).*

2. Neque melius criterium proponitur ab Hummelauer, qui censet, tunc a vero sensu historico exegetae declinare merito licere, quando historicae interpre-

tationi graves obstent rationes seu difficultates. Primo intuitu et ipsum nimis vagum, arbitrarium, subjectivum est.

„Der Ausdruck ‚schwere Bedenken' ist — ita Egger *p. 187* — unbestimmt und dehnbar; zumal nach H. ‚in historischen und litterarischen Fragen eine größere Anzahl an sich geringerer Bedenken mitunter auch einem schweren Bedenken gleichkommen'. Wo [aber] findet unser kritisches Zeitalter nicht Bedenken? Daß Sara mit 90 Jahren noch durch ihre Schönheit dem Pharao gefallen hat, ist jedenfalls sehr bedenklich; also kann diese Erzählung [die einen solchen Zug berichtet] nicht streng historisch sein. Die Verwandlung der Frau des Lot in eine Salzsäule scheint so unwahrscheinlich, daß man sich für berechtigt hält, vom natürlichen Sinn abzugehen; erinnert ja diese Geschichte ganz an die Niobe der Griechen. Die Erzählung von der Blutschande Lots mit seinen Töchtern gleicht eher einer Satyre als wirklicher Geschichte (Lagr. *Méthode hist. p. 93, 202, 203, 207).* Namentlich enthalten die Erzählungen der elf ersten Kapitel der Genesis so viele wunderbare Vorgänge, welche weit über das Normalmaß göttlicher Wunder hinausreichen, wie z. B. die Erschaffung des Weibes, die Paradiesbäume, die Schlange, das Lebensalter der Patriarchen, die Sündflut, die Sprachenverwirrung usw., daß man diese Erzählungen, wenn nicht als Mythen, jedenfalls als Legenden oder Volkstraditionen auffassen zu dürfen glaubt".

3. Lagrange tandem aliquando sibi ab alio, prorsus ab illo priore distincto criterio *(Sub-criterio)* suffugium quaerit, recursum nobis adaperiens ad authenticam declarationem ecclesiae: „Je ne fais aucun acte de foi sur une proposition biblique sans qu'elle me soit proposée par l'Église selon son vrai sens" *(Eclaircissement p. 82).*

a) Merito ei reponit Delattre: „C'est reconnaitre qu'en aucun cas, le critérium ne suffit pour dégager du reste de l'Écriture l'expression des dogmes, ou du seul élément que le critérium fait profession de sauvegarder" *(l. c. p. 62). Etenim* ubi primum aliquid tanquam id cognoscere possum, quod in certo quodam sensu ad Scripturam seu verbum divinum pertineat, eo ipso actu fidei divinae id possum admittere; dicens igitur propter ipsam Scripturam nil posse fide admitti, Lagrange declarat, ad nihil vere dignoscendum criterium illud prius a se statutum sufficere.

Ceterum quemadmodum Lagrange, ita et alii hujus viae auctores, libenter provocant ad auctoritatem ecclesiae, ubi primum nimirum aliter difficultatibus jam se extricare non possunt. Est ipsis deinde „Deus quidam ex machina", quem jure merito hisce auctoribus ludibrio vertit card. Billot dicens: „Nec demum ulla ratio habenda est considerationis quam afferre solent, ut persuadeant vitari et corrigi inconvenientia ex biblicis erroribus alias enascitura, per hoc quod ecclesia magistra veritatis infallibilisque interpres nobis provisa sit; nam hic [ex systemate illorum] est Deus ex machina, quem reservant et in promptu habent pro omni casu desperato. Destruunt unam post aliam omnes dogmaticas demonstrationes, quae ex fonte tam scripturali quam traditionali deducuntur; et cum interrogas, ubinam tandem aliquando quaerendum sit dogmaticae veritatis fundamentum: ecce tibi ecclesiae infallibilitas. Abeunt in quamlibet temeritatem, ipsas primas fidei bases in ruinam et scandalum multorum convellendo; et cum ab eis petitur, ut tantae suae licentiae rationem reddant, respondent id exigere progressum scientiae, nihil obtinere posse, nisi aliquid sub periculo sit, caeterum adesse infallibilem ecclesiam, quae potens est cunctos, si occurrant, reprimere errores" *(de inspiratione s. scr.² 130)*.

b) Ast si ad ecclesiam jam adeundum est, audiamus potius eandem ecclesiam cum tot et tantorum testium unanimi consensu quoad ipsam s. historiam aperte profitentem: „Tantum abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum summam Veritatem nullius omnino erroris auctorem esse" *(enc. Providentissimus n. 30)*.

Scholion: Numquid igitur verum est, quod inter alios Loisy theologis vitio vertit: eos nimirum sacrae historiae absolutam attribuere veritatem?

Quoad hanc rem distingue: absolute vera est s. historia *eo tantum sensu*, quo nullus ejusdem textus authenticus unquam positive difformis a vero esse vel errorem formalem continere potest. *Sub alio autem respectu* etiam historiae sacrae relativa tantum veritas attribui debet. Sic confitente ipsa s. Scriptura (v. g. *Jo 20, 30)* ab historiographis sacris non omnia narrantur, quae de aliquo subjecto, vel de Christo, facta sunt et narrari per se possunt; sed pro fine suo elegerunt, quae magis ipsis proficua fore existimabant. Historia igitur sacra sit historia religiosa; nec sit saecularis vel completa, nec „critica" vel comparanda cum historia „moderna": hac tamen praerogativa in omni casu ex divina

inspiratione exornata est, quod nihil affirmat vel narrat ut verum, quod est falsum, nihilque respuit ut falsum quod est verum (Pesch *n. 517* et hic supra *p. 316 sq).*

Etiam eo sensu sacra historia relative tantum vera est, quod hinc inde loquitur in formulis indeterminatis et summariis. Ita in evangeliis saepe recurrunt phrases: *„in diebus illis"*, *„facto aliquanto tempore"*, *„post aliquot dies"* rem accidisse; in numeris saepe restrictio quaedam adhibetur ut *„circiter tria millia"*, et frequenter ex ipso usu inter homines communi fere intellegi potest, de numeris agi summatim vel approximative adhibitis; in qua re reapse „juvabit transferri", quae supra de rebus physicis exposuimus.

Poterit tandem aliquando etiam accidere, ut sacer historiographus rem aliquam enarret, fidem relinquens aliis, quorum verba exhibet; ita quando initio *libri 2 Mach* epistolam judaeorum allegat, vel quando *Act 7* sermonem adfert s. Stephani; de quibus retineas, quae supra *(p. 178 sq)* de veritate citationis, in oppositione ad veritatem rei citatae disputavimus.

Articulus IV.

De indole propria s. Historiae.

Jam alteram viam ingrediemur, quae quidem longior et magis implicata, non minus tamen necessaria est. Qui enim inter exegetas catholicos placitis subscribunt scholae cujusdam largioris, communiter agnoscere videntur et ipsi, patres ecclesiae unanimi suffragio absolutam historiae biblicae veracitatem depraedicare. Neque tamen concedere volunt veram adesse oppositionem ad eorundem patrum ecclesiaeque ipsius doctrinam, si quis docuerit historiam eandem ejusque enarrationes ex multiplici capite deficere neque plenam mereri fidem. Patres enim — ita arguunt — supponunt s. Scripturam nobis suppeditare historiam vere et proprie dictam. Hanc tamen suppositionem salva auctoritate ss. patrum negari posse addunt; neque enim quidquam impedit, quominus in libris sacris ex forma externa historicis peculiare quoddam genus litterarium historicum admittatur, quod tam absolutam veritatem ob propriam suam indolem non exigat, imo et respuat. Profecto — hanc addunt rationem — unumquodque genus litterarium propriam suam veritatem habet, neque eadem veritas, sensum historicum quod attinet, quaerenda est in parabola quae in narratione historica, neque iterum eadem in historia secundum principia veterum conscripta, quae jam invenitur in historia moderna seu critice elaborata. Vera igitur Scrip-

tura ejusque historia manet in omni casu, sive cum patribus sive cum schola larga senseris, eo tamen sensu vera, quem peculiare ejusdem genus litterarium fert.

Sic tota disputatio delabitur ad distinctionem quandam generum litterariorum intra ipsum ordinem historicum faciendam. Et si forsitan adhuc exceperis, patres de ejusmodi distinctione intra ordinem historiae ne de longe quidem cogitasse, reponent id ad ecclesiam non spectare, sed ad scientias potius profanas, quae ex principiis artis criticae jam melius excultis tuto ejusmodi genera discernere valeat. Unde, etiamsi patres in dijudicanda et aestimanda sacra historia erraverint, eos ut homines errasse autumant in re ex toto genere suo profana.

Et certe, si adversariis credere licet, difficultates adsunt insuperabiles, et in dies per impigram eorum, quae ex visceribus terrae effodiuntur, documentorum investigationem excrescunt et a rationalistis nobis obtruduntur. His premimur, et opprimimur; non est, cur nobismetipsis ultimum perfugium claudamus vel tam efficax spernamus remedium. Videamus igitur prius ipsum remedium quale sit, dein utrum salva doctrina catholica admitti possit.

§ 1. Genera ipsa historica recensentur.

I. Distinctio generum litterariorum, de qua nunc sumus solliciti, non ad rem litterariam in universum spectat, sed ad ipsum ordinem historicum; et cum historia proprie dicta accuratissime, quantum fieri potest, res gestas exponat, horum generum historicorum proprium erit, facta certo quodam modo enarrare cum diminuta quadam veritate vel diligentia. Ut ejusmodi genera historica praeprimis adferuntur historia religiosa, antiqua seu non-critica, mythica sive legendaria, ea denique quae fit secundum traditiones populares.[1])

[1]) Recenset Hummelauer inter haec genera praeter parabolam, etiam historiam *epicam [romanensem], liberam [historischer Roman], midrašicam*. Haec tuto praetermittere possumus; proprie loquendo immerito inter genera litteraria historica recensentur, id quod ipse H. saltem de aliquibus eorum concedere videtur, cum *l. c. p. 9* asserit: „Wir haben im Vorhergehenden von drei Arten der Erzählung gehandelt, welche keinen oder geringeren historischen Gehalt haben; wir gehen nunmehr zum anderen Extrem der Reihe über, zur Geschichte selbst." Ceteroquin quae exponuntur, facile etiam ad haec genera adplicantur, de quibus, quae dicuntur, etiam a fortiore valent.

1. Religiosa historia vocatur ea, quae aedificationi legentium tanquam fini prorsus inservit. Veritas hujus historiae propria et sufficiens eo habebitur, quod materiam suam rudioribus quibusdam lineamentis exhibet; ceterum sat largam sibi libertatem vindicat cum in rebus

---

Nota. Jam saepe in antecedentibus ad Hummelauer ejusque librum *Exegetisches zur Inspirationsfrage* tanquam ad testem scholae largioris provocavimus; saepius etiam id fiet in tractatione sequente. Ne tamen inique de hoc auctore sentias, aequum esse nobis videtur, hic pauca addere de proprio conatu et studio hujus viri.

Inprimis auctor ille non tam propriam sententiam libro suo profert, quam relatorem agit eorum, quae ex temporibus, quibus litterae encyclicae Leonis XIII de re biblica emissae sunt, in scriptis et elucubrationibus catholicorum ad quaestionem biblicam largius illustrandam in lucem prodierant. „Was (der Verfasser) bietet, ita ipse *praefatione operis p. VI,* ist nicht so sehr seine Arbeit, als Zusammenstellung des von andern Gebotenen: vieles, was sich in Büchern und Zeitschriften zerstreut fand, eröffnete, wenn passend zusammengestellt, überraschende Ausblicke."

Licet *deinde* auctor ipse hinc inde causam prolatam suam facere videtur, eam tamen semper ut probabilem tantum potius discussioni offert, qua, quae sic proponuntur, magis illustrentur, corrigantur, ad justos limites restringantur. „Die Zeit — ita iterum ipse — für eine abschließende Arbeit über die Inspiration ist noch nicht gekommen; Verfasser wollte seinen Beitrag zur Diskussion liefern. Diese mag dann das Gebotene ergänzen, berichtigen und so die Frage ihrer endlichen Klärung näher bringen" *(ib).*

Quamvis *denique* novellis sententiis non obscure etiam favere videatur, moderatione tamen et cautione longe distat ab iis, quorum doctrinas colligit. Hac in re faveas ex. g. ea legere, quae ex celebriore opusculo *la méthode historique* de primis undecim capitulis Geneseos vel de modo historiam scribendi veterum mox a *p. 393* ipsi proferemus, et ista cum iis conferre, quae H. *l. c. p. 20* de eadem re proponit dicens: „Indessen nicht bloß im großen ganzen, sondern auch in sehr vielen Einzelheiten sind wir der vollen historischen Wahrheit durchaus sicher: hinsichtlich aller jener Tatsachen nämlich, welche zur Glaubens- oder Sittenlehre in innerer Beziehung stehen. Das sind aber nicht etwa bloß die sog. ‚dogmatischen Texte'. So ist z. B. eine der wichtigsten Glaubenswahrheiten, welche uns die heil. Geschichte einprägen will, diejenige von Gottes Fürsorge . . . Wie vieles in der heil. Geschichte steht aber mit dieser einen Wahrheit in Zusammenhang! Im großen ganzen alles".

Id profecto Hummelauer perfecit, ut recentiores vias vel devertícula tam lucide exponeret et digereret, quam ante publicationem libri ipsius nuspiam factum est. In hoc conatu vero non exiguum meritum habet contra eos, qui semper nescio quae integumenta sive involucra assumpserint, quibus pravos conatus obtegere conarentur. Haec etiam unica ratio est, cur in sequentibus disputationibus frequentius ad ipsum provocemus ut ad eum, qui materiam hanc pro discussione aptius subministraverit.

ipsis seligendis tum etiam in modo minus accurato easdem enarrandi.

De hac re Hummelauer hunc in modum disserit: „Es gibt nun einmal in der Bibel keine Geschichte um ihrer selbst willen, keine Geschichte, deren letzter Zweck die Wiedergabe von Geschehenem ist. Alle inspirierte Geschichte ist religiöse Geschichte, geschrieben um der religiösen Erbauung willen . . . Bei so wesentlicher Verschiedenheit des Zweckes ist selbstverständlich auch die literarische Art und die von derselben geforderte Wahrheit in etwa verschieden von derjenigen, welche der Geschichte im strengeren Sinne eigentümlich ist . . . Wer zur religiösen Erbauung schreibt, erzählt gewiß nicht alles, was er in seinen Quellen vorfindet; er trifft eine Auswahl des Stoffes, und zwar in erster Linie vom Standpunkt nicht der Geschichte, sondern der Erbauung . . .; er wartet weder, bis alle Quellen beigebracht sind, noch bis eine vollendete kritische Methode ermittelt worden ist; die Menschheit hat ein Recht auf religiöse Erbauung auch durch die Geschichte, noch ehe die Geschichtswissenschaft ihre volle Reife erreicht hat" *(p. 10 sq)*.

2. Antiqua porro seu non-critica historia hic non ea intellegitur, quae de rebus agit vel gestis antiquis, sed quae eo modo conscripta est, quo veteres olim scriptores spectatis propriis suis moribus et conditionibus scribebant vel et scribere debebant: quae cum quoad apparatum criticum defecerit, etiam quoad veritatem necessaria accuratione destituta erat. Veritas hujus historiae generalior quaedam harmonia erit cum ordine objectivo historico, quae conjungitur cum libera vel et poëtica rerum tractatione.

De hac re idem auctor hanc exhibet expositionem: „Die alttestamentlichen Autoren konnten keine kritische Geschichte schreiben, weil es zu ihrer Zeit keine kritische Geschichte, ja nicht einmal den Begriff der kritischen Geschichte gab. Man war sich der Wichtigkeit einer möglichst ausgiebigen Quellenbenützung nicht bewußt; es fehlten die Mittel, die Quellen zu beschaffen, es fehlte die Methode für deren Ausbeutung. Die Hebräer standen in dieser Hinsicht nicht höher als andere Nationen ihrer Zeit. Auch brauchte Gott den inspirierten Historiographen keine über das Niveau ihrer Zeit hinausgehende Befähigung zu erteilen; sie trieben Astronomie ohne Teleskop, Naturgeschichte ohne Mikroskop und Geschichte ohne kritische Methode; dabei hatten sie die Assistenz des Heiligen Geistes" *(p. 13)*.

„Die alttestamentlichen Geschichtsschreiber schrieben also alte Geschichte . . . Die antike Geschichte, darauf angewiesen, mit unreifer Methode ein beschränktes Material zu verarbeiten, gestaltet das Vorhandene gewissermaßen auf epische Weise: den Quellen entnimmt sie den Gang der Ereignisse, die Charaktere der Handelnden; sie liest und hört, sie kombiniert und ahnt und gestaltet demgemäß ihre Erzählung . . . Der Geschichtsschreiber des Altertums ist immer zu gutem Teil Dichter"; „und je weniger er im stande ist die Dinge kritisch zu durchdringen, einen desto weiteren Spielraum hat notwendig die Poësie, die Einbildungskraft in seiner Auffassung und in seinen Reden" *(p. 14)*.

„Die dieser Art zukommende Wahrheit besteht in allgemeiner Uebereinstimmung der Erzählung mit dem Tatbestand bei einer gewissermaßen epischen Freiheit in der Darstellung" .. „Dieser Art gehört die Geschichte des Volkes Israel an . .; dieser literarischen Art sind die Geschichtsbücher des alten Testamentes jederzeit beigezählt worden" *(p. 16. 18)*.

3. Historia deinde seu traditio popularis ea enarrat, quae per traditionem oralem a generatione ad generationem transmissa sunt; haec ex ipsa ratione horum fontium multis fabellis adaucta in accurata veritate deficit. Ejus veritas iterum in fundo quodam seu nucleo invenitur, qui populari illo tradendi modo obducitur et investitur. Huc pertinent enarrationes Geneseos, vel omnes vel ex parte.

a) Hummelauer rem hanc his describit: „Die Volkstradition ist ein Kind mündlicher Ueberlieferung. Bleiben Tatsachen der mündlichen Ueberlieferung von Menschen einfachen Sinnes überlassen, wandern sie von Geist zu Geist und von Mund zu Mund weiter durch eine Folge von Geschlechtern, dann erfahren sie naturgemäß eine Umgestaltung entsprechend der Individualität der Einzelnen und der Geschlechter, durch deren Geist sie hindurchgehen; sie ändern derselben entsprechend ihr Kolorit . . Diese Volkstradition hat also einen historischen Kern, während ihre Form durch natürlich spontane, nicht durch künstlich gesuchte Epik bestimmt wird. Das Verhältnis von Wahrheit und Dichtung ist in verschiedenen Volkstraditionen verschieden; manche sind nahezu Geschichte, andere enthalten bloß einen kleineren geschichtlichen Kern; zur Bestimmung, wo Geschichte aufhört und Dichtung anfängt, dient der Vergleich mit geschichtlichen Quellen, in untergeordnetem Maß der Vergleich mit den Traditionen anderer Völker" *(p. 22 sq)*.

„Die der Tradition eigentümliche Wahrheit ist die einer durch natürliche Entwicklung ins Epos übergehenden Geschichte: bei historischer Wahrheit des Kernes die Naturwüchsigkeit der Einkleidung . . Die Volkstradition enthält immer etwas historische Wahrheit, mitunter sehr viel, aber nicht ohne Beimischung [verstehe: von Unwahrheit]“ *(23)*.

b) Non ita distinctim sed multo longius progreditur Lagrange suo celebriore opusculo *la méthode historique* loquens — α) de historia primitiva: „Possédons-nous des souvenirs historiques de ces temps reculés qui ont précédé Abraham? Nous avons déjà fait pressentir que cela était impossible. Il y a là une immense lacune. Le peuple qui nous fournit les documents les plus anciens, antérieurs de deux ou trois mille ans à Moïse, l'auteur biblique le plus ancien que connaisse la tradition — ce peuple, dis-je, ne contient rien d'historique sur ces immenses périodes sombres, vraiment plongées dans la nuit du temps“ *(p. 209)*.

„Une histoire stricte était impossible, et cependant il importait de montrer par une chaîne continue l'unité de l'histoire du salut. La Bible évite les contes absurdes ou malpropres; on n'affecte pas d'ignorer le péché, mais il est puni, non pas glorifié comme s'il changeait de nature en devenant le privilège des héros. Elle s'abstient même de contes en l'air. Elle s'attache au tangible, aux inventions encore, elle dit leur origine, leur progrès, et laisse ces inventions dans une pénombre, qui n'a même pas l'apparence d'une histoire circonstanciée. Si la personnalité de Lamec paraît se détacher sur ce fond, c'est par une complainte poétique. L'auteur pouvait-il nous dire plus clairement que pour ces périodes il n'existait pas d'histoire?“ *(212)*.

„L'histoire officielle des Hébreux coïncide très bien avec l'histoire officielle des Assyriens; . . . leur histoire primitive, qui aurait pu emprunter tant de faits de l'histoire générale aux documents assyriens et égyptiens, ne se rattache que sur quelques points à la tradition babylonienne: dans la tradition babylonienne ces points ont du moins les apparences du mythe religieux“ *(200)*.

β) „Y aurait-il donc des mythes dans la Bible? L'opinion commune se soulève à cette pensée et ne veut pas entendre prononcer ce mot. Quelques auteurs catholiques, de jour en jour plus nombreux, demandent à distinguer. Naturellement ils ne tiennent au mot, si le mot fait de la peine; mais ils le trouvent commode pour exprimer la ressemblance, du moins extérieure, entre les mythes et l'histoire primitive. Seulement, ont-ils soin d'ajouter, les éléments mythologiques qu'on trouve dans la Bible sont soigneusement ‚dépouillés de leur couleur polythéiste, ils servent seulement à revêtir de hautes pensées religieu-

ses' (Höpfl, *die höhere Bibelkritik [1902] 63)* . . . Je pense pour ma part qu'il vaut mieux écarter définitivement le mot, parce que . . l'usage attache au mot mythe l'idée d'une religion fausse et même puérile[1]) . . . Entre le mythe, qui est l'histoire de choses considérées comme des personnes et ensuite comme des dieux, et l'histoire proprement dite il y a l'histoire primitive légendaire" *(208).*

γ) Ita iste auctor ab historia primitiva, quae coincidere fere videtur cum traditione populari vel antiqua historia, suum discursum incipit, cui tribuit religiosum finem; et rem demum deducit ad historiam legendariam, quae non multum vel omnino non, nisi forte nomine *(p. 201),* distinguatur ab historia mythica (sive mythologia). Ita pervenimus et nos in expositione ad novum quoddam genus historicum, ad historiam mythicam seu legendariam, quae est proprium inventum hujus auctoris.

4. Historia mythica vel si mavis legendaria ea est, quae si non integre ex mythis et fabellis composita est, iis tamen utitur in expositione rerum quasi proprio fonte. Hoc genus litterarium Lagrange maxime in primis capitibus Geneseos invenit, quibus proprie mythos sive, ut ipse vult, conceptiones mythologicas nobis per sacrum auctorem transmissas esse declarat.[2]) A mythis mythologicas suas conceptiones distinguit eo, quod mythi ex usu communi superstitiosum aliquid admixtum habeant, cum res Geneseos ab ejusmodi perversis et absurdis additamentis immunes se servaverint. Nihilominus historia, quam Scriptura tradit de muliere Lot, isti auctori simillima est ei, quam mythi paganorum exhibent de Niobe.

Quae vero veritas ejusmodi historiae erit? Res difficilis est dictu; exponam verbis authenticis auctoris hujus rei: „La légende biblique a toujours soin d'avoir comme

[1]) *P. 201 s.* — Nihilominus idem auctor postea *p. 205* declarat: „Nous pouvons maintenant préciser, quelles sont les conceptions mythologiques qui peuvent se rencontrer dans la Bible et celles qui en sont exclues": et has conceptiones mythologicas, quas dicit in erronea rerum naturalium consideratione fundari *(206),* in exemplo comparat cum iis, quae ethnici tradunt de Niobe *(202).*

[2]) Ex omnibus rebus ibi narratis unam solam rem vere historicam vult retinere: quae nimirum traduntur de peccato originali; neque haec quoad omnia, sed solum quoad substantiam facti; neque hoc propter ipsam narrationem s. Scripturae, sed propter auctoritatem ecclesiae, quae rem authentice declaraverit.

à l'arrière-plan du tableau une réalité qui domine l'horizon, au fond du désert ou dans le passé" *(215).*

II. Haec principaliora illorum auctorum genera sunt; in his generibus apte discernendis, ex eorundem sententia integer fere s. Scripturae sensus et intellectus quasi in cardine vertitur. Inde demum finis proxime ipsius hagiographi, indirecte etiam ipsius Dei cognoscendus erit; et fine seu intentione semel cognita ulterius progrediendum erit ad sensus divinos cognoscendos sive ad veritatem eam historicam determinandam, quae singulis s. Scripturae historiis proprie competat: quae utique hinc inde ad minimum, si non ad nihil reducitur.[1])

Multa sic verbis multis discernunt et distinguunt. Duo genera certe desiderantur secundum illos auctores in ss. Litteris: historia vere proprieque dicta, quae etiam expressis verbis excluditur tanquam impossibilis, et historia divina seu prophetica (sensu s. Augustini intellecta). Nos e contrario prius ostendamus, historiam s. Scripturae considerari debere tanquam historiam proprie dictam divinitus datam; deinde adjungemus, quae quoad singula genera ab adversariis distincta ex principiis catholicis in specie dici possint.

§ 2. Libri sacri historici historiam proprie dictam tradunt.

Historiam proprie dictam hic illud genus litterarium intellegimus, quo quis res vere gestas ita enarrare contendit, ut objectivae realitati et historicae veritati respondeant[2]);

[1]) Cf. Hummelauer *o. c. p. 3;* Peters *die grundsätzliche Stellung usw. p. 71.* — Lagrange in *revue biblique V (1896) 507* magis in genere de hac re disserit, cujus idearum connexio hisce fere patebit: „L'intention de l'auteur se manifeste par le genre qu'il a choisi"; etenim: „L'écrivain sacré n'enseigne que ce qu'il veut enseigner". Atqui: „Dieu n'enseigne infailliblement que ce que l'écrivain sacré enseigne". Omnis igitur s. Scripturae intellectus ab ista distinctione generum litterariorum pendebit. Et unde determinatio seu judicium de genere litterario dependet? Si his auctoribus credere fas est, hoc spectat ad scientias profanas, ad criticam, hermeneuticam . ., non ita directe ad ecclesiam neque ad patres ecclesiae, neque ad theologos. Consequentia patet: tota interpretatio Scripturae ex hac parte in ipsa radice ad scientias profanas demandatur.

[2]) Cf. *decret. commiss. bibl. d. d. 30. Junii 1909 dubium 2.*

ideoque et media proportionata ad veritatem inveniendam adhibeat.

Quaesiveris a limine disputationis, unde cognoscendum sit, num quis res vere gestas nobis enarrare intenderit an forsitan facetias proferens nos delectare vel legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum aedificationem componere voluerit. — Certe sunt casus rariores, in quibus expressam declarationem auctoris expectemus; communiter omnino sufficit, ut auctoris modum narrandi observemus et inde ad ejusdem propriam intentionem cum plena certitudine dignoscendam progrediamur. Si igitur s. Scriptura in narrationibus suis plane affirmate procedit modumque auctorum aliorum teneat, qui historias conscribunt, praesertim si nulla unquam re, ne minimo quidem indicio insinuat se veritatem eorum, quae exponit, factorum libero legentium judicio discernendam committere: ex communi criterio ejus narratio tanquam vera et propria historia agnoscenda est.

Idem a fortiori tenebimus, cum scriptores non raro expresse factis enarratis objectivam veritatem et realitatem vindicant; cum v. g. quis attestatur: „se scire quia vera dicit", vel accuratam methodum a se adhibitam esse contestatur. Haec si ante oculos tenueris, facile res nostra evincitur.

I. Res inprimis ex ipsis sacris litteris earumque libris historicis in se inspectis ostenditur. Neque necessarium est idem de omnibus et singulis ejusmodi libris ostendere et repetere; sufficit ut hoc de uno vel altero libro expressius ostendamus, cum idem deinde necessario de aliis admittatur, qui manifesto in eodem cum iis genere litterario reperiantur.

1. Expressiora quaedam testimonia adferuntur.

a) Initium faciamus cum Joanne ultimo sacro historiographo. Ejusdem evangelii indolem vere historicam Knabenbauer accuratius ostendit in *Stimmen aus M. Laach LXVII (1904, 2) p. 361 sqq.* Affert multa ex hoc evangelio, quorum historica accuratio *(quoad ordinem chronologicum, loci et temporis circumstantias)*, nisi historicam indolem, necessario fraudem in auctore argueret vel inanem utique fictionem supponeret, quasi Joannes evangelium suum ad paucos discipulos ordinasset, qui modum ejus res allegorice tractandi non ignoraverint.

α) Neque tamen opus est longo discursu in re evidenti; satis est ea notare, quibus apostolus caput vigesimum evangelii sui conclusit: „Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc; haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine Ejus". His vero indoles vere historica omnium, quae in isto evangelio narrantur, miraculorum a sacro auctore ipso affirmatur et extra omne dubium ponitur. Miracula enim quae ibi enarrantur signa declarantur, quibus fideles ad Jesum Messiam et filium Dei agnoscendum adducantur. *Atqui* ejusmodi vis miraculis et signis tunc tantum inest, cum in ordine historico cum plena veritate acciderunt. „Oder — ita Knabenbauer *l. c. 371* — seit wann sind erdachte Symbole Beweise für den Charakter und die Taten einer geschichtlichen Person?"

Neque sola miracula et signa historice vera declarantur. — Ubi de passione Domini agit s. Joannes, ea quoque enarrat, quae in apertione lateris Christi acciderunt. Hoc factum per se tanti momenti esse non videtur; ipse evangelista vero addit: „Et qui vidit, testimonium perhibuit et verum est testimonium ejus". Et statim affirmationem et attestationem suam in universa a se dicta extendens addit: „Et ille scit, quia vera dicit; ut et vos credatis".[1])

β) In eundem sensum verba intellexeris, quibus totum evangelium *(21, 24)* concluditur, quae verba certe inspirata sunt[2]), sive ab ipso Joanne, sive ab alio auctore addita sunt: „Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec: et scimus, quia verum est testimonium ejus". Hoc quam maxime de factis quoque historicis valere, ex immediato contextu patet, cum statim adnectatur: „sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus; quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros".

γ) Ad evangelium suum fidelibus commendandum Joannes primam suam epistolam scripsit. Ex eadem consideratione dignis-

[1]) *19, 35; coll.* iterum *20, 31,* ubi de omnibus asserit: „Haec scripta sunt, ut credatis".

[2]) Cf. hac de re *Stimmen M. L. LXVIII (1905, 1) p. 156.*

sima sunt verba, quibus evangelii sui argumentum ejusque finem indicavit et de ipsis factis evangelicis hoc fert testimonium: „Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis; quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum . . . Haec scribimus vobis, ut gaudeatis et gaudium vestrum sit plenum." Dubito an veracitas testificationis expressius adfirmari non possit.[1])

b) De evangeliis synopticis Knabenbauer *l. c. 362* asserit: „a nemine in dubium vocari, quod auctores trium illorum evangeliorum historiam tradere velint historiamque tradant." Manifestum enim est: Matthaeum, qui ostendere voluerit Jesum in se adimplevisse vaticinia prophetarum, facta vere narrare debuisse; Marcum, qui in miraculis potentiam Domini illustret, non falsa vel ficta miracula jactare potuisse.[2])

Audiamus tamen unum ex ipsis accuratius. „Quoniam quidem — ita Lucas evangelium suum incipit — multi conati sunt ordinare narrationem quae in nobis completae sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem". Historicam sui operis indolem ejusque summam accurationem et fidelitatem evangelista, assecutus omnia a principio diligenter, vix expressius affirmare poterat.

---

[1]) Hanc seriam apostoli sollicitudinem, etiam in iis, quae ad facta mere historica spectant, optime illustrant, quae de eodem narrantur apostolo ab Hieronymo *de vir. illustr. c. 7* et a Tertulliano *de bapt. 17*: „Sciant in Asia presbyterum, qui eam scripturam *(de actis Pauli et Theclae)* construxit, convictum atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse". Quibus verbis addidit Hieronymus, judicium illud apud Joannem evangelistam factum esse. Quodsi deinde evangelista amore Jesu facta in evangelio conscripsisset, quibus historica veritas non correspondisset, ipse presbyterum tam graviter muletare non potuit, qui idem amore Pauli fecerit. — De indole historica hujus evangelii cf. *decret. Lamentabili propos. 16; decret. commiss. bibl. d. d. 29. Maii 1907 dub. 3.* Neve quidquam ex reliqua traditione ecclesiastica addamus hac in re evidenti!

[2]) De evang. Matthaei cf. *decr. comm. bibl. d. d. 19. Junii 1911 dub. 6 et 7.* — De historica evangeliorum indole agit et Hoberg *Jesus Christus, apologetische Vorträge etc.*[2] *(1911) p. 1 sqq.*

De eadem re agit Lucas, ubi alterum suum aggreditur opus historicum, Actus nimirum apostolorum, dicens: „Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Jesus facere et docere usque in diem, qua praecipiens apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est". Dicens vel distinguens, quae coepit Jesus facere, ab iis quae docuit, utique hisce factis curam et diligentiam eandem eodemque modo impensam esse fatetur ac doctrinae Domini; et adjungens illud *„primum quidem"*, affirmat se nunc eadem diligentia qua olim ea digerere velle, quae post resurrectionem et ascensionem Christi in regno Ejus in terris fundando et propagando acciderint. — Etiam finem sibi propositum s. Lucas declarat eum, ut qui legat cognoscat sicut Theophilus „eorum verborum veritatem". — Ceteroquin notum est, Lucam mores et consuetudines celeberrimorum scriptorum aetatis suae, qua floruerunt ante Thucydides et postea Tacitus, perfecte imitatum esse.

c) Sed et inter historiographos veteris testamenti auctor libri secundi Macchabaeorum munus historiographi non ignorabat dicens: „Intellectum colligere et ordinare sermonem et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiae congruit auctori". Et quamvis sibi concedendum esse postulat: „ut brevitatem dictionis sectetur et executiones rerum vitet" *(2, 32)*, tamen ad finem libri *(15, 39)* de suo conatu professionem edit hanc: „faciam finem sermonis; et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim".

2. Ita animum suum ostendunt sententiamque aperiunt, quando in propria sua causa sacri scriptores loquuntur; imo quando in genere manifestant, quale sit munus ipsius historiae qua talis. Cum hisce libris autem, in quibus ejusmodi enuntiationes expressiores inveniuntur, reliqui libri historici s. Scripturae certam conformitatem et homogeneitatem prae se ferunt. Unde merito eadem principia his quoque applicantur; tanto meliore jure, quod omnes libri sacri historici unum finem prosequuntur unumque integrum systema vel totum quoddam organicum constituunt.

Hoc a fortiori valet, cum a scriptore ministro ad auctorem principalem Deum oculos converteris. Hic enim, qui apud Joannem narrationem suam incepit verbis illis sollemnibus: „in principio

erat Verbum . .", eadem sollemnitate eademque gravitate primam omnium enarrationem historicam inchoabat: „in principio creavit Deus coelum et terram". Et qui apud Joannem deinceps tradit fata et gesta Verbi incarnati, idem eodem tenore libris Geneseos et deinceps enarrat mihi, quae facta sunt cum mundo creato. Si nolis fidere narrationi Ejus in libris illis antiquis, eodem jure fidem negabis evangelizanti. Valet, quod Hummelauer *com. in Gen. p. 17* declarat: „non minorem primo quam sequentibus aevis curam Deus habuisse censendus est veritatis revelatae"; et quamvis non semper tot aderant fontes historici, quot ars critica jam habet, tamen sufficientes aderant semper, quibus Deus ministrum suum ad veritatem cognoscendam adduxerit, ut idem Hummelauer *l. c. p. 15 sqq.* ostendit.[1])

a) Certe nuspiam in his libris ne minimum quidem signum apparet, quod sacer historiographus veritatem in re historica diminutam praebere velit; e contrario prorsus affirmate in omnibus procedit.

„Les auteurs inspirés — ita Delattre *le critérium p. 55* — se refusent à sacrifier la moindre parcelle de leur récits: ils procèdent par énoncés catégoriques depuis l'histoire d'Adam jusqu'à celle des apôtres inclusivement; nulle part ils n'insinuent même qu'ils font les lecteurs juges d'un seul détail . . . Or, si les historiens bibliques, en racontant ce que tous racontent, ne trahissent aucun doute, ne marquent aucune réserve, comment n'en seraient-ils pas crus? Peut-on n'être pas cru, quand on dit ce que tout le monde croit? Et comment peut-on, dans ces conditions, n'avoir pas l'intention d'être cru?"

b) Ut singula quaedam notemus: sacri isti historiographi ad facta confirmanda provocant ad certas quasdam reliquias ordinis certe historici, quae perduraverint usque ad tempora ipsis coaeva (*„usque ad praesentem diem"*); ex factis istis a se narratis explicant nomina celebriora, quae secundum veritatem stricte historicam personis historicis competebant, provocant ad certa quaedam monumenta et documenta, quae coram omnibus extiterint. Alias provocant aperte ad fontes, qui rebus gestis coaevi vel fere coaevi fide dignissimi apparerent; quemadmodum jam in-

[1]) De charactere historico trium priorum capitum Geneseos, quae num „rerum vere gestarum narrationes, quae scil. objectivae realitati et historicae veritati respondeant, contineant", dubitatum erat: cf. *decretum comm. bibl. d. d. 30. Junii 1909.*

venitur in libro Josue v. g. *10, 13:* „Nonne scriptum est hoc in libro justorum?“ Et ne existimaveris, scriptorem fidem relinquere testibus suis, post allegatum testimonium ex propriis suis addit: „Stetit itaque sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei“.

Alias se produnt testes immediatos; ita omnibus iis locis, quibus Moses mandatum divinitus accepit scribendi omnia „verba, quibus tecum et cum Israel pepigi foedus“ *(Exod 34, 27)*, vel quibus postea *Dt. 4, 3* legitur: „Oculi vestri viderunt omnia, quae fecit Dominus contra Beelphegor“. — In aliis spectatorem prodit ipse modus, quo historiographi in rebus gestis enarrandis procedunt, quo et ipsi appareant „annuntiasse, quod viderunt“. „Idipsum colligere licet — ita Hummelauer *in Gen p. 17* — e generationibus caeli et terrae, ubi omnia narrantur ita concinne simul et vivide, ut testem immediatum credideris audire loquentem, et e generationibus Noe, quae testis immediati narrationem referunt“; quod idem repetit idem auctor *p. 26 sq; 30 sq.*

Et quamvis haec ex parte immediate valeant de fontibus et testibus, non de ipsis scriptoribus inspiratis, hi tamen de se cum Luca evangelista dicere poterunt: quod „ordinaverunt narrationem .., sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis“ *(1, 1 sq)*. Id quod et Hummelauer immediate infert: „Ergo sive maturius sive serius haec scriptis fuerint mandata, substantialiter incorrupta fuere tradita“, eo ipso quod in re gesta narranda indolem testimonii immediati tam fideliter adhuc praeseferunt. Et *p. 26* idem auctor concludit: „Narratio biblica speciem prae se fert stricte historicam“.

3. Magis etiam indolem stricte historicam sacra historia populi Israel prodit; qua in re signum prorsus manifestum extat summus candor summaque sinceritas, quibus ibi res gestae enarrantur. Neque gloriosa sunt, quae deinceps de populo illo traduntur: perpetua populi infidelitas adversus Deum suum, continuusque lapsus et relapsus in idololatriam turpissimam, quae per vices excipiuntur suppliciis dirisque Dei judiciis. Quid historiographum ad haec opprobria populo suo attribuenda per-

moverit, nisi sola evidentia rei historica? — Quando autem de regibus et principibus suis gloriosiora jam referre possunt, his etiam addunt facinora et scelera pessima eorum, ut legimus de regibus David et Salomone aliisque deinceps eisdem succedentibus.

Merito hac de re Delattre *Critérium p. 52:* „Ses prophètes, ses poètes, ses psalmistes, ses historiens, n'ont cessé, durant des siècles de lui tenir sous ses yeux cette image si peu flatteuse. Or morigéner un peuple avec tant de sévérité et lui permettre en même temps de rejeter en tout ou en partie, comme apocryphes, les faits allégués à sa honte et pour lui démontrer sa félonie ou lui inspirer une crainte salutaire: quelle folie! Le procédé . . . aurait révolté les Israélites, bons et mauvais, ou du moins aurait exposé sans fruit à la dérision universelle, les écrivains et les prédicateurs assez mal avisés pour l'employer . . . Il est donc certain, que les hommes inspirés qui ont stigmatisé de la sorte l'immense majorité de leur peuple, ont agi avec conviction et avec sacrifice, pour l'acquit de leur conscience; ils demandent d'autant plus croyance à leurs récits ou témoignages, qu'ils ont moins à coeur les faits qu'ils blâment si fort".

Idem in specie illustrat Delattre exemplo Davidis *p. 54:* „Il est de la dernière évidence que les historiens inspirés proposent l'histoire de David comme authentique d'un bout à l'autre. Ils révèlent de toute manière leur admiration pour la piété et les vertus du héros; mais ce sentiment n'empêche pas l'auteur des livres de Samuel *(Rois, livres I et II)* de raconter dans leur horreur native l'adultère et l'homicide prémédité de David. Sans doute un écrivain de cette trempe n'a pas dénaturé l'histoire, il ne l'a pas écrite à la légère, en faveur de l'édification . . . Il demande créance tant pour les faits édifiants que pour ceux qu'il a le moins à coeur dans l'histoire de David . . . Il nous serait aisé de démontrer que toute l'histoire biblique porte le même cachet de sincérité, qu'elle ne renonce nulle part à être crue, et que pour connaître les intentions des auteurs en ce point, il ne faut pas aller les consulter dans l'autre monde".

4. *Exceptio:* Neve dixeris hanc persuasionis speciem vel fucum praeberi quidem per scriptores inspiratos; ast numquid inde merito concludemus eandem esse intentionem inspiratoris Dei? nonne Dei cogitationes aliae et diversae prorsus esse poterant?

Resp.: a) Quaeramus et nos quaestionem necessariam! Si Deus hominibus manifestare voluerit intentionem, quam in libris sacris tradendis prosecutus sit: qua ratione hoc omnino facere debuit? Nonne per sacros suos ministros, quos ut instrumenta adhibuit? Quare merito hac in re intentio sacri scriptoris intentio Dei inspi-

ratoris esse censetur. Valet igitur principium, quod ceteroquin et apud Lagrange legimus *o. c. 93:* „Quidquid auctor inspiratus docet, docet et Deus; et ipsum necessario verum est".

b) *Praeterea* si hac in re intentio Dei non conveniret cum intentione auctoris inspirati, certo divinitus exhiberi debet criterium, unde hoc possit agnosci. Neque alius esset modus istud criterium nobis manifestandi nisi aut per Scripturam aut per magistros, quos ipse statuit authenticos in re religiosa, per testes traditionis sacrae. Ex s. Scriptura nihil unquam adduxeris, nisi quod evincat contrarium, cum ipsa hac in re prorsus affirmate incedat. Sacra autem traditio concedit quidem et docet finem inspirationis esse instructionem religiosam et addit, huic fini sacram quoque historiam inservire; sed ex altera parte vehementissime inculcat, hujus religiosae doctrinae indispensabile fundamentum in absoluta historiae enarratae fide inveniri. Quare neque ex traditione ejusmodi criterium habebis.

II. Ceteroquin ss. patres de indole sacrae historiae alia sensa non fovent, nisi quae Scriptura attentius considerata necessario suggerit: sacram *nimirum* historiam facta et gesta accuratissime recensere et ab historia, quae inter homines vel perfectissima colatur, eo tantum titulo differre, quod, cum historia profana fabulis et nugis et mendaciis obnoxia sit, historia inspirata omnibus ejusmodi naevis prorsus careat.

1. Juvat forsitan hoc paucis testimoniis illustrare.

a) Expressius id declarant, cum finem exponunt historiae in genere; in qua re omnes cum s. Augustino vel Hieronymo conveniunt asserentibus: „Historia facta narrat fideliter atque utiliter" (Aug. *de doctr. christ. II 42)* vel: „Historia quid factum sit refert" (Hier. *ep. 121, 8).*

b) Clarissime vero haec eorundem patrum persuasio manifestata est in controversiis chronologicis, quibus sacram historiam historiae profanae vel maxime excultae opponebant et quoad fidelem et accuratam rerum enarrationem longe anteponebant, illamque hujus normam correctivam esse acriter defendebant; ita jam Athenagoras *Legatio 24 coll. 28;* Theophilus *ad Autolycum III 16 sq;* Tatianus *adv. graec. 29;* Julius africanus *ll. chronogra-*

phiae, Migne PG 10, 63 sqq (praes. 65 A); Clemens alex. *Strom I 20 sqq;* Hippolytus *Philosoph. X 30.*[1])

Exemplo sint, quae Theophilus *ad Autolycum* hac de re exponit: „Scriptores oportebat aut suis oculis ea vidisse, de quibus affirmant, aut accurate ab iis, qui vidissent, didicisse; nam qui incerta scribunt, ii quodammodo aërem caedunt. Quid enim Homerum juvit quod bellum trojanum scripserit ac multos in errorem induxerit? aut Hesiodum, quod eorum quos vocat deorum genealogiae seriem recensuerit? . . . Quid veri dixerunt? Quid Euripidem et Sophoclem caeterosque comoedos comoediae, aut suae Herodotum et Thucydidem historiae? . . . Hi enim omnes vanae et inanis gloriae cupidi nec verum ipsi viderunt, nec alios ad veritatem excitarunt . . . Quanto igitur magis veritas a nobis cognoscetur, qui a sanctis prophetis sancto Dei spiritu plenis didicimus? Hinc consona omnes prophetae et amica inter se dixerunt, ac futuros totius mundi eventus praenuntiarunt. Ipse enim praedictarum rerum et jam perfectarum eventus potest discendi vel potius veri cupidos edocere, vera esse, quae ab illis de temporibus et annis ante diluvium elapsis praedicata sunt: quomodo scilicet se habeat ab origine mundi ad nostram aetatem annorum series; ita ut facile pateat inepte mentitos esse scriptores nec vera esse, quae ab his dicta sunt" *(III 2 sq; 17)*[2]). — Si autem his historiae sacrae indoles proprie historica non enuntiatur, desunt verba, quibus id fieri possit.

2. Quodsi de patribus solita adversariorum recurrit exceptio: eosdem sacram historiam religiosae instructioni tanquam adaequato fini subordinasse; ejusque veritatem igitur ex hoc fine dijudicandam esse — *respondebis:* religiosam instructionem finem quidem remotiorem seu finem operantis esse; inde tamen non excludi, quominus eadem s. historia etiam finem proximum seu finem operis sibi vindicet, qui sicut in omni historica enarratione veritatem respiciat rerum enarratarum. Id quod ss. patres etiam diserte declarant, ut mox audiemus, quando de historia religiosa sermo erit.

Si iterum inculcant adversarii, rem totam ad forum ss. patrum non esse trahendam, sed potius ad scientiam profanam ablegandam ejusque judicio critico submittendam esse — *inprimis* monendum erit: quod sic interpretatio s. Scripturae ex principaliore parte magisterio ecclesiastico subtraheretur; secundum ipsos enim adversarios a genere litterario singulorum librorum omnis fere intellectus Scripturae dependet.

[1]) Cf. *ZfkTh. XXX (1907) p. 254 sqq.*
[2]) Cf. *ZfkTh. l. c. p. 255; XXX (1906) p. 106 sqq.*

Insuper magisterium ecclesiasticum in hac re non semel sollicitudinem suam et competentiam exercuit et manifestavit. Contra factum vero hac in re non valet argumentum.

III. De hac ecclesiae sollicitudine jam pauca addamus. — a) Ad rem nostram spectat propositio 16 damnata in *decr. Lamentabili d. d. 3. Julii 1907:* „Narrationes Joannis non sunt proprie historia, sed mystica evangelii contemplatio; sermones, in ejus evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae". — Et quoad finem, quem ejusmodi narrationes historicae in Scriptura prosequerentur, cf. *prop. 14:* „In pluribus narrationibus non tam, quae vera sunt, evangelistae rettulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua"; cf. etiam *prop. 17* et *18.*

b) Expressius de hac re agit *decretum commissionis biblicae d. d. 23. Junii 1905: „De narrationibus specie tantum historicis in s. Scripturae libris, qui pro historicis habentur".* — Propositum erat dubium: „Utrum admitti possit tanquam principium rectae exegeseos sententia, quae tenet s. Scripturae libros, qui pro historicis habentur, *sive* totaliter *sive* ex parte, non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?" Responsum est: „Negative, excepto tamen casu, non facile, nec temere admittendo, in quo ecclesiae sensu non refragante ejusque salvo judicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere . ." Cf. etiam *decretum commissionis ejusdem d. d. 30. Junii 1909:* de charactere historico trium priorum capitum Geneseos; et iterum ejusdem *decretum d. d. 19. Junii 1911:* de auctore, de tempore compositionis et de historica veritate evangelii secundum Matthaeum. — Relegas etiam, quae supra attulimus ex *lit. encycl. Spiritus Paraclitus Benedicti XV, n. 10.*

Conclusio. — Luce igitur manifestius est, quod sacra historia secundum propriam suam professionem et apertam

ecclesiae declarationem speciem historiae vere et proprie dictae prae se fert et ut talis recipienda est. Miscuerunt quidem sacri scriptores inter ipsas enarrationes vere historicas etiam allegorias, tradiderunt parabolas; sed hae tam evidenter ab aliis rebus proprie historicis sive expressa declaratione sive manifestis notis discernuntur, ut earundem cum historia stricte dicta confusio simpliciter excludatur. — „Il carattere storico è così manifesto, che esso ha ingannato tutti i sapienti, tutti i Padri, tutti i dottori della chiesa sino ad oggi, fino cioè a che il sole della nuova critica diradò le tenebre delle lunghe notti dei secoli precedenti".[1])

Illatio vero ex hoc facto pariter manifesta est. Eo *enim* sensu s. Scriptura necessario vera dici debet, quo sensu a sacris suis auctoribus profertur; in hac enim intentione hagiographi cum intentione causae principalis, i. e. Dei inspirantis, conveniant oportet. *Atqui* historiae proprium munus est, facta narrare; *ergo* in omnibus, quae s. Scriptura tanquam historice facta enuntiat, omnino fide dignissima merito declaratur.

His res et disputatio de indole propria historiae sacrae fere peracta est; nihilominus ad singula effugia scholae largae magis distinctim respiciamus et genera, quae distinguit, in specie consideremus. Majoris luminis gratia ad duas classes ea reducamus: ex quibus una determinetur ex fine *(religiosa historia)*, altera ex modo scribendi *(historia antiqua, popularis, legendaria)*. In paragrapho proxime sequenti de sola religiosa historia nobis erit sermo.

§ 3. Historia sacra ad „religiosam" quae dicitur historiam revocari nequit.

Religiosa historia ea dicitur, quae religiosum finem seu aedificationem legentium unice intendit ea conditione, ut ratione ejus res gestae vel sermones allati apte modificari et inde etiam inadaequate vel et inaccurate enarrari possint.

[1]) J. Nogara *la scuola cattolica (settembre 1911) p. 26.*

1. Ejusmodi historiam in ss. libris inveniri, Hummelauer ut evidens et manifestum supponit ex traditione patrum. Unum tantum testimonium expressius allegat, Gregorii nysseni, qui *in ps. tract. II 2 (M 44, 490)* haec pronuntiat: „Non enim ob id solum Scriptura divina historiarum narratione utitur, ut rerum gestarum cognitionem nobis comparemus et, quae fecerunt et pertulerunt veteres, cognoscamus; sed ut nobis disciplinam ad vitam ex virtutis praescripto instituendam tradat, et proinde historiae commemoratio ad altiorem quandam considerationem referatur“; et addit: „hujusmodi de Scriptura existimationem habendam esse, omnium consensu constare“. — Quid nunc sibi vult dictum istud sancti doctoris?

a) Nihil aliud Gregorius contendit, nisi quod sacer scriptor, res gestas proferens, finem intendat religiosam aedificationem; hoc autem reapse facile omnes, quotquot sunt catholici, concedent et semper concesserunt. Sed numquid inde jam consequitur, quod Hummelauer et qui cum ipso sentiunt, proferendis et distinguendis generibus suis litterariis inferre contendunt: hanc historiam nimirum qua historiam minus accuratam esse vel etiam erroribus obnoxiam?

Per sese profecto ista illatio minime necessaria dici debet. Neque *enim* historia eo ipso, quod ad altiorem finem dirigitur, necessario corrumpitur vel desinit esse historia genuina; neque respublica christiana minus vere vel proprie respublica erit eo, quod intra ecclesiam, societatem supernaturalem, fini sublimiori inservit; neque humana Christi natura minus est humana, eo quod ex unione personae divinae dirigitur ad divinissimam operationem, quae est redemptio generis humani. — Prorsus *e contrario* difficillime intellegitur, qua ratione historia, quae religioni ut fini inserviat, minus accurate sive diligenter conscripta sit oporteat; videtur potius contra finem esse religiosae aedificationis, ut aliquis falsa et ementita enarrans et per finem justificans media velit doctor existere

probitatis et honestatis. Merito de ejusmodi religiosa historia verba valent Theophili antioch.: „qui incerta scribunt, ii quodammodo aërem caedunt" (*ad Autolyc. III 2*); Clemens vero alex. eodem sensu adhibet, quae leguntur *Prov. 10, 4*: „Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes" (*Strom I 19*).

b) Accommodate ad nostram rem disputat Marchini *de div. et canonicitate ss. bibliorum p. I a. 5*: Eo „quod Scriptura religionem nos edocet, congruenter ab omni falsitate omnino vacat; quoniam ex falso quodam interposito Scriptura omnis in suspicionem et dubitationem veniret". Et merito provocat ad sensum inimicorum fidei christianae, qui semper inde a temporibus Celsi usque ad nostram aetatem praecise ob ejusmodi defectus ipsam fidem nostram inanem esse depraedicabant; ita pergit Marchini: „Incredduli enim in historicis rebus manifestum errorem deprehendentes, eum quoque ad fidei et morum doctrinam manasse arbitrarentur vel saltem de illarum rerum gestarum veritate dubitarent, quibus tanquam basi doctrina nititur".

c) Certo certius scriptores sacri in suppositione ista non ita aperte personam historici agere debebant, ut hoc factum est in libris historicis veteris et novi testamenti.

2. Ergo *per sese* nulla est consequentia in ista argumentatione: S. historia religioni ut fini inservit; *ergo* minus accurata est. Sed quia ad patres provocant, forsitan haec illatio ss. patrum erat et ex eorundem auctoritate suffulcitur.

a) Jam ipsum testimonium Gregorii, quod unum Hummelauer protulit, huic assumptioni contrarium invenitur esse. Eo ipso enim quod s. doctor *l. c.* simul asserit: οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ μόνῳ ἡ θεία γραφὴ ταῖς ἱστορίαις συγκέχρηται ὥστε ἡμῖν πραγμάτων ἐγγενέσθαι γνῶσιν . . duo dicit: Sacra Scriptura historias enarrat et ut res gestas vere utique cognoscamus, et inde „institutionem percipiamus ex virtutis praescripto"; quocum conferas ex. g. Augustin. *de civ. Dei XVI 2.*

b) Habemus autem et praeclariora facta et dicta veterum, quibus historiae sacrae religiosum quidem finem assignant, non tamen minus diligenter eam conscriptam esse profitentur. Extat historia, quam tradunt ss. patres de auctore actuum s. Pauli, qui utique ex fine religioso acta illa confinxit vel potius historiam apostoli vanis fabellis adornavit. Depositus est ab officio suo, ut ferunt per ipsum apostolum Joannem (teste Hieronymo *de viris illustr. 7),* eo quod „convictus atque confessus est, id se amore Pauli fecisse“ (Tertull. *de bapt. 17).*

Huc pertinet integra controversia, quam immoderatus allegorismus Origenis in ecclesia provocavit, cum ingente turba testium (Eustathii, Methodii, Epiphanii, Hieronymi, Theophili alex., Gregorii naz., Basilii etc.), qui omnes conspirant, historiam sacram eo accuratius debere esse conscriptam, quod fini sublimiori inserviat.

Recolamus unum vel alterum expressius testimonium! „Absurdum enim fuisset, ita Athanasius dixit l. c. supra *p. 355,* Deum, veritatis patrem, nostrae utilitatis et conservationis causa mendacem videri“. — „Si quis hic diceret, ait s. Augustinus *ep. 28,2:* quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris, quod, etiamsi falsum sit, ad laudem Dei maxime pertinet? Nonne — ita replicat — hujus detestatus insaniam, quibus posset verbis et significationibus, in lucem penetralia sui cordis aperiret clamans non minore aut fortasse etiam majore scelere in Deo laudari falsitatem quam vituperari veritatem?“[1]) — Pulchre rem illustrat Cyrillus ille alex. *ad Euoptium* scribens: „Verum eam [i. e. plenitudinem legis in s. Scriptura contentam] non in nudis solisque verbis compleri dicimus, sed factorum testimonio confirmatis; sicut enim pretiosissimas gemmas, quas indicas esse ajunt, non ex his, quae de illis narrantur, sed ex eo quod sunt, ii qui vident admirantur; ita etiam claram dilectionis pulchritudinem tum effulgere arbitror, cum in cunctis rebus optimis ab ipsis recte factis testimonium habet“ *(M 76, 386);* idem saepe inculcat in libris Glaphyrorum.

Jure igitur et nos ex tanto patrum nostrorum hac in re consensu verbis utimur Julii africani: „Merito timeat, quisquis falso

[1]) Cf. *ZfkTh XXXV (1911) 426 sqq.*

sermone veritatem vult stabilire, non veram sententiam concinnans . . Neque praevalebit hujusmodi sermo in Christi ecclesia contra accuratam veritatem, nempe ut mendacium consarcinetur ad Christi laudem atque praeconium!" *(M PG 10,51)*.

c) Ceteroquin huc referas etiam verba encyclicae *Providentissimus*, quibus ii reprehenduntur, qui „de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum esse arbitrantur, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit" *(n.30)*. — Et multo instantius eandem rem Benedictus XV papa inculcat, ubi in *encycl. Spiritus Paraclitus n. 9* haec exponit: „Praeceptis et finibus (a patribus constitutis) nequaquam recentiorum illorum continetur opinio, qui, inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, imo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed ejus effectus atque inprimis erroris immunitatem absolutamque veritatem ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant. Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectet, a Deo in Scripturis intendi ac doceri, reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant et doctrinae revelatae, quasi quaedam externa divinae veritatis vestis, inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui. Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Bibliis occurrant, quae cum hujus aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint. Haec opinionum commenta sunt quae nihil repugnare contendant decessoris Nostri (Leonis XIII) praescriptionibus . . . Id vero quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis pontificis verbis manifesto apparet": et post pauca et ipse ad verba modo citata Leonis provocat.

Scholion: Manifestum quidem est, quod finis et intentio auctoris multum valet ad sensum verborum ejus inveniendum et exponendum; principatum autem tenent semper ipsa verba. Neque enim in plerisque s. Scripturae libris quidquam de fine auctoris scire possum, nisi prius verba ejusdem intellexerim iisque fidem adhibuerim. Finis igitur consideratio opportune adhibebitur, cum ex ipsis verbis sensus non manifestus est; ubi verba in se manifesta sunt et clara, ad finis considerationem superflue recurritur.

Id autem libenter conceditur, quod, qui peculiarem finem prosequitur sive religiosum sive profanum, non omnia, quae ei occurrunt, enarrabit, sed ea tantum quae fini inserviant. Attamen inde minime sequitur, ut, quae sub hac conditione abbreviata sunt, falsa vel non accurate dicta sint.

§ 4. De aliis generibus historicis, quae distinguuntur ex modo scribendi.

Praemittimus quasdam observationes generaliores:

1. Diversa illa genera imprimis sine ratione sufficiente adstruuntur.

a) Ejusmodi genera litteraria, ut qua talia adhiberi possint, qua talia etiam inter antiquos agnita esse debebant. Sed quamvis non ignoremus parabolas, allegorias similiaque genera scribendi, quae cum historia nihil fere commune habeant, in usu fuisse: de distinctione variorum generum in ipso ordine historiae nihil omnino scimus.[1]) — Qua in re auctores et fautores ejusmodi generum vix non sibi contradicunt: *ex una parte* asserunt ad consensum ss. patrum sibi adversum repellendum, ne patres quidem ejusmodi genera historiam scribendi cognovisse et, si cognovissent, eosdem difficultatum suarum solutionem inde petituros fuisse; *ex altera parte* autem arbitrantur et contendunt, antiquissimis temporibus non solum agnita et cognita, sed ad ipsum usum deducta fuisse.[2])

Mirum etiam est, quod hagiographi in tam multis diversis generibus res gestas tradere potuerint vel et tradiderint, de uno vero genere, quod tamen maxime naturale est et semper erat, non cogitaverint: res et dicta exhibendi, ut in ordine objectivo inveniuntur.

„Es ist zwar wahr, ita Egger *p. 128,* daß der alttestamentliche Geschichtsschreiber auf volkstümliche Weise Geschichte erzählt, allein dies beweist nicht, daß er für deren Genauigkeit nicht einstand. Es beweist nicht, daß er sich mit Wahrheit im großen ganzen begnügte oder seinen Lesern gar nur eine freie Erzählung oder religiösen Midrasch bieten wollte. Gerade der

[1]) „Wir haben nicht einmal einen ernsten Versuch bei den Modernen gefunden zum Nachweis, daß die alten Juden die aufgezählten literarischen Arten kannten“ Hugo *l. c. p. 21.*

[2]) Hummelauer et haec inter sese conciliare posse videtur: „Einen Anfang der Unterscheidung literarischer Arten haben auch die heiligen Väter gemacht: sie unterschieden die Parabel als eine eigene literarische Art . . . Weiter sind sie nicht auf dieser Bahn vorangeschritten“ *(p. 47 sq),* et *p. 18:* „Dieser literarischen Art (der alten Geschichte) sind die Geschichtsbücher des alten Testamentes jederzeit beigezählt worden“.

Naturmensch nimmt in der Regel die Worte in ihrer nächsten und eigentümlichen Bedeutung, nämlich das, was als Geschichte erzählt wird, als eigentliche Geschichte, ohne eine [besondere] literarische Art darunter zu wittern, wie der Kritiker; auch unterscheidet er nicht lang zwischen Kern und Umhüllung, zwischen Wahrheit im großen ganzen und Detailangaben; forscht nicht lange nach der Absicht des Erzählers, sondern nimmt und glaubt die Erzählung, wie sie liegt, namentlich wenn der Erzähler ein heiliger Mann ist und die wunderbaren Führungen Gottes in der Geschichte beschreibt".

b) Certe nos saltem deberemus existentiam ejusmodi generum in ss. Litteris ostendere, ut possemus ista ibi jure merito distinguere; *etenim* per se, quae ibi narrantur, praesumptionem praebent historiae vere et proprie dictae. Ejusmodi autem argumentum apud modernos frustra quaesiveris, nisi forte illud unum, quod sine petitione principii non fit: ‚si nimirum ejusmodi genera litteraria non admittantur, errores, quos pro ipsis originalibus Scripturis praesumunt, ipsi Deo adscribi debere'.

α) Quod tamen sacri auctores liberiore quodam genere scribendi usi sint, unum saltem exemplum Hummelauer gloriatur se invenisse: „*Jos c. 4* redet Josua das ganze versammelte Volk an und fordert es auf, den Götzen zu entsagen und Jahve allein zu dienen. Das ganze Volk antwortet V. 16—18: ‚Fern sei es von uns, daß wir Jahve verlassen und fremden Göttern dienen; Jahve unser Gott, er hat uns und unsere Väter aus dem Lande Aegypten, dem Hause der Knechtschaft, herausgeführt; er hat vor unseren Augen diese großen Wunder getan und hat uns auf all unserem Wege, den wir gegangen sind, behütet und unter allen Nationen, durch die wir hindurchzogen. Er hat vor uns her alle Völker hinausgeworfen, die Amorrhäer, die früheren Bewohner des Landes. Laßt uns also Jahve dienen; er ist unser Gott'. Ein der Substanz nach jedenfalls wahrhaftiger Bericht. — Aber nun stelle man sich einmal den Hergang vor. Eine gewaltige Menschenmasse mag ganz wohl ein Wort oder ein Paar Worte gleichzeitig ausrufen . .; aber wie soll das ganze Volk die drei nicht kurzen Verse rezitiert haben? Wie kamen die vielen darauf, so viele gleichen Worte in gleicher Reihenfolge, gerade diese und keine andern Worte auszusprechen?"

Ex hoc uno exemplo Hummelauer concludit: „Durfte (jener Erzähler) diesen einen nicht unwichtigen Zug mit solcher Freiheit wiedergeben, . . dann konnte er, wie die Geschichtsschreiber des Altertums überhaupt, durchweg einer freien Form der Erzählung den Vorzug geben" *(p. 17 sqq)*.

β) *Quid respondebimus?* — In historia conciliorum ab Hefele conscripta *tom. II § 194* leguntur haec: „Der Kaiser fragte, ob in der verlesenen Formel die Ansicht Aller ausgedrückt sei? und die Bischöfe [520–630 an Zahl] erwiderten mit dem Rufe: ‚wir Alle glauben so, es ist ein Glaube, ein Wille; wir Alle sind einstimmig und haben einstimmig unterschrieben; wir Alle sind orthodox! Dies ist der Glaube der Väter, der Glaube der Apostel, der Glaube der Orthodoxen; dieser Glaube hat die Welt gerettet. Heil dem Marcian, dem neuen Konstantin, dem neuen Paulus, dem neuen David! Ihr seid der Friede der Welt . . Du hast den orthodoxen Glauben gekräftigt! Viele Jahre der Kaiserin! Ihr seid die Lichter des orthodoxen Glaubens, wodurch überall Friede herrscht! Marcian ist der neue Konstantin, Pulcheria die neue Helena *u. s. f.* . . .“ Lege insuper integram hujus chalcedonensis concilii historiam! — Si argumento ab Hummelauer modo prolato fidere possumus, Hefele propriam, nedum criticam, historiam non conscripsit, sed libero dicendi genere usus est. Et si post pauca saecula mens quaedam critica huic enarrationi occurrerit, cum Hummelauer ex una hac enarratione ad integram istius auctoris historiam, quin etiam immediate ad omnes aetatis nostrae historiographos idem transferet.

Certe non est major difficultas in eo, ut integer populus (rationabiliter intellegendus) paucas illas acclamationes in libro Josue pronuntiaverit, quam ut celeber episcoporum coetus longiores illos sermones imperatori responderit. Praesertim cum in acclamationibus populi Israel apud Josuen ideae recurrerint, in quibus quotidiana instructio religiosa populi istius ex temporibus Mosis se evolverit, quibus populus iste assuetus erat ut nos precibus, quae in oratione dominica nobis proponuntur. — Altera quaestio autem est de modo, quo istae voces ab integra multitudine prolatae sunt; de quo variam invenire poteris probabilem intellegentiam. Ceteroquin cf. Fonck *l. c. n. 41.*

2. Inspirationis ratio nimis deprimitur.

a) Nonnulli auctores genera ejusmodi litteraria eo titulo inducunt, quod sint formae quaedam seu modi, sub quibus divina institutio religiosa proponatur; quae ideo ut ipse stilus, observationes grammaticales, orthographiae singulorum hagiographorum propriae prorsus industriae committendae sint. Ita defectus, qui cum ejusmodi generibus connexi sint, homini hagiographo ejusque imperfectioni adscribendos esse existimant, non vero Deo inspiratori.

Sed ecce si hoc, jam integri illi libri historici, utpote merae formae et modi, simul cum iis, quae proxime et

immediate exhibent, homini ejusque propriae activitati adscribendi erunt; certe quoad ea, quae gesta et dicta enarrant, quibus tamen substantialiter componi et absolvi videntur. Sed quid deinde pro ipsa inspiratione et operatione divina tanquam proprius effectus remanebit? Finis forsitan determinatio quaedam divinitus facienda — id quod tamen certo certius ad notionem inspirationis catholicam salvandam non sufficit: cujus est, „ita scribentibus adsistere, ut ea omnia eaque sola, quae ipse (Spiritus S.) juberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent" *(encycl. Providentissimus Deus n. 30).*

Ex hac observatione declaratur, cur et qua ratione omnes auctores, quotquot opinionibus hac in re liberioribus favent, inspirationem ejusque virtutem et momentum, licet verbis etiam exaggerare et extollere videantur, re tamen ipsa ordinarie negligant et deprimant. De qua re legas Fonck *o. c. p. 137 sqq.*

b) Quodsi dixerint: Non ita est; sed Deus Ipse istis generibus uti potuit, eo quod ex propria sua ratione historicam veritatem non promittant — *advertas:* quod omnis historia, omne genus vere historicum facta enarrat et affirmat, ideoque eorum factorum veritatem promittit; secus eo ipso desinit esse genus historicum. Si de facto inter homines hanc veritatem integram non praebet, id inde tantum provenit, quod non potest accuratius exhiberi; id quod in Deum transferre, utique impium est. Largiora de eadem re mox audiemus.

3. Neque denique verum est, ss. patres genera sic dicta historica, in quibus moderni nostri exegetae gloriantur, penitus ignorasse. Non ignorabant, sed spernebant; id quod jam quoad singula ista genera agentes, accuratius perspiciemus.

I. De historia quam vocant non-criticam sive antiquam.

I. De historia non-critica.

1. Ut aliquam saltem hujus generis notitiam acquiramus, quaeramus praeprimis, quid ars critica, unde hoc genus denominatur, in arte historica sibi velit.

Certe ejus est, ut mediis necessariis rite adhibitis omnis, quantum fieri potest, in scribendo evitetur error. Is igitur critice procedit et criticam historiam saltem intendit scribere, qui mediis praesentibus, quantum fieri potest, utitur; et ita ad finem intentum seu veritatem rerum enarratarum adnitatur.

a) Si hoc ad rationem criticae, essentiam si spectaveris, exegeris: non est ullum discrimen internum inter scriptores modernos et antiquos. Etiam hi notionem veritatis historicae habebant, quod solum summa stultitia in dubium vocaretur, eamque attingere intendebant et media, quae iis aderant, adhibebant. Imo cum moderni multi auctores tot et tam fundamentalibus praejudiciis, maxime in re religiosa, praepediantur, hi hac ex parte quoad veritatem et veracitatem antiquis etiam cedere cognoscuntur.

Quid scriptor historicus intendere debeat, quid ab historia lectores debeant exigere, Cicero aeque ac critici nostri sciebat dicens: „Quis nescit primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat: ne quae suspicio gratiae sit in scribendo, ne quae simultatis“ *(de orat. II 15, 62)*. Historiam, quam idem Cicero *de orat. II 9, 36* praedicat: „testem temporum, lucem veritatis, vitae memoriam, magistram vitae“, hanc Diodorus vocat τὴν προφῆτιν τῆς ἀληθείας. — His vero principiis theoreticis concordat modus procedendi optimorum, quos novimus, antiquorum scriptorum. Legas v. g. quae de sua methodo exponit Thucydides *I 22*, quibus quidem ipse distinguit sermones, quos exhibet, et facta, quae enarrat; at concedens quod sermones, ubi necessarium fuerit, personis adaptaverit, facta se accuratissime inquisivisse et scripsisse declarat. Et ne credideris modum istum criticum proprium fuisse quorundam scientificorum, conferas, qua ratione Papias, ille Joannis auditor, in exquirendis rebus rerumque veritate processerit, de qua re agit Eusebius *h. e. III 39, 3 sq.* Cf. de his Delattre *Critérium p. 66 sqq.*

b) Nullum igitur discrimen est, si ipsum amorem studiumque veritatis attenderis. Discrimen, si quod est, inter historiam veterum et recentiorum, magis externum remanet ex parte mediorum, quae ad usum utrimque deduci possunt; haec largiora praesto sunt modernis, facilius ab iisdem adhibentur etc., unde fieri potest, re nude in se considerata, ut moderni scriptores errores faci-

lius detegant veritatemque inveniant. Supponamus vero nunc, id quod reapse in re nostra supponi debet, sacrum historiographum ex inspiratione habuisse adjutorium divinum, eo ipse largissimum remedium et supplementum habebit pro defectu naturalium fontium et mediorum, saltem sensu negativo eo, ut omnis error ex historia ejus removeatur. Hoc vero adjutorium divinum iis adfuisse merito dicitur, quamprimum constat, hagiographum quoad ipsas res historicas verum dicere voluisse et ipso modo suo agendi in libro suo nihil aliud promisisse nisi ipsam historiam. Utrumque de libris sacris historicis addubitari nequit.

De hac re audivimus jam in paragrapho antecedente. Constat ejusmodi indoles historica pro multis libris ex aperta professione auctoris; de aliis ex analogia evidentissima, quam ineunt cum libris proprie historicis, et ex traditione continua eaque antiquissima. De hac historiae indole Weiss, auctor historiae universalis, in *introductione p. XXXI* dicit: „Strengen Sinn für geschichtliche Tatsachen und scharfen Ausdruck hatten die Juden; ihre Geschichtsschreibung legt keinen Wert auf die Form, sie will einfach die Wahrheit sagen." Zschokke vero historiae sacrae summam sub hac ratione eminentiam prae aliis historiis tribuit dicens: „Relate ad historiographiam aliorum populorum res in libris ss. describuntur objective, non subjective, ita ut narrata non e scriptoris judicio vel approbante vel reprobante, sed ex factis ipsis eorumque sequelis tantum dijudicentur *(Historia sacra antiqui test. § 3)*.[1])

2. Revera assumptio hujus generis historiae non-criticae nihil aliud videtur esse nisi obvelatio rei, quam proprio nomine appellare verearis, et mera petitio principii. Neque enim historia non-critica alia est ac historia, quae veritatis incuriosa vera permisceat cum falsis, quae menda et defectus quoad ipsas res enarratas admittat, id quod praecise est in quaestione.

a) Tanquam praecipuam rationem Hummelauer pro existentia ejusmodi generis litterarii, cujus specialem indolem invenit in neglectu criticae artis, adfert hanc: „Jetzt wo die Methodologie der Geschichtswissenschaft ihre volle Reife erlangt hat, wo man

[1]) Cf. hac in re Delattre *Critérium p. 35 sqq; 50 sqq;* L. Hugo *kath. Exegese p. 20 sqq.*

mit dem Namen Geschichte vorwiegend kritische Geschichte bezeichnet, hat man es geschehen lassen, daß man den Maßstab zur Bewertung der alttestamentlichen Geschichtsschreibung nicht der Geschichtsauffassung des Altertums, sondern derjenigen der Neuzeit entnahm; sie schienen der Meinung zu sein, um die historische Glaubwürdigkeit der alttestamentlichen Geschichtsbücher wirksam zu verteidigen, müßten sie den Beweis erbringen, daß dieselben allen Anforderungen kritischer Geschichte entsprechen. Das ist verfehlt“ *(l. c. 19)*.

b) Quid reponemus? — Non credo ullum unquam ad rite aestimandam antiqui testamenti historiam ejusque authentiam recurrisse ad leges et normas artis criticae modernae; sed communiter tanquam ejusmodi rationem admiserunt ipsam diligentiam et accurationem communem hagiographorum et adjutorium, quo fruebantur, divinum. Ceteroquin ista declamatio et aliunde apparet satis absona.

α) *Primo:* etsi exegetae unquam criticam modernam ut mensuram, qua veritatem sacrae historiae commensurarent, sumpsissent, numquam ad judicium pervenissent ejusdem inerrantiae. Nemo enim dixerit historiam, quae ex normis modernae criticae scripta sit, sine mendis vel erroribus esse; saepe enim critici, quo magis criticos se esse gloriantur, eo majoribus praejudiciis, sed et stultitiis hinc inde se exponunt; cogita de rationalistis nostris criticis, praesertim ubi agitur de re religiosa et biblica. Sacram vero historiam ab omni errore immunem praedicamus.

β) *Secundo:* s. historiam non hisce demum temporibus catholici veracem omnino declarabant, sed quotquot sunt ab ipsis initiis religionis nostrae, imo ab ipsis initiis illorum librorum; unde et ex hac parte pronuntiatio istius auctoris irrita apparet.

γ) *Ex altera parte* critici nostri ad ipsam historiam critice tractandam eas saepe exigunt conditiones, ut omnis fere vera historia, vel ipsa critica, simpliciter impossibilis declaranda sit. Similes in his apparent illis, qui pro possibilitate miraculorum historice agnoscendorum conditiones v. g. ponunt, ut ista miracula a testibus plurimis iisque prudentissimis reique peritissimis sint observata, eorumque relatio sub formis juridicis deposita et ab auctoritate publica recognita sit etc. . . . Neque tamen ad hoc, ut liber historicus verus dicatur, requiritur, ut omnia dicantur, quae omnino dici possint de certis illis rebus, neque ut, quae dicuntur, perfectissimo modo exhibeantur, sed id tantum ut, quae hic et nunc proferuntur, simpliciter sint vera; hoc autem fieri potest etiam sub prudentia quadam et diligentia naturali sine reflexa consideratione ad artem criticam qua talem. Cf. Pesch *n. 497*.

II. Ceteroquin nimis evidens est, quod sacri scriptores non-criticam illam historiam qua talem non intenderint.[1]) Hoc enim apertissime cum eorundem studiis et intentionibus pugnat; veritatis enim amantiores et studiosiores apparent. Ad summum cogitari potest, quod historiam excoluerint, quae tunc in usu fuerit, quae mere materialiter et de facto non-critica fuerit. Sic res deducitur ad eam, quam vocant antiquam historiam.

1. Statim quaestio recurrit, num illi veteres suam historiam tanquam proprium genus litterarium in oppositione ad eam, quae stricte ex normis veritatis fiat, consideraverint. — Certo certius jam tunc non omnes scriptores eodem modo historias suas concinnaverunt; jam tunc hi res enarrarunt veritatis amore, illi curiositatis vel delectationis gratia vel ad gloriam augendam principum suorum. Quale nunc genus historiae „antiquae" sacri nostri historiographi sibi elegerunt? Illud prius? et ecce distinctio illa nihil juvabit ad veritatem narrationum eorum sensu adversariorum deprimendam. Hoc alterum? sed hoc nimis indignum est, ut cogitares jure de ejusmodi possibilitate intra ambitum librorum inspiratorum.

Reapse communiter isti auctores scholae largae de hoc altero genere cogitare videntur. Historiographia hebraeorum, dicunt, non distinguebatur ab ea, quam chaldaei, assyrii, babylonii tunc excolebant, ita Lagrange sentit;[2]) et Hummelauer: „Hebraei, inquit, sub hoc respectu inter populos coaevos non eminebant". Neve igitur historiam ex genere suo diversam ab eorundem sacris scriptoribus expectaveris, atque quam in lateribus litteris cuneïformibus

[1]) Id quod tamen cogitare deberes, si ista non-critica historia tanquam proprium genus historiae admittenda esset; ad omne enim genus litterarium jure merito postulaveris, ut qua tale praecognitum et in usum deductum sit.

[2]) „L'histoire officielle des Hébreux coïncide très bien avec l'histoire officielle des Assyriens . . . Leur histoire primitive qui aurait pu emprunter tant de faits de l'histoire générale aux documents assyriens et égyptiens, ne se rattache que sur quelques points à la tradition babylonienne: dans la tradition babylonienne ces points ont du moins les apparences du mythe religieux . . . Les éléments mythologiques qu'on trouve dans la Bible, sont soigneusement ‚dépouillés de leur couleur polythéiste, ils servent seulement à revêtir de hautes pensées religieuses'" *(Méthode hist. p. 200 sq).*

vel in obeliscis hieroglyphis expressam habeas, de se neve meliorem (nisi fors secundum gradum ex respectu quodam externo[1]) neve etiam deteriorem.

Hanc assumptionem contra sensum communem christianum esse, proprius hujus doctrinae praeceptor (Lagrange) expertus est. Ipso rem publice proponente commotio inter auditores facta est, de qua re tamen melius postea agemus *(pg. 428)*.

2. Neque res concordat cum ipsis factis. Historia *enim*, quae inter populos illos orientales excolebatur, ex fabellis et mythis ineptis, blanditiis quoque et praeconiis mendacibus principum componebatur. Hebraeorum vero historia prorsus alia et contraria apparet; haec semper sibi constans sine fastu verborumve pompa incedit, sive cum vitia et facinora gentis vel principum describenda sunt, sive cum virtutes et magnalia, quae in gente acciderant, exhibentur.

„Comme monuments réels du genre historique proprement dit, en Egypte, à Babylone, à Ninive, nous avons peu de chose en dehors des squelettes chronologiques et des fastes officiels, ces derniers très abondants, pleins de jactance, gravés à la plus grande gloire des rois, et relevant si peu de l'opinion populaire qu'ils s'appliquent au contraire à la façonner. L'histoire sainte s'attache aussi à former les idées, avec des vues plus hautes, pour le bien du peuple élu et de ses chefs, en racontant les événements avec une entière impartialité. Elle s'intéresse également à toutes les classes du peuple, dont elle trace un tableau vivant, complété par les prophètes. L'histoire sainte, à part même son caractère inspiré, est unique en son genre dans l'antiquité“ (Delattre *Critérium pg. 58 sq)*. — Accuratius modum, quo sacra historia res et gratas et ingratas eadem sinceritate exhibet, sive de populo ipso sive de ejus principibus agitur, describit idem auctor *ib. p. 52 sqq.*

---

[1]) Id quo differre dicitur, eo quod finem sequatur specialem religiosum, historiae qua tali prorsus externum est librosque qua historicos non afficit. — Nonnisi summa cum inconstantia autem in suo systemate Hummelauer proclamat *p. 67*: „Vor Herübernahme grober Irrtümer, falls sich solche in Jasons Schrift fanden, mußte die göttliche Assistenz den Verfasser des Makkabäerbuches bewahren, nicht um des Inspirationsbegriffes willen, sondern zur Wahrung der Würde des inspirierenden Gottes und des inspirierten Schriftstellers“. Putaverim, quod dignitati Dei inspiratoris adversentur errores leviores aeque ac graviores; et si Dei dignitati non obstet, ut auctor inspiratus conscribat historiam prorsus a fontibus semel electis dependentem, quare eidem dignitati divinae repugnet historiam conscribere eam, quam in his fontibus invenerit? Nihil in tota theoria sibi cohaerebit!

III. Prorsus mireris, cum audiveris fautores historiae ‚antiquae' pro re ista provocantes ad ipsam traditionem.

De hoc praecise genere Hummelauer asserit: „Dieser litterarischen Art sind die Geschichtsbücher des alten Testamentes jederzeit beigezählt worden. Schon die älteren christlichen Apologeten vergleichen die biblischen Geschichtsschreiber, vorab Moses, mit den klassischen Vätern und Mustern der Geschichtsschreibung, mit Herodot, Livius u. a., stellen sie über dieselben, aber als Schriftsteller in gleicher literarischer Art. Ebenso hat es das Mittelalter, die neuere Zeit gehalten. Wenn sie behaupten, daß die Erzählungen des Alten Bundes Geschichte seien, so erkennen sie ihnen diesen Namen im gleichen Sinne zu, wie den Schriften Herodots u. a." *(p. 18).*

Nimis temeraria ista argumentatio vel provocatio est. Neque *enim* quidquam majore vehementia excludunt ss patres vel vetustissimi, quam hanc historiae speciem, sive non-criticam eam vocare malueris sive antiquam.

1. Sub ipsa differentia, qua in specie constituitur, historia quam dicunt „antiqua" ex ss. Litteris patrum suffragio excluditur, eo quod omnes ad unum quam vehementissime inculcant, omnia et singula in sacra historia prolata necessario esse vera, tam necessario ut secus omnis auctoritas et inspiratio et fides ipsa ad incertum revocaretur.

Ita s. Augustinus de iis, qui volunt s. Paulum simulatorie de gestis s. Petri enarrasse *Gal 2, 4,* non cunctatur asserere: „Cum volunt Petrum ab errore atque ab illa, in quam inciderat, viae pravitate defendere, ipsam religionis viam, in qua salus est omnibus, confracta et comminuta Scripturarum auctoritate conantur evertere" *(de mendacio n. 43);* et de eadem re *ep. 40, 5:* „Petrus, inquit, vere correctus est, et Paulus vera narravit, ne sancta Scriptura, quae ad fidem posteris edita est, admissa auctoritate mendacii tota dubia nutet et fluctuet; non enim potest aut oportet litteris explicari, quanta et quam inexplicabilia mala consequantur, si hoc concesserimus". Similiter Cyrillus alex.: „Si quis, quae in Scripturis inspiratis leguntur, recte intellegere vult, omnino eget etiam enarrationis historiarum, ut in omnibus sermo divinus maneat verus" *(in Is I ad c. 7, 8; M 70, 198);* et alio loco summa instantia protestatur: „Nullo nobis argumento persuadebitur Scripturam repudiare et historiam vanitatis condemnare et rem ipsam inhonestatis coarguere putareque, ut quidam, non ita gestam . . ." *(in Os 1, 3; M*

71, 25). Supersedeamus tamen largiora hic repetere, de quibus recolligas quae *p. 338 sqq.* attulimus.

2. Hoc ss. patrum testimonium eo pluris aestimandum est, quod methodus ipsa critica non est tam aliena ab eorum mentibus, quam modernis nostris exegetis probatur. Id de s. Hieronymo Sanders profitetur.[1]) Idem sibi volunt patres, cum veritatem et inerrantiam sacrae historiae, praeter adjutorium divinum, etiam ad ipsam diligentiam et veritatis sollicitudinem sacri autoris referunt.

Legas ex. g., quae s. Augustinus *de consensu evangel. 1 1* asserit: „Apostoli non solum ea, quae ex ore Jesu Christi audita vel ab illo sub oculis suis operata dicta et facta meminerant, verum etiam quae, priusquam illi per discipulatum adhaeserant, in ejus nativitate vel infantia vel pueritia divinitus gesta . . . sive ab ipso sive a parentibus ejus sive a quibuslibet aliis certissimis indiciis et fidelissimis testimoniis requirere et cognoscere potuerunt, imposito sibi evangelizandi munere generi humano annuntiare curaverunt“; de iis vero, qui „per ordinem reges eorumque facta et eventa historica diligentia digerebant“ et qui „non minus praenuntiandis futuris quam praeteritis enuntiandis inveniuntur intenti“, cf. *de civ. Dei XVII, 1.*[2]) — De eadem re audivimus supra Theophilum antioch. dicentem: „Scriptores oportebat aut suis oculis ea vidisse, de quibus affirmant, aut accurate ab iis, qui vidissent, didicisse; nam qui incerta scribunt, ii quodammodo aërem caedunt“. Idem inculcat Origenes *homil. 1 in Luc*, quam latine reddidit Hieronymus, his verbis: „Certa enim fide et ratione cognoverat Lucas, neque in aliquo fluctuabat, utrum ita esset an aliter“ *(M PL 26, 221)*. — Similia vero passim in scriptis ss. patrum occurrunt; cf. quae in decursu tractatus jam allegavimus.

3. Magis directe idem genus litterarium ex finibus Scripturae amandatur iis, quibus ss. patres et scriptores ecclesiastici, praecise respicientes veterum viam et rationem scribendi, negabant sacram historiam esse ejusdem rationis, cujus erat apud reliquas gentes antiquas.

„Volo tibi et ea, quae spectant tempora, accuratius demonstrare, ut intellegas nec recentem nec fabulosam esse doctrinam

[1]) „St. Jérôme expose les circonstances dans lesquelles cette épître parut, règle qu'il suit, d'ailleurs, dans toutes ses préfaces, prouvant par là qu'il connaisait les principes de critique historique, si sévèrement observés des nos jours“ *(Etudes sur s. Jérôme p. 116)*.

[2]) Cf. *ZfkTh. XXXV (1911) p. 422 sqq.*

nostram, sed antiquiorem et verierem omnibus poëtis et scriptoribus, qui incerta scripserunt", ita Theophilus *ad Autol. III 16.* Et Athenagoras ipsum Herodotum „fabularum scriptorem (μυθοποιὸν)" vocat, cui nequaquam credendum sit (*Legatio pro christ. 28*); et de his scriptoribus, poëtis quam simillimis, *n. 24* dixerat: „divinam prophetarum sapientiam tantum distare a mundana, quantum verum a probabili, et hanc quidem caelestem, istam vero terrenam esse". Tatianus autem graecos cohortatur: „Οἱ λοιδοροῦντες ἡμᾶς συγκρίνατε τοὺς μύθους ὑμῶν τοῖς ἡμετέροις διηγήμασι — fabulas vestras conferte cum nostris narrationibus" *(n. 21)*[1]).

4. Certissime vero omnibus istis patribus antiquitas sacrae historiae non erat argumentum erroris, sed veritatis: „Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat" (Tertullianus *Apologet. 19.*)

Scholion: Quid igitur? sacri historiographi jam tunc historiam criticam conscripserunt?! — Distinguas! Si artem criticam intellexeris eam, qua quis naturali, quo pollet homo rationalis, sensu et veritatis amore omnia, quae ipsi praesto erant, media ad veritatem inveniendam adhibuerit, *utique*; si velis intellegere methodum istam quam moderni reflexione quadam scientifica excoluerint, sed sub diverso respectu etiam depravaverint, *transeat.* — Quemadmodum *nimirum* praeter logicam scientifice excultam sive reflexam adest omni homini etiam ars quaedam naturalis mente et ratione sua bene utendi, ita et quoad inquisitionem historicam homo naturae ductu veritatem invenire certissime valet. Imo in multis aptior invenitur, cum praejudiciis non impediatur, quae per mentis reflexionem distortam superinducuntur: haec enim facile ad scepticismum insanum adducit.

II. De traditionibus popularibus.

1. „Quae quidem creationem hominis praecesserunt, ea nonnisi ex revelatione divina, facta Adamo aut patriarchis aut ipsi Moysi, qui tam saepe Dei alloquio dignatus fuit, innotuerunt; quae vero creationem hominis subsecuta sunt,

[1]) Cf. et Justinum *cohort. ad graecos c. 12*; Tertullianum *Apologet. 18 sq*; Hippolytum *Philosoph. X 30 sq*; Clement. alex. *Strom I 21*; Julium afric. *II. chronogr., M PG 10, 65.*

ea Moyses depromere potuit ex antiqua et in patriarcharum familiis conservata traditione" . . . et ita „Moysi non erat admodum difficile illibatam omnique fictione puram praecedentium temporum historiam colligere: quo enim tempore ipse natus est, vix ab initio mundi effluxerant duo millia et quadringenti anni: talis autem fuit patriarcharum longaevitas, ut paucae generationes hoc temporis spatium implerent. Etenim Moyses a patre suo Amram facile didicit totam Josephi, Jacobi, Isaaci, Abrahae historiam . . . Levi autem, avus Amrami, jam quadraginta annis natus erat, quando avus ejus Isaacus mortuus est. Adhuc autem Sem, filius Noe, in vivis erat, quando natus est Isaacus; Isaacus potuit eo familiariter uti per annos quadraginta tres . . . Porro Sem centum annis natus ante diluvium, initia fere rerum attigit: quo enim tempore natus est, adhuc in vivis erat Mathusala, qui cum Adamo diu fuerat. Sex igitur generationes Moysen usque ad initia temporum perducebant".

Haec de generationum successione adfert Lamy *comment. in Gen. 49;* et licet expositio ejus incertitudine quadam quoad genealogias computandas laborat, id tamen intellexeris, qua ratione exegetae inter causas longaevitatis priscorum hominum specialem quoque dispositionem recenseant, qua Deus tunc revelationem ab initio traditam inter homines conservare voluerit. Supponunt autem, hanc communicationem tunc oretenus, non scripto factam esse: quae communicatio doctrinae inter populos illos (absque peculiari magisterio authentico) oretenus facta merito **traditio popularis** appellari potest.

1. Ejusmodi traditiones, a primo parente oriundae ut per se intellegitur — inter omnes familias et gentes ab Adamo dilapsas transmitti poterant vel et de facto inveniebantur et adhuc inveniuntur, attamen non ubique eadem puritate. Mox enim variae gentes varias suas immiscere coeperunt fabulas et divinam verissimamque doctrinam mythis erroribusque polytheisticis obfuscare. Tales traditiones inter homines pervulgatae erant, cum Deus hagiographos suos primo jussit revelationem et institutionem

divinam scriptis mandare; neque quidquam obstat, quominus inter fontes, quibus hagiographi tunc usi sunt, ejusmodi quoque traditiones populares recenseantur.

2. Numquid inde necessario etiam errores in s. Scripturam illapsi sunt? — Certo certius, ubi primum traditiones corruptae, quales inter chaldaeos, babylonios, aegyptios aliosve tunc pervulgatae erant, simpliciter transsumptae sint. Ast eratne necessarium, ut hoc fieret? certe non!

Etenim primo revelatio et institutio divina primitiva non necessario ubique corrumpi debebat; poterat per divinam dispositionem et providentiam inter patriarchas per certas familias etiam intemerata servari et ita sine erroribus admixtis ad hagiographum pervenire. Quodsi unum vel alium errorem traditio ista vel inter sanctos patriarchas continebat, potuit per divinam inspirationem vel directionem fieri, ut iste supprimeretur. Imo cum et traditiones inter alias gentes non ex integro falsae dicendae sint, et ipsae aliarum gentium traditiones ab hagiographis respici poterant, quibus deinde munus adjacebat sub inspiratione Spiritus vera a falsis discernere. Neque enim per inspirationem excluditur labor vel industria humana, neque usus ullorum documentorum vel fontium, unde veritas patere potuerit. „Potuit igitur — ita monet et Lamy *l. c.* — Moyses etiam uti traditionibus et genealogiis apud chaldaeos et aegyptios sive memoria sive scripto servatis; quodsi quae fabulae illis traditionibus immixtae erant, praesto ipsi erant patriarcharum traditiones atque divina illuminatio, qua illustratus erat, ut absque errandi periculo ea seligeret, quae vera erant, et falsa repudiaret".

II. His fere patet, quod inter fontes sacrorum scriptorum reapse traditiones populares inveniri poterant, absque tamen necessaria illatione scholae largae: errores *nimirum* populares simul ingressos esse in s. historiam. — Hanc illationem de facto etiam rejiciendam esse, facile inter catholicos constabit.

1. Doctrina, qua in s. Scripturam admitterentur „traditiones populares", quales moderni quidam exegetae sta-

tuunt erroneae, excluditur iisdem fontibus, quibus supra omnimodam historiae sacrae veritatem deduximus, quibus modo historiam „antiquam" exclusimus.

a) Magis directe ejusmodi traditiones mendaces respicere videtur Athanasius *ep. de decretis nic. Synodi c. 5* disserens: „Quae Moses docuit, haec custodivit Abraham: quae vero custodivit Abraham, haec Noe et Enoch perspecta habuerunt, qui munda et immunda noverant discernere, ac Deo grati facti sunt. Eadem quoque instructus doctrina Abel martyrium est passus, qui quidem ipse ea ab Adamo didicerat; Adamus autem ab ipso Domino". — Cum vero hoc incredibile declaratur et insolitum, cum eodem Athanasio merito provoces ad prophetas seu doctores veritatis, de quibus immediate antea dixerat: „Gentiles, qui inter se non consentiunt, sed dissident, vera privantur doctrina; sancti autem et qui veritatis revera sunt praecones, inter se concordant, non discordant; nam licet diversis floruerint temporibus, idem tamen omnibus scopus fuit, quippe qui unius Dei essent prophetae et idem summo consensu nuntiarent Verbum".

Similiter de iisdem primordialibus narrationibus Ephrem syrus disputat: „Haec Deus, qui per Filium suum de nihilo cuncta creavit, sub mundi primordia non scripsit; idcirco quod nec scripto indigebat Adam, cui aliunde rerum principium compertum erat; nec ejus posteri, qui eandem notitiam a majoribus acceptam et per successionem patrum traditam retinebant. At enim vero postquam omne genus humanum generali quadam defectione a Deo descivit et rationis lumine hebescente divini etiam opificii memoria intercidit, Deus clarissimis verissimisque documentis populo hebraeorum scripto traditis constare voluit iis, qui mutaverant naturam, naturae origines. Deo itaque dictante, Moses scripsit in deserto, quae in paradiso Deus ipse Adamum docuerat" *(in Gen. c. 49 ad finem).* Et iterum *serm. adv. haereses 24 ad finem:* „A prophetis apostoli orthodoxam doctrinam acceperunt: Adamus primitus illam Noemo tradidit, a Noemo ad Abrahamum propagata est, et ab isto ad Mosen et a Mose ad Davidem manavit, et ab eodem ad captivitatis babylonicae exules, et ab istis ad Salvatorem traducta fuit. Populus post dispersus est omnesque patrum traditiones rescidit et refixit, apostolorum manus item sublata est. Praedicamus eum, qui eorum traditiones conservat: ille nimirum, qui arcae fabricam praecepit, idem populi templum construxit, et qui haec

omnia molitus est, sanctam ecclesiam constituit. Porro qui viventium propagationem rerumque seriem ordinat, idem prophetarum atque apostolorum successionem ordinatissimam invenit, et a saeculo usque in saeculum retinebit. Testare potentiam illius, qui coepta tenet, auget et perficit".

b) Ceteroquin quaeramus, in quibus alterationes historiae ex traditionibus exortae inveniantur. — Certe in quibusdam fictitiis additamentis, quae generice saltem considerata non distinguantur ab iis, quae nos jam fabulas *(Sagen)*, legendas, mythos appellamus; quare huc referas etiam, quae postea de historia mythica dicemus.

2. Proponamus et rationem. Est plane evidens, quod in ss. historiis tanquam proximus finis, finis operis, traduntur et intenduntur facta, sive hi sunt historicae enarrationis fontes sive illi, sive documenta et monumenta scripta admiseris sive oretenus tradita; et hoc aequaliter valet a primis Geneseos capitibus usque ad ultimam paginam Actuum apostolorum. Quare haec omnia, ut sunt historicae enarrationes, immediate sub intentione ipsius Dei, auctoris principalis Scripturae, cadunt. *Atqui* Deus falsa narrare, res non factas ut factas tradere non potest. Si *igitur* traditiones ejusmodi populares in s. Scriptura adhibitae apparent, et ipsae ab omni errore immunes declarentur oportet.

Quodsi dixeris: Deus permittere potuit, ut iis, quae vera facta narrare intenderit, falsa per accidens (ratione generis litterarii electi) immiscerentur, prorsus necessario in ipso sacro textu desideratur criterium, unde falsa a veris distinguantur. Quod cum nullum omnino adferri possit, ejusmodi falsae relationes in sacro textu admitti nequeunt neque traditiones ullae populares, quae ejusmodi fabulas inferant.[1])

Merito Egger de hac re disserit: „Gehören die Erzählungen der Genesis wirklich dieser litterarischen Art an, so ist es um ihre historische Wahrheit geschehen. Hummelauer gibt dies selbst zu, indem er den Kanon aufstellt, daß ‚die Tatsächlichkeit einer in der Genesis berichteten Tatsache nicht auf Grund der Genesis, sondern nur auf Grund eines außerhalb der Genesis stehenden Gotteswortes

[1]) Quodsi Hummelauer, ut mox videbimus ad vocem toledoth (= traditio popularis) recurrit tanquam ad ejusmodi criterium, criterium istud tale esset, quod nemo unquam intellexerit; ideo vel sic insufficiens esse cognoscitur.

feststehen könne". — Sed quid deinde vi ipsius inspiratae narrationis certi habebimus? vel cujus rei gratia Genesis istas tam multas enarrationes omnino rettulit? cum tamen a primo usque ad ultimum caput nihil aliud facit, nisi ut gesta et eventus enarret.

Ipse Hummelauer olim nostrum in modum argumentatus est dicens: „Unhaltbar ist ebenfalls die rationalistische Annahme, Moses habe in seiner Erzählung bloß den volkstümlichen Anschauungen über Weltentstehung Ausdruck gegeben. Dieselbe ließe sich allenfalls mit der Form des Berichtes vereinigen, aber sie widerlegt sich durch den Hinweis, daß diese Erzählung (der Schöpfungsgeschichte) den ersten homogenen Abschnitt eines Geschichtswerkes bildet. Bei einem nichtinspirierten Autor mag es geschehen, daß er Sagen für Geschichte hält und mit deren Wiedergabe sein Geschichtswerk beginnt; von dem inspirierten Schriftsteller steht derartiges nicht zu befürchten; seine kosmogonischen Nachrichten sind ebensowenig bloße Legenden wie seine Erzählungen von den Patriarchen und dem auserwählten Volke" *(der biblische Schöpfungsbericht p. 72).* — Absque ullo dubio melior haec argumentatio erat, quam illa, qua idem auctor nunc assertionem contradictoriam propugnat, cujus singulas assertiones breviter consideremus.

3. Tres sunt rationes, quibus Hummelauer existentiam „traditionum popularium" in s. Scriptura ostendere conatur: a) *prima* inde desumitur, quod singulis quibusdam partibus praemittitur inscriptio „toledoth"; toledoth vero in istis locis idem sibi vult, quod ipse vocat traditiones populares. b) Fontes *deinde,* quibus Moses in libris suis historicis usus est, certe non erant documenta scripta: ergo traditiones oretenus transmissae; sed lex est naturalis, ut ejusmodi traditiones oretenus transmissae, sensim sine sensu modificentur et in traditiones populares transeant; neque haec lex impediri potest nisi per dispensationem extraordinariam divinam, quam in re nostra intercessisse sine ulla ratione praesumpseris. c) De facto *denique,* quae in Genesi narrantur, traditionibus iis, quae inter gentes feruntur, simillima sunt.

a) Prima ratio evidenter insufficiens, imo futilis est. Nemini usque ad nostra tempora ejusmodi interpretatio vocis toledoth in mentem venit; neque ab Hummelauer demum inventa ulli exegetae cordato placuit. Imo falsa esse demonstratur; invenitur enim ista vox, secus ac Hummel-

auer censet, etiam extra Genesin, v. g. *Num 3, 1,* et ibi historiam proprie dictam denotat.

„On en trouve un exemple sans réplique au livre des Nombres, qui débute en ces termes: ‚Voici les générations d'Aaron et de Moïse, au jour où Dieu parla à Moïse sur le mont Sinaï'. Or dans la suite aucune mention des descendants de Moïse; si les fils d'Aaron sont nommés, c'est pour nous apprendre quels furent les premiers prêtres, pour leservice des quels Dieu institua l'ordre des lévites. Voilà donc le terme *tôledôth* employé hors de la Genèse dans un contexte où il signifie plutôt histoire que généalogie, et il n'y est sans doute pas question d'histoire légendaire;" Lenoir *l'église et la Critique biblique p. 8.*

b) Quod alteram attinet rationem, vel dato non concesso, adesse ejusmodi legem, ex qua necessario traditiones orales mythis et fabulis corrumpantur, numquid ipsum factum inspirationis ratio sufficiens dici nequit, ut Deus per peculiarem providentiam eandem pro casu nostro suspenderit? Hoc factum esse, constans et unanimis consensus patrum sensusque ecclesiae testatur.

α) Merito ad rem Fonck notat: „In dieser beständigen und ganz zweifellosen Ueberlieferung der Kirche über den wahren und unantastbaren geschichtlichen Sinn der Genesisberichte haben wir aber den vollauf genügenden Beweis dafür, daß eine besondere göttliche Providenz tatsächlich bei der Geschichte der Offenbarung, die uns in den inspirierten Büchern erzählt wird, den Uebergang der Urgeschichte in Volkstraditionen sistiert hat. Bei der innigsten Verbindung zwischen dem religiösen Gehalt und den übrigen urgeschichtlichen Ueberlieferungen der Genesiserzählungen ist ja auch eine solche besondere Fürsorge der göttlichen Vorsehung für die Erhaltung und Fortpflanzung der reinen Offenbarung selbst ohne das ausdrückliche Zeugnis der kirchlichen Tradition als notwendig und unumgänglich anzunehmen" *(l. c. p. 167).*

β) Sensus autem ecclesiae manifestus redditur ex *decr. commiss. bibl. d. d. 30. Junii 1909* de charactere historico trium capitum Geneseos. — Propositum erat dubium: utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum veteris tum novi testamenti, unanimi fere sanctorum patrum sententia ac traditionali sensu, quem ab israelitico etiam populo transmissum semper tenuit ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet objectivae realitati et historicae veritati respondeant;

sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento objectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas?" *Responsum est:* „Negative ad utramque partem". — Cf. etiam *decr. ejusdem commissionis d. d. 23. Junii 1905.*

c) His fere responsum est simul ad tertiam rationem, quae desumitur ex affinitate relationum biblicarum cum traditionibus, quae inter alias gentes circumferuntur. Haec *insuper* placitis simillima est, quae olim Lenormant in libro *les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux* proponebat; et ipse ejusmodi traditiones, legendas vel mythos in narrationibus Geneseos invenire voluit. Auctor iste ejusque liber in indicem relatus est; nemo melius ejus sententiam tunc refutavit quam ipse Hummelauer, cujus rationes nostram instaurent et confirment argumentationem:

α) „Die Genesis, inquit, will nach ihrer ganzen Anlage und ihrer Verbindung mit den folgenden Büchern die Vorgeschichte der mosaischen Gesetzgebung, gerade wie die folgenden Bücher diese selbst, geben; und wenn sie uns demungeachtet in ihren ersten zehn Kapiteln bloß Ursagen böte, dann müßte seitens ihrer Verfasser, des menschlichen nicht nur, sondern auch des göttlichen, entweder Irrtum oder Täuschung walten: Irrtum, insoferne sie für geschichtlich beweiskräftig gehalten, was aller geschichtlichen Beweiskraft entbehrte; Täuschung, wofern sie uns als beweiskräftig vorgetragen, was geschichtlich belanglos wäre und als solches von ihnen wäre erkannt gewesen."

β) „Die späteren inspirierten Schriftsteller berufen sich auf die in den Anfangskapiteln der Genesis erzählten Begebenheiten als auf Tatsachen und knüpfen an diese Tatsachen Aufforderungen und Schlußfolgerungen, welche schlechterdings unsinnig wären, wenn sie eine bloß mythische und nicht eine geschichtliche Unterlage hätten."

γ) „Welches sind nach Lenormant diejenigen übernatürlichen Unterweisungen, welche Gott in der Form inspirierter Sagen der Menschheit vermitteln wollte? Es sind, erklärt Lenormant, ‚die Erschaffung der Welt durch einen persönlichen Gott, die Abstam-

mung der Menschen von einem Paare, die Sünde der Stammeltern und deren Nachwirkung auf deren Abkömmlinge, die Freiwilligkeit der ersten und aller folgenden Sünden' — also alles heilsgeschichtliche Tatsachen. Tatsachen aber heischen eine historische und nicht eine mythische Mitteilungsform. Welchen Einfluß kann eine Sündenfallsage auf die Heilserziehung der Menschheit üben? Die von Gott beliebte Mitteilungsform wäre die denkbar verworrenste, unklarste und zweckwidrigste gewesen und hätte einzig dazu gedient, auf den Geist, der sie ersonnen, den Schatten der Unklarheit und Lächerlichkeit zu werfen."

δ) „Gerade die so vielfache Uebereinstimmung der heidnischen Traditionen unter sich sowohl, wie mit der Genesis, hätte Lenormant auf die Annahme einer gemeinsamen geschichtlichen Unterlage hinleiten müssen; und die Nüchternheit, zugleich mit der von ihm anerkannten Großartigkeit und Inspiration des biblischen Berichtes, hätte ihn in eben diesem jene historische Unterlage erkennen lassen müssen."

„Nein, ita H. concludit argumentationem, die Anfangskapitel der Genesis sind mehr als bloße Sagen; aber dann freilich hört auch die von Lenormant beliebte Herleitung des biblischen Berichtes aus dem Mythenkreise des Orients auf . . Lenormant hätte im biblischen Berichte die unter Gottes Beistand, von Geschlecht zu Geschlecht unverfälscht überlieferte, wahre Geschichte der Urzeit erkennen sollen, von welcher lange vor Moses die heidnischen Mythen abarteten" *(Inspiration und Mythus, Stimmen aus M. L. XXI [1881] p. 448 sqq).*

Nemo non videt, integram hanc argumentationem ad omnes libros veteris testamenti immediate adplicari posse. Neque quidquam valet, quod Hummelauer affinitatem propriae sententiae cum ea, quam Lenormant protulit, nunc infitias it, causans se nunc novam rationem invenisse et necessariam cautelam (seu criterium), ne mythica ista interpretatio justo plus extendatur. Novam hanc rationem existimat esse intellectum, quem verbo *toledoth* supposuit; ast integra ista ratio, ut audivimus futilis est; unde et discrimen praetentum nullum.

III. Quodsi nunc traditiones populares eo sensu rejicimus, quo fundamentali cuidam historicae veritati varias falsas legendas adjecerit et ita vera cum falsis permiscuerit, non tamen negare volumus narrationes s. Scripturae, maxime vetustiorum ejusdem librorum, modum quendam pe-

culiarem narrandi prae se ferre. Sicuti *enim* Deum maxime dedecet, errores enarrare et homines auctoritate sua ad falsa admittenda inducere, ita Eum maxime decet, in suis ad homines institutionibus modum eligere, qui hominibus, quos actu alloquitur, magis congruat; quamvis idem modus non omnibus omnium aetatum et saeculorum hominibus aeque arrideat.

Olim modum loquendi concretum, vividiorem, poëticum homines adamabant. Unde explicatur quod et in libris historicis s. Scripturae formulae magis concretae occurrunt, quibus etiam res denominentur prout sensibus apparent; hinc explicatur, quod internae cogitationes (maxime ipsius Dei) in forma sermonum vel colloquiorum proferuntur; quod res appellantur non solum ex phaenomenis sensibilibus, sed et secundum opiniones vulgatas etc.

a) Exempla hujus modi res tractandi facile inveneris. Lege v. g. *Gen. 1,* ubi Deus „appellavit lucem diem et tenebras noctem"; ad quae verba s. Augustinus: „Hoc totum, inquit, ad intellectum nostrum dictum est; qua enim lingua vocavit Deus diem, lucem et tenebras noctem? utrum hebraea an graeca an latina an alia aliqua? et sic omnia, quae vocavit, quaeri potest, qua lingua vocaverit. Sed apud Deum purus intellectus est sine strepitu et diversitate linguarum. ‚Vocavit' autem dictum est: vocari fecit; quia sic distinxit omnia et ordinavit, ut et discerni possent et nomina accipere" *(de Gen. c. manich. I 9).*

b) Huc referas modos illos anthropomorphice de Deo loquendi. Exemplum habes in iis, quae traduntur de turre babelica *Gen. 11.* De qua narratione Pesch adjungit: „Deum descendisse ad videndam turrem, Deum haec et haec locutum esse, urbem vocatam esse Babel propter confusionem linguarum, haec et similia poterunt ex traditione populari transire in libros inspiratos; at vero si reapse nulla unquam turris aedificata, si nulla confusio linguarum facta esset, sed totum esset fictio quaedam poëtica, non potuit haec fictio in librum historicum inspiratum recipi et ut factum historicum inter alia facta historica narrari; res enim non factas narrare ut factas, est simpliciter error. Sed modus rem veram narrandi potest esse varius sine ullo errore, quia modus loquendi non est id, quod de re affirmatur, sed est medium exprimendi conceptus, quod medium non est ita determinatum ad unum, ut non possit salva veritate esse aliud et aliud" *(n. 541).*

c) Jure tamen ad rem animadvertit Selbst: „Es heißt [aber], wie mir scheint, den Kernpunkt der Frage umgehen, wenn man

aus der Volkstümlichkeit der Form und aus der Analogie heidnischer Urgeschichten auf eine besondere literarische Art der Erzählung und auf minderen historischen Wert schließen will, anstatt umgekehrt aus der Inspiration, die dogmatisch feststeht, und aus dem Zeugnis der kirchlichen Ueberlieferung zu folgern, daß der Hagiograph — inspirante Spiritu Sancto — aus der Ueberlieferung das seinem Zweck Dienliche auswählte und in volkstümlicher Form ‚mit unfehlbarer Wahrheit' die Tatsachen aufzeichnete, auf denen doch anerkanntermaßen die gesamte Heilsgeschichte beruht" *(Randglossen zur bibl. Frage, Katholik XXXIV [1906] p. 170).*

III. De historia mythica sive legendaria.

I. Quid nomine mythi vel legendae in considerationem venit? — 1. Terminus non aequaliter ab omnibus sumitur; differentiae vero, quae a singulis admittuntur, accidentales tantum videntur esse. Audiamus expositionem, quam exhibet Pesch *n. 521:* „Mythus est ficta narratio, populari traditione orta et propagata, qua eventus, quorum causa ignota est, per interventum superiorum agentium explicatur. Legenda est ficta narratio, qua vita hominum fama clarorum factis non veris exornatur. Interdum haec nomina permiscentur et inter se et cum aliis, ad significandam omnem historiam fabularem; saepe vero mythi pressius dicuntur narrationes specietenus historicae de origine alicujus urbis vel gentis vel totius mundi vel falsorum deorum . .[1]) Itaque sive mythum dixeris sive legendam, sive fabulam, intellegimus narrationem, quae sub specie historiae narrat ea, quae substantialiter falsa sunt".

Ejusmodi mythos nonnulli auctores maxime illis biblicis narrationibus volunt immixtos esse, quibus primordia rerum exponuntur. Sic paradisum, tentationem et lapsum primorum parentum, diluvium, confusionem linguarum non aut certe non, ut a s. Scriptura traduntur, extitisse vel evenisse contendunt; sed haec omnia ad ideas quasdam religiosas proponendas adsumpta esse dicunt.

II. Statim quaeramus, num mythi vel similes narrationes in Scriptura inveniri possint. — 1. Fautores

[1]) „L'usage commun attache au mot mythe l'idée d'une religion fausse et même puérile"; Lagrange *Méthode p. 201.*

mythorum hunc fere in modum ipsis sollemnem argumentantur: „Nulla gens unquam mysterium originum suarum penetravit: de hac re feruntur communiter certae quaedam traditiones sive legendae sive mythi, quorum valor objectivus examinari vel determinari nunquam possit. Historicus hac in re aliud facere non potest, nisi ut ejusmodi res tradat, quales suo tempore inter homines currunt, magis ut eas conservet ad perpetuam memoriam, quam ut eas vere doceat; in qua re tanquam ad egregium specimen provocant ad libros Titi Livii, quibus primordia gentis romanae exhibet" (Billot *p. 136 sq.*)

Nihilominus res plane evidens est. „Konnte Gott seine Mitteilungen an die Menschheit in die Form von Mythen kleiden?" ita quaerit Hummelauer *Inspiration und Mythus l. c. p. 361.* Et ipse respondet: „Wenn wir auch im (unschuldigsten) Sinne die Frage aufwerfen: darf unsere Genesis, bezw. deren erste Kapitel, als eine bloße Sammlung der Ursagen Israels aufgefaßt werden? — so ist nur eine Antwort möglich: entschiedene Verneinung".

2. Revera — a) ejusmodi mythi modo, quo s. historia se nobis praesentat, magis etiam repugnant quam omnia reliqua genera litteraria, de quibus hucusque egimus; ergo a fortiori repudiandi erunt.

Protecto ea, quae a recentioribus ut mythi venditantur, eodem modo historico traduntur quo ea, de quorum indole proprie historica dubitari nequit. Quodsi forte Deus per se ejusmodi mythum ad religiosam aedificationem in s. Scriptura inserere potuerit, id tamen facere non potuit usquam, ubi ejus propria ratio simpliciter agnosci nequiret; sic enim jam error et mendacium subesset.

Crescit haec ipsa ratio inde, unde adversarii rem suam magis insinuare nituntur dicentes: mythos Scripturarum omne id deposuisse, quod est proprium mythorum antiquorum; etenim sic eo minus agnosci possunt.

„Nam mythus, ita card. Billot *p. 147*, tanto magis deceptivus est, quanto magis dissimulat conditionem suam; quapropter mythi biblici, praecise quia epurati ab omnibus absurditatibus gentilium

fabularum, pejora omnium mendacia forent. Et sane mythi paganorum habebant saltem in se, unde neminem deciperent nisi plane insipientem, et noverat in eis Aristoteles, noverant, quicunque erant eruditi vel in sola sapientia saeculari, ipsum solum primum separando accipere. At mythi biblici decepissent omnes sapientes, omnes patres, omnes doctores ecclesiae usque in hodiernum diem".

„Accedit, ita pergit idem auctor, quod ea, quae in Scriptura mythos esse volunt, proponuntur in N. T. ut facta realia, ex quibus vel dogmaticae conclusiones eruuntur, vel exempla ad virtutem provocantia exhibentur. — Accedit, quod eadem illa facta adducuntur in psalmis tanquam signa illustria potentiae et sapientiae et misericordiae Dei; tanquam mirabilia magna, de quibus debet laudari Dominus Deus veritatis . . Lege psalmos 77, 104, 105, 113, 135, ubi singillatim commemorantur et plagae aegyptiacae, et divisio maris rubri, et manna de coelo, et aqua de petra etc." Merito omnia ista elogia et laudes illae Deo oblatae in fine verbis illis instaurarentur: „laudate Deum in mythis et fabulis".

b) Contra mythos acerrime repugnat unanime suffragium traditionis. „Non horret (Origenes), ita Eusthatius exclamat, fabulas appellare, quae Deus creata perfecisse traditur fidissimusque ejus servus Moyses scriptis consignavit . . . Divinis oraculis a Moyse traditis fabularum nomine insignitis sensum evertit" — αὐτὰ δὲ τὰ τοῦ θεοῦ διὰ Μωυσέως ἐκδοθέντα μηνύματα μύθους ὀνομάσας ἐνδιαλλάττει τὴν ἔννοιαν *(de engastrimytho 21 sq)*. — Observandum hic est, quomodo vox ‚mythus' ipsum terriculum est, quo allegorismus Origenis theoria abominabilis esse ostenditur; id quod etiam apud alios multos occurrit patres, ut apud Basilium, qui contra eundem allegorizandi modum: „Tales, inquit, sermones veluti somniorum interpretationes et aniles fabulas rejicimus" — ὡς ὀνειράτων συγκρίσεις καὶ γραώδεις μύθους ἀποπεμψάμενοι *(in Hexaëmeron hom 3, 9)*.

Similiter Gregorius naz. *orat. apologetica 2, 104* disserit: „Neque putemus haec [quae in libris historicis veteris testamenti extant] temere conscripta esse, neque aliud esse nisi turbam verborum et factorum ad oblectandos animos compositam; haec ludant fabulae et gentiles (μῦθοι καὶ Ἕλληνες) . . . at nos, qui diligentiam Spiritus usque ad levem apicem et litterulam extendimus, numquam admittemus; nefas est enim, vel minima facta temere a

scriptoribus enarrata esse concedere". In poëmatibus autem suis confitetur „se pudere ad deitatis cognitionem ducem habere mythum" *(M PG 37, 1562).*

„Si scenicae doctrinae delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum: nec fabulae, sed veritates; nec strophae, sed simplicitates", ait Tertullianus *de spectac. 29.* Cui concordant, quae Cyrillus alex. Juliano reponit: „En rursus vera incessit [quae nimirum in *Gen* de Eva colloquente cum serpente traduntur], et graecis ea mythis similia esse dicit.. Sed nos, o bone, nequaquam istud de sancta et divinitus inspirata Scriptura dicimus; mythicum namque in ea prorsus nihil; veritatis plena sunt omnia" *(contra Julian. III; M 76, 631).* Et jam multo ante ipsum Justinus protestatur, christianos „non vanis credidisse fabulis, sed sermonibus Spiritu Sancto plenis ac virtute scatentibus et gratia efflorentibus" *(dial. c. Tr. 9).*

„Neque igitur, ut concludamus verbis Julii africani *ad Aristidem*, praevalebit hujusmodi sermo in Christi ecclesia contra accuratam veritatem, nempe ut mendacium consarcinetur ad Christi laudem atque praeconium" *(M PG 10, 51).*

Ad sensum ecclesiae colligendum relegas *propos. 7 syllabi;* deinde *decreta commiss. bibl. d. d. 23. Junii 1905,* et *d. d. 30. Junii 1909 dub. 2.*

c) Neque sensus communis fidelium ejusmodi sententiam ferre potest. Ut olim Origenes populum christianum contra perniciosum allegorismum a se propagatum sensit exardescentem,[1]) ita et nostris temporibus plane cohorruerunt, qui Lagrange mythicas similesve sententias proponentem audiverunt, quemadmodum ipse testatur[2]). — Ipse commotionem istam emollire conatus est, eo quod pro voce mythi proposuerit vocem legendae seu historiae legendariae, et *insuper* eo quod adjunxerit affirmationem, historiam sacram non obstante indole ejus mythica seu legendaria longe eminere super omnem historiam gentium.

En duo proponit effugia. *Illud prius* effugium vero vanum est, cum res sit de mero nomine et nominibus mutatis rem ipse integram retinere velit.[3]) *Alterum* vero stante hypothesi in suo vigore gratis omnino asseritur. Ecquid concessa semel specifica conformitate inter sacram historiam gentiliumque mythos interest

[1]) Cf. *ZfkTh. XXX (1906) 241 sqq; XXXV (1911) 629 sq.* — De vi vero et virtute hujus sensus communis fidelium cf. Egger *o. c. 353 sqq.*

[2]) Cf. *Méthode historique 200 sq; 219 sq.*

[3]) Cf. Lagrange *l. c. p. 201 sqq,* et quae supra attulimus in expositione ejus sententiae.

inde, quod ex accidentali diversitate quoad gradus fors non tam foedae fabellae sunt in illa quam in hac? Et quale erit vel hoc discrimen, si cum auctore illo tandem aliquando ea, quae v. g. in Genesi enarrantur, cum satyris et cum exceptionibus vere mythologicis gentilium *(„conceptions mythologiques")* aequiperantur, quales in iis habentur, quae de Niobe inter gentiles tradebantur; vel si, ut alter dicit, hagiographi hebraei non differunt a coaevis scriptoribus gentilium.[1])

III. Ast quae nos mythos dicimus, ita ulterius excipiunt, eadem patres allegorias esse asserebant.

Respondeas: Patres facta historica ut allegorias assumentes, eadem facta plena historica veritate subsistere praesupponebant (cf. quae supra hac de re diximus). — Insuper sat magnum extat discrimen inter genera ista historica modernorum et allegorias. „Nam allegoria nihil aliud est quam producta quaedam metaphora, qua sub similitudine cujusdam proportionalitatis imaginationi proponitur aliquid sublimius intellectu capiendum et a Deo traditum sub involucro imaginariae illius repraesentationis, qua constat allegoria. Quod quidem contingit in quavis metaphorica locutione sine ullo dispendio veritatis. Id videre licet, quoties ecclesia proponitur sub forma navis, quam Petrus, Christi vicarius, regit in mediis fluctibus spumantibus . . . Modo igitur constet allegoriam nobis offerri, nullum periculum est erroris, neque ut sensus divini eloquii cum phantastica repraesentatione permisceatur. Populares contra narrationes historicae [vel mythis permixtae], ut sunt traditiones circa bellum trojanum, sub fide historica personas et eventus respiciunt, quae ut totidem facta enuntiantur et ut talia a vulgo accipiuntur, in quibus tamen vel omnia sunt conficta, vel falsum et verum ita sunt commixta, ut unum ab altero discerni non possit" (Schiffini *o. c. p. 175;)* cf. etiam Pesch *o. c. n. 522; theologische Zeitfragen III 59.*

Si objiciunt, quod scriptor omnis id dicere censendus sit, quod vult dicere; *ergo* in rebus enarrandis etiam se accommodare potuit opinionibus communibus — *respondeas:* Dein etiam

[1]) Neque L. phrasibus suis nimis vagis commotionem inter auditores exortam componebat. In fine sermonis iterum quaerit ex iis: „Quel scrupule vous reste-t-il? — Si je ne me trompe, une certaine inquiétude vague[?]: Où allons nous? où nous mène-t-on?" Ista inquietudo conscientiae vaga dici nequit; vaga potius declaretur oportet responsio auctoris: „Nous restons chez nous, dans l'Eglise, où nous avons autant de liberté que les autres pour l'étude de langues et de l'histoire, avec la sécurité de l'âme sur les points essentiels, condition nécessaire de toute recherche ultérieure. Nous croyons aller, grâce à un progrès historique incontestable, vers une intelligence plus approfondie des voies de Dieu dans l'humanité . . Nous devons présumer charitablement que nos exégètes sont tous animés de bonnes intentions etc." *(p. 219 sq).*

voluntatem suam exterius nobis manifestare debuit neque procedere ut ille, qui strictam historiam proponit. Neque enim nos immediate mentem scriptoris inspicere possumus, ut ex ipsa cogitationes ejusdem intellegamus; sed quidquid scribendo intenderit ex ipso externo sermone colligere debemus; si igitur in his nil apparet contrarii, ipsis verbis eorumque sensui obvio stare debemus; cf. Schiffini *n. 64 (p. 177)*.

Scholion: Quae nunc in specie contra mythos et legendas disseruimus, etiam contra priora genera litteraria militant, cum omnia haec nonnisi secundum gradum inter se differre videantur et etiam ista priora genera consequenter ad mythos sive legendas admittendas delabantur necesse sit. Id quod facile perspicitur.

Si *enim* genera ista singula distincta consideraveris, ut a fautoribus suis adferuntur, continua repetitione in singulis recurrit, quod quidem historicae veritatis nucleum quendam includant, qui tamen investiatur sive poëtica conceptione sive liberiore tractatione sive popularibus modificationibus etc. Quodsi formae istae nihil aliud intenderent nisi modum enarrandi, qui veritatem intactam relinqueret historicam, si res non esset nisi de stilo vel dispositione narrationis, jam non esset omnino, cur ulterius disputaremus, cum omnes hoc facile concedant et semper concesserint; respiciunt igitur ista genera ipsas res enarratas, in quantum secundum varia genera additamenta certa fiunt et modificationes, quae objectiva realitate in ordine historico careant et ideo falso asserantur. Sive nunc ista additamenta traditiones declarare malis, sive epicas conceptiones, sive midrašica ornamenta, sive legendas sive demum mythos, quoad essentiam semper idem dixeris.

„Itaque sive mythos sive legendas sive traditiones populares sive historiam veterem sive historiam orientalem, sive aliud quid simile dixeris, si his nominibus tegere studes opinionem, qua Deus dicitur potuisse inspirare errores, saltem in rebus accidentalibus et nullius ad salutem momenti, a traditione catholica constanti et communi recedis, quae docet non res principales tantum et substantiam narrationis debere esse veram, sed omnia et singula quae affirmentur. Non requiri, ut narratio omni ex parte sit completa et perfecta, sed posse esse omissiones, summarias narrationes, indefinitas locutiones aliaque id genus jam saepe monuimus; id solum

firmum esse principium oportet: Scriptores inspiratos nihil affirmasse ut verum, quod falsum sit; nihil negasse ut falsum, quod verum sit" (Pesch *n. 542).* Cf. *ZfkTh XXIX (1905) p. 643 sq.*

Qua ratione vero fautores harum viarum pro patribus ecclesiae sibi elegerint auctores criticos rationalistas sive etiam historicos scepticos nostrae aetatis, legas apud Fonck *der Kampf um die Wahrheit n. 36 sqq.* — Et quomodo viae ejusmodi facillime ad diminutionem ipsius dogmatis catholici adducant, declaratum inveneris apud Egger *o. c. n. 84 sqq.* et maxime *n. 76 sqq.*

Articulus V.

De citationibus implicitis.

Est et alia hypothesis, qua nonnullis auctoribus recentioribus probatur, errores, si non formales, saltem materiales in s. historia inveniri et permitti posse: hypothesis de citationibus implicitis. Hanc hypothesin etiam *Benedictus XV* in *encycl. lit. Spiritus Paraclitus* hisce verbis denotat: „Contendunt hagiographos . . . fontes scientiae suae non indicasse neque aliorum enarrationes fecisse suas". Et connumerat eam inter conatus eorum, de quibus dixerat, eos „ab ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ceterorumque patrum comprobata, dissentire" *(n. 10).* — De hac jam videamus ex ordine, inprimis autem qualis sit.

§ 1. Hypothesis exponitur.

Theoriam istam praeprimis excoluit et propugnavit Ferd. Prat S. J., prius quidem in periodico *Etudes LXXXVI (1901) 474 sqq; XCIII (1902) 289 sqq; 610 sqq;* — postea in opusculo separatim edito *la Bible et l'histoire (1904).* Eum maxime sequemur in expositione rei.

I. Principium: Sacri scriptores, maxime historici, materiam suam fere integram ex fontibus et documentis antiquis hauriunt; quodsi hoc agunt, neque necessitas neque voluntas iis semper adest fidem pro rebus sic enarratis evindicandi; hanc fidem non raro penes auctores et fontes relinquunt. Quare si falsitas rebus subest, ejusdem auctor

censendus non est s. historiographus, qui veritatem citationis tantum polliceatur, non ita veritatem rei citatae.

a) „L'historien ne parle pas toujours en son propre nom; il relate souvent les opinions ou les propos d'autrui. Son rôle se borne alors à être rapporteur fidèle, et s'il est toujours tenu d'être véridique, il n'est pas nécessairement vrai dans tous ses dires. Mettre à sa charge des faits erronés, qu' il raconte sur la foi d'un autre, serait méconnaître la loi de l'histoire et la nature du language humain" *(l. c. p. 40)*.

Idem omnino valet de historiographo sacro; ita enim post pauca pergit Prat: „Tout le monde, je crois, est d'accord sur ce principe: L'historien inspiré ne fait siennes les paroles citées, que s'il les approuve expressément ou d'une manière équivalente. Hors de là, l'Ecriture en laisse toute la responsabilité à leurs auteurs. Elles peuvent être vraies, comme elles peuvent être fausses; c'est aux lecteurs d'en faire le discernement d'après les lois ordinaires de la critique historique; car ‚s'il est vrai qu'elles furent dites, il n'est pas sûr qu'elles soient vraies' (Augustin)" *(p. 42)*.

b) Et quamvis theoriam ipsam Hummelauer spernere videatur, similia principia inveniuntur etiam apud eum. „Der hebräische Geschichtsschreiber — ita *l. c. p. 61* — sucht das Ideal der Volksgeschichte in der Uebereinstimmung seiner Erzählung mit den Annalen . . Die Wahrheit einer Geschichte nach den Annalen besteht zunächst in der Uebereinstimmung der Erzählung mit den Annalen und erst mittelbar in der Uebereinstimmung mit dem Tatbestand, welchen die Annalen wiederzugeben bestimmt sind" . . „Schwerlich wird er im Stand gewesen sein, die ganze Erzählung der Annalen in all ihren Einzelheiten durch prophetische Schriften zu kontrollieren; es bliebe demnach nicht ausgeschlossen, daß er Irrtümer aus den Annalen herübernahm . ." [1]).

II. Principium: Ejusmodi citatio, allegatio, modus recurrendi ad fontes etiam fieri potest, ubi sacer scriptor id *aut* nullo modo significat et ea, quae ex fontibus desumit, eodem prorsus tenore enarrat, quo ea tradit, quorum fidem in se suscipit, *aut* ita significat, ut, quamvis coaevis lectoribus patuerit, nobis jam nullum adsit discerniculum. In his casibus loquuntur de citationibus implicitis, tacitis *(farblosen Zitaten)*. De his vero idem istis auctoribus valebit, quod et de manifestis seu expressis citationibus tenent: fides manebit penes auctores seu fontes.

[1]) Cf. etiam Lagrange *Revue bibl. (1896) p. 508, alinea 4.*

„La citation implicite est celle, qui se présente sans les signes ordinaires de référence. Si le lecteur contemporain, auquel s'adresse directement le livre, n'arrivait pas à la reconnaître, ce serait un plagiat, ou du moins, à une époque où la propriété littéraire est ignorée, un moyen commode et économique d'exprimer ses idées avec les paroles d'autrui. Mais dans un cas comme dans l'autre, l'écrivain prendrait à son compte l'emprunt tacite et la pièce étrangère serait regardée à bon droit comme partie intégrante de sa pensée" (Prat *46 sq).*

Citatio implicita igitur ea erit, quae fit et recognosci potest sine expressa denotatione: „un vers dans un récit en prose, une phrase latine égarée au milieu du français, les proverbes, les mots historiques, certains passages de l'Ecriture que tout le monde sait par coeur, se détachent immédiatement du contexte et sont rapportés sans peine à leurs vrais propriétaires" *(ib. 47).* Haec vero cognoscibilitas, habilis quidem coaevis, nobis perire potuit.

III. Principium: Si igitur in libris historicis s. Scripturae textus occurrit difficilis, qui cum rerum ordine objectivo vix vel ne vix quidem componi posse videatur, cogitare fors tibi licebit ibi subesse ejusmodi citationem implicitam, in qua auctor sacer intendit solam fidelitatem relationis, non ita veritatem rei relatae.

„Lorsqu'il cite de la sorte, doit-on toujours le regarder comme garant des moindres faits contenus dans le document qu'il invoque? . . Il m'est plus malaisé de connaître l'attitude de l'écrivain relativement à ses sources; mais suis-je forcé de croire qu'il en garantit l'exactitude parfaite, intégrale, jusqu'au dernier iota, quand plusieurs générations ou plusieurs siècles les separent des événements? Ne suffit-il pas à son but que l'autorité invoquée soit véridique, sans être infaillible, et si j'en admets l'inerrance, est-ce en vertu de son témoignage?" (Prat *56).*

IV. Principium: Discernere vero in singulis casibus, num revera inveniatur alicubi ejusmodi citatio abdita, hoc spectat magis ad criticam, quam ad sacram scientiam seu theologiam.

„Ces questions relèvent moins du théologien ou de l'exégète que du critique et du philosophe, car elles concernent les règles d'un genre littéraire et les lois générales du discours. Quand les critiques et les philosophes auront prononcé leur verdict, exégètes et théologiens n'auront qu'à s'incliner, à moins de s'inscrire en faux contre cette assertion de Léon XIII, que l'Ecriture parle aux hommes un langage humain" (Prat *56).*

§ 2. De existentia ejusmodi citationum.

I. Sine ullo dubio concedendum est, ss. scriptores non aliter ac profanos auctores fontes et documenta adhibuisse ad libros suos historicos componendos. Ab ipsis sacris auctoribus inde a libro Numerorum usque ad 2 Mach continuo referimur ad fontes, in quibus uberior rerum tractatio vel et confirmatio historiae enarratae quaerenda sit. Neque *enim* historiographi sacri res, quas mediis naturalibus inquirere poterant, necessario omnes ex divina revelatione accipiebant; volebat inspirator Deus, ut in his ministri propriam diligentiam et industriam divinae operationi adjungerent.

Quemadmodum autem citationes et allegationes expressae et manifestae in sacris historiis inveniuntur, ita per se etiam allegationes eae ibi esse possunt, quarum propria ratio a nobis accurate jam dignosci nequeat. Id quod hac in re evitari debet, notatur per *decr. commiss. bibl. d. d. 3. Febr. 1905*: ejusmodi nimirum citationes non esse temere admittendas.

Propositum erat dubium: „Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis s. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cujus asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?“

Responsum est: „Negative — excepto casu, in quo salvis sensu ac judicio ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1. hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare et 2. eadem nec probare nec sua facere . .“

II. Quaeritur nunc, num ipsa existentia ejusmodi citationum implicitarum „solidis rationibus“ ostendi possit.

1. Solidum argumentum autem illud esse non videtur, quo Prat rem suam in genere urget: „s'il n'y a pas dans la Bible de citations implicites, il y a des erreurs“. Ex ipsa tendentia, quam prosequitur iste auctor, argumentatio apertam petitionem principii continet, cum ipse per theoriam suam errores s. Scripturae praesumat et excu-

sare intendat. — *Insuper* est argumentatio generica; in genere autem quaestio commissioni biblicae proposita certe negata est et reprobata et concessio, quam sub hypothesi permittit, nonnisi ad singulares quosdam casus restringit: *„excepto casu in quo probatur."*

Neque igitur haec hypothesis per modum principii interpretationis inservire potest, quod, ubi primum difficultates quaedam historicae exurgant et aliunde solutionem non habeant, in subsidium vocari queat. Hunc in sensum intellegas verba Benedicti XV, ubi auctores stringit, „in quos Hieronymus, si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniceret, quod, sensu et judicio ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes quas vocant implicitas . . . confugiunt" *(encycl. Spiritus Paraclitus n. 12).*

2. Pro particularibus quibusdam casibus *porro* nonnulli auctores existimant rem esse concedendam. „Sunt in Scriptura citationes manifestae, ita Pesch *o. c. p. 539,* sed sunt etiam citationes tacitae seu, ut aliis placet, citationes implicitae; i. e. sacri auctores interdum allegant verba documentorum, ex quibus hauserunt, non implicite dicentes se aliorum verba proponere. E. g. libri Paralipomenon scripti sunt post tempus exsilii, quando templum et arca foederis diu destructa erant. Nihilominus ubi sermo est de finita aedificatione templi sub Salomone rege, narratur, quomodo sacerdotes intulerint arcam foederis in sanctuarium, et additur: ‚Fuit itaque arca ibi usque in praesentem diem' *(2 Par 5, 9).* Illi qui primi legebant libros Paralipomenon bene intellegebant haec verba non valere de suo tempore, sed referri ex documento, quod ante destructionem templi scriptum erat . . . Idem valet de *2 Par 8, 8,* ubi dicitur Salomon subjugasse hethaeos et alios populos ‚usque in diem hanc'."

Ast in his inveniri citationes implicitas, non tam certum esse videtur. Praeterquam quod de virtute phraseologica verbi illius „usque in praesentem diem" litigari potest, non videtur moris esse istius auctoris libri Paralipomenon, fontes silentio praetermittere, qui tam saepe eos allegaverit, et pro ipsa integra historia Salomonis, unde uterque textus allatus depromitur, *2 Par 9, 29* fontes ad-

fert „verba i. e. Chronica Nathan prophetae, librosque Ahiae Silonitae, visionem quoque Addo videntis". Cur igitur non potius cogitamus de citationibus expressis?

De aliis exemplis, quae adfert Pesch, ipse confitetur *(n. 534)*, „plerumque non deesse alias solutiones talium difficultatum"; et pariter Prat: „Pour nous, inquit, quand l'original n'existe plus à côté de la copie, ce travail de dissection, extrêmement laborieux, ne mène en général qu'à des résultats probables; il est plus malaisé au critique de séparer les matériaux, dont se compose un livre, et de les remettre chacun à sa place respective, qu'à l'archéologue de discerner l'âge et la provenance des diverses assises d'un édifice, sous le recrépissage qui les recouvre" *(p. 50)*.

Quare pro existentia ejusmodi citationum implicitarum hucusque non videtur satisfactum esse conditioni per commissionem biblicam provisae: quod „solidis argumentis probentur".

III. Neque tamen haec quaestio de existentia citationum tacitarum tanti momenti est. Si citatio ejusmodi manifesto ostenditur, sine ulla dubitatione et haesitatione admitti potest; si quis ipsum usum fontium eorum, qui publice noti et usui erant *(„du domaine public"* Prat *49)*, citationes jam velit vocare implicitas, non contendimus; communis tamen usus loquendi iste non est. — Tota quaestio ejusque momentum in eo invenitur, num, qui ejusmodi citationibus sive manifestis sive abditis utatur in iisque opus quoddam historicum conficiat, res iisdem exhibitas suas proprias facere intendat necne.

§ 3. De fide citationum.

Jam urget quaestio principalis, utrum auctor prudens fontibus a se allegatis fidem rerum per se permittat.

I. Praeprimis distinguamus inter relationes simplices et citationes proprie dictas.

1. Legimus *Neh. 7, 5:* „Inveni librum census eorum, qui ascenderant primum, et inventum est scriptum eo: ‚isti filii provinciae qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor, rex Baby-

lonis, et reversi sunt in Jerusalem . . .'" — Ab initio *libri secundi Machabaeorum* duo exhibentur epistolae judaeorum, *Act. c. 7* exhibetur integer sermo Stephani protomartyris, et similia documenta alibi ex ore auctorum suorum eorumque auctoritate allegantur. In his omnibus vero simplices relationes habentur, non vero citationes proprie dictae. De his absque dubio valet, quod sacer auctor praeter fidelitatem relationis, rerum relatarum fidem in se non susceperit.

De his valet, quod Prat immerito prorsus in genere affirmat: „L'hagiographe ne nous dit nulle part, dans quelle mesure il est redevable à ses sources" *(p. 50)*. Huc referas verba s. Augustini: „Sicut in evangelio, quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia, quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a judaeis falsa et impia dicta esse verax evangelii Scriptura testatur: sic in hoc libro (Job), ubi multae personae locutae esse narrantur, non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur considerandum est" *(ad Orosium contra Prisc. 9, 12)*. Similiter Eusthatius *de engastrimytho M PG 18, 619 D.* — Cf. quae exposuimus *p. 175 sqq.*

2. Aliter prorsus res se habet, quando auctor sacer verba aliorum vel fontes allegat, ut iis res suas proprias confirmet vel exponat et narrationem suam evolvat, quando agitur de citationibus proprie dictis.

a) Est *inprimis* nimis evidens, quod ss. scriptores res suas historicas fere universas ex fontibus hauserunt, praesertim in libris veteris testamenti. Hoc magna ex parte fecerunt evidenter per citationes explicitas (cogita v. g. de genealogiis); magna ex parte idem fecissent, si auctoribus modernis credideris, per citationes implicitas; aliis si fidem feceris, universam historiam per citationes abbreviatas composuissent, quarum fides maneret penes fontes.[1]) Si igitur theoria ista vera esset, quod ss. scriptores eorum, quae citant, fidem in se non susciperent: quid demum ex tota sacra historia certa fide credere vel admittere possumus? — „Cessaret maxima pars Scripturae veteris testamenti pertinere ad depositum fidei, si esset collectio citationum,

[1]) Cf. Hummelauer *p. 60 sqq.*

quae non essent verba Dei, sed verba tantum hominum [allegata ita, ut auctor fidem eorum in se non susciperet]. Tales partes non essent ejusdem auctoritatis ac ceteri libri sacri, neque ecclesia posset eas cum pari pietatis affectu suscipere et venerari; neque ulla ratio perspicitur, cur Deus tales libros inspiraverit" (Pesch *n. 535).* Cf. Delattre *autour de la question bibl. p. 53 ad calcem.*

b) Est et universalior ratio haec: Nemo prudens homo integram gentis historiam componit ex documentis vel citatis, de quorum veritate vel falsitate nullum judicium ferat; sed eo ipso quod adfert testimonia aliorum, eadem fini suo subjicit, qui est historiam nectere et posteris tradere. Nisi *igitur* leges maxime fundamentales linguae et scripturae humanae negligere velis, necessario concedas scriptorem rem, ex quocunque demum fonte haustam et operi suo simpliciter insertam, suam fecisse et sub propria fide suscepisse.

„Ein Geschichtsschreiber beabsichtigt nicht einfach Quellen abzuschreiben, sondern wahre Geschichte zu schreiben; dies ist die wahre und eigentliche Intention, die Benützung der Quelle ist nur ein Mittel dazu. Nicht die veritas citationis, sondern veritas rei citatae ist die Hauptabsicht eines vernünftigen Geschichtsschreibers. Um wie viel mehr muß dies vom inspirierten Verfasser gelten! Hat ihn etwa Gott dazu inspiriert, daß er die Annalen richtig abschreibe, oder Jason gut exzerpiere? oder nicht vielmehr dazu, daß er wahre Geschichte schreibe? Daß der biblische Geschichtsschreiber sein ‚Ideal' in der Uebereinstimmung mit den Annalen gesetzt haben solle [wie Hummelauer meint], ist ja kühn behauptet, aber schwer zu glauben" (Egger *o. c. p. 139 sq.)*[1])

Principium *igitur* a Prat statutum: ‚ut scriptor, quae citat, sua faciat, eadem saltem implicite debet approbare', suspectum est, nisi in ipsa allegatione qua tali jam ejusmodi implicitam approbationem agnoscere velis. E contrario prorsus in singulis casibus probari debet, si scriptor quid non susceperit in fidem suam. Id quod pro sacra Scriptura per ipsam commissionem biblicam etiam expresse declaratum est decreto jam citato.

[1]) Ceterum ipse Hummelauer aperte hac in re sibi contradicit: de qua re confer *ZfkTh. XXIX (1905) p. 636.*

c) Neque theoria de citationibus implicitis sine anachronismo et oppositione ad proprium systema a fautoribus suis admitti posse videtur. Merito ad rem nonnemo notat: „Es zeugt von einem ziemlich entwickelten kritischen Sinne, wenn ein Geschichtsschreiber seine Ansicht nicht gleich den vorliegenden Quellen konformiert und zunächst sein Urteil dem Gewährsmann gegenüber suspendiert. Eine solche kritische Stimmung müßten wir [in jener Hypothese] bei dem inspirierten Verfasser voraussetzen". — Et ex eadem ratione alius auctor (J. Göttsberger) loquitur de exegesi cum duplici facie *(„von einer Exegese mit doppeltem Gesichte")*, eo quod auctores istius theoriae scriptores sacros *ex una parte* admittant narrare simplici fide eamque sibi vindicare, *ex altera parte* autem supponant, et auctores et ipsos eorundem lectores antiquis illis temporibus criticis jam principiis fuisse imbutos; cf. Fonck *l. c. p. 193.*

d) Theoria pejor etiam apparet sub respectu ad citationes tacitas, si nimirum citationes admiseris a te demum detegendas earumque fidem pariter in dubium vocaveris. *Etenim* cum in citationibus expressis certum criterium habeas eas agnoscendi, et inde aliquam saltem cautionem, ne in indefinitum res dubiae fidei extendas, ejusmodi cautela in citationibus implicitis prorsus deerit. Ita occurrente nescio quo incommodo dicto s. Scripturae unusquisque statim ad ejusmodi citationem implicitam recurrere poterit, cujus fidem auctor inspiratus non urgeat.[1])

Et quid demum impediet, quominus theoriam ad solas res historicas restringamus? „Cur in libro proverbiorum et Ecclesiastici ex. g. non suspicemur, sacrum scriptorem meram quandam compilationem voluisse nobis tradere dictorum et sententiarum, quae ab aliis sapientibus humanitus conscripta vel tradita fuerunt? Nonne in his etiam valet ipsa indoles ac natura sermonis orientalis, genus dicendi compilatorium, aliaque his gemina, quibus hoc systema a suis fautoribus cohonestari solet? Age jam, si haec ita se habent, nemo non videt, quanto cum jure instaurare liceat prolatum Augustini argumentum adversus hanc hypothesim: admissa semel in tantum auctoritatis fastigium implicita

[1]) De his merito notat Hugo *l. c. p. 49:* „Vollständig unkenntliche Zitate (citationes implicites), welche nicht die Meinung des Zitierenden ausdrücken, sind eine Gewissenlosigkeit gegen den Leser".

aliqua citatione, eo sensu videlicet quem declaravimus, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad citantis auctoris consilium officiumque referatur, ita nempe ut non penes sacrum scriptorem, sed penes alium ignotum testem sit lapsus vel fallacia" (Schiffini *l. c. p. 165).*

e) Neque juvat excipere, quod fontes historici illius temporis necessario multis erroribus adfecti erant. Dummodo verum quoque continuerint, inspirationis erat hagiographos ita dirigere, ut hoc ex fontibus erroribus neglectis haurirent.

Si vero excipiunt, non admittentibus nobis citationes implicitas admittendos esse errores in s. Scriptura: respondemus, adesse plerumque et alias vias rem componendi, praesertim cum agitur de numeris et nominibus, quae facile per librarios et amanuenses corrumpi potuerint. „Maxime in libris Paralipomenon multa menda [i. e. textus corruptiones] inveniri, et ss. patres jam adnotarunt et recentes exegetae agnoscunt" (Pesch *n. 534).*

Si *porro* existimaveris, nimis facile esse ejusmodi effugium usque repetitum „ab erroribus librariorum", attendas, quod non difficilius dicitur: „hoc vel illud est citatio quaedam implicita".

II. Notum est hagiographos novi testamenti verba veteris foederis communiter allegare non secundum textum originalem hebraicum, sed secundum versionem graecam LXX[1]). *Atqui* negari non potest istam versionem, authenticam quidem in rebus fidei et morum, in rebus ordinis profani dissonare a textu primigenio et ideo a vero aberrare. *Ergo* ss. auctores in citationibus suis textum respicere poterant non ita alienum ab omni errore.

1. Respondent nonnulli auctores, in ejusmodi allegationibus ex versione graeca factis agi de argumentatione ad hominem, quae ad eos tantum dirigatur, qui auctoritatem illius versionis admiserint. Haec responsio vix teneri potest, cum nulla citatio in novo testamento ostendi possit, quae vel vestigium ostendat argumentationis sic accommodatae.

[1]) Hic sensus est verborum s. Hieronymi in *l. quaest. hebr. in Gen. 46, 26 sq,* quibus moderni exegetae etiam abutuntur in suo sensu: „Hoc autem generaliter observandum, quod ubicunque sancti apostoli aut apostolici viri loquuntur ad populum, his plerumque testimoniis abutuntur, quae jam fuerant in gentibus divulgata".

Teneamus igitur potius cum s. Hieronymo non semel declarante: „Dicimus . . ubicunque Septuaginta ab hebraeo [vel potius a textu originali] non discordant, ibi apostolos de interpretatione eorum exempla sumpsisse; ubi vero discrepant, id posuisse in graeco, quod apud hebraeos didicerant“ *(contra Rufinum II 34; ep. 57, 11; 121, 2).* Discordent igitur verba LXX non raro a verbis textus originalis, non discordare videntur re et sensu, ubi de facto per evangelistas et apostolos allegantur. Neque ex his allegationibus particularibus factis concludi poterit: ergo apostoli versionem illam in universum approbarunt.

Exemplo sit nobis, quod apostolus *Heb 10, 5* ex psalmo 40 allegat: „Corpus autem aptasti mihi“, id quod in hebraico textu est: „Aures fodisti mihi“. Videtur aliud et aliud esse utrimque dictum; tamen accuratius attende, quid sibi velit illud: „aures fodisti mihi“. Respicit ritum ex lege praescriptum *(Ex 21, 6),* quo servus per se ram liberandus in perpetuam et voluntariam servitutem admittejetur, quo igitur corpus adaptaretur seu signo denotaretur ad perpetuum servitium. Idem autem plane, solo symbolo jam remoto, dicere vult dictum ab apostolo adhibitum: „corpus aptasti mihi . . tunc dixi: ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam“.

Ceteroquin, uter textus difficultatibus occurrentibus praeferendus erit, cum massoreticus jam dissonat a versione LXX? Potest concedi, Massorah communiter praeferendam esse; numquid et semper? nonne textus hebraicus, quem LXX in versione sua respiciebant, etiam melior esse poterat quam textus hebraicus, qui nunc inter nos extat?

2. Maxime vero urgent, quod legitur apud *Lc. 3, 36,* ubi nulla Scripturae facta mentione in genealogia Salvatoris cum LXX Cainan ponitur inter Sale et Arphaxad, ita ut Arphaxad genuisse videtur Cainan, Cainan vero Sale. Quia vero secundum textum hebraicum, quem sequitur et Vulgata, Arphaxad *(Gen 11, 12)* dicitur genuisse immediate Sale, Lucas Scripturam secundum versionem graecam allegare videtur, idque cum mendo seu errore.

De hac re tot extant sententiae, quot omnino possibiles sunt cogitatu. Ut caveatur omnis falsitas a Scriptura, „videtur alterutrum dicendum: aut Lucam non scripsisse, aut, si scripserit, vere inserendum esse Cainan“ (Pesch *n. 537).*

Utrumque autem per se in considerationem vocari potest. Neque *enim* omnes omnino codices vocem Cainan in textu sacro apud Lucam exhibent[1]); neque textus hebraicus, qui legitur in Vulgata, prohibet, ne intermittatur generatio ista, sive omissa olim a Mose, sive postea suppressa vel neglecta.

„Fieri poterat, ita Schiffini *l. c. p. 187,* ut Moyses omitteret generationem unam, quemadmodum etiam fit in aliis genealogiis in Scripturis consignatis, in quibus ex patre fit transitus ad nepotes praetermissis intermediis . . . neque quidquam prohibet, quominus LXX, vel ex majorum traditione, vel ex historiis fide dignis, adjecerint Cainan omissum in textu hebraico . . Sed neque ex altera parte constat genuinum esse locum hebraicum, quem prae oculis habuit Hieronymus, cum vertit: At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber; in codicibus enim hebraicis, quos prae oculis habuerunt Septuaginta, bene potuit nominari Cainan, quod nomen deinde e codicibus exciderit".

Quare cum res ita sit et nos veritatem absolutam Scripturae ejusque historiae tam solidis argumentis ex principiis fidei catholicae ostenderimus, dicamus potius cum s. Augustino *de Gen II 5, 9* et retineamus firmiter:

„Major est quippe Scripturae hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas".

---

[1]) Cf. Schiffini *Nota ad p. 186.* — Testificatio tamen critica et litteraria huic distinctionis parti non favet; meliore igitur jure Fonck alteram distinctionis partem retinet dicens: „Zu bemerken ist, daß der Evangelist zwischen Arphaxad und Sale Kainan erwähnt und dadurch der griechischen Uebersetzung der Septuaginta Recht gibt gegen den massorethischen Text, welcher dieses Glied in der Genealogie ausläßt *(Gen 10, 24; 11, 42)" (die Geheimnisse des Lebens Jesu p. 138).*

O. A. M. D. G.

DESCLÉE & C.
EDITORI PONTIFICI
PIAZZA GRAZIOLI N. 4
ROMA (117)

210.2
D 738
14425
DORSCH A
AUTHOR
Institutiones Theol. Fund. III
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM
[redacted]
14425
NOV 21 1986
NE AUFERATUR